


201
11 G
16

MARCI VALERII

MARTIALIS

EPIGRAMMATA

M. V. MARTIALIS
EPIGRAMMATA

AD CODICES MSS.

OPTIMASQVE EDITIONES

RECENSITA

NOTISQVE VETERIBVS ET NOVIS

ILLVSTRATA.



VOLVMEN ALTERVM.



AVGVSTAE TAVRINORVM
EX TYPIS IOSEPHI POMBA
ANNO MDCCCXXXIII.



M. VAL. MARTIALIS

EPIGRAMMATVM

LIBER IX.

I. — AD AVITVM.

Note, licet nolis, sublimi pectore vates,
  Cui referet serus praemia digna cinis,
Hoc tibi sub nostra breve carmen imagine vivat,
  Quam non obscuris iungis, Avite, viris.
ILLE EGO SVM NVLLI NVGARVM LAVDE SECVNDVS;
  QVEM NON MIRARIS, SED PVTO, LECTOR, AMAS.
MAIORES MAIORA SONENT: MIHI PARVA LOQVVTO
  SVFFICIT IN VESTRAS SAEPE REDIRE MANVS.

1. *Note, licet nolis.* Id est, o tu cui, quamquam gloriam et famam respuis, optimi vatis fama contigit. Ed. P. — *Sublimi pectore.* Aptissime, siquidem *pectus est quod disertum facit.* Ed. P.

2. *Cui referet.* Horatius lib. II, epist. 1: *Vrit enim fulgore suo qui praegravat artes Infra se positas: extinctus amabitur idem.*

3. *Breve carmen.* Tetrastichon quod sequitur: *Ille ego sum, etc.*

4. *Avite.* Iam de Avito diximus lib. I, epigr. 17. Nescio an hic idem fuerit. Vtut est, Martialis imaginem ille in sua bibliotheca inter clarissimorum poëtarum effigies collocaverat.

5. *Ille ego.* Avitum rogat ut haec quatuor carmina subscribat imagini ipsius, quam inter viros praeclaros ponendam in sua bibliotheca curaverat.

8. Iuntina nostra in margine exhibet: MAIORES MAIORA IVVENT, sive CANENT. Hoc propius accedit ad literarum formam in voce SONENT.

MARTIALIS TVRIANO SVO S.

Ave, mi Turani, frater carissime. Epigrammà, [1]

1. *Epigramma.* Sequens nempe separatum a reliquis, ita ut primum huius libri sit *de templo Flaviae gentis*: Sterlinium vero Avitum etiam nominat.



quod extra ordinem paginarum est, ad Stertinium clarissimum virum scripsimus, qui imaginem meam[1] ponere in bibliotheca sua voluit. De quo scribendum tibi putavi, ne ignorares, Avitus iste quis vocaretur. Vale, et para hospitium.

1. *Imaginem meam.* Moris erat antiqui, doctorum virorum imagines in bibliothecis ponere. Vid. Cicero ad Atticum lib. IV epist. 9. Iuv. sat. 7, 29: *Qui facis in parva sublimia carmina cella, Vt dignus venias hederis et imagine macra.* — Ad hunc morem respicit Flaccus (lib. I, sat 4), Fannium ridens qui imaginem ipse suam, ut optimi et splendidissimi vatis, in Palatinam bibliothecam detulerat: *beatus Fannius ultro Delatis capsis et imagine!* Ed. P.

2. — DE TEMPLO FLAVIAE GENTIS.

Dum Ianus hyemes, Domitianus autumnos,
Augustus annis commodabit aestates;
Dum grande famuli nomen asseret Rheni
Germanicarum magna lux Kalendarum;
Tarpeia summi saxa dum patris stabunt;
Dum voce supplex, dumque thure placabit
Matrona dives dulce Iuliae numen:
Manebit altum Flaviae decus gentis,

Flaviae genti positas aedes canit. (Flavii autem fuere et Vespasianus et qui post eum imperaverunt filii duo Titus et Domitianus. Ed P.)

1. *Dum Ianus hyemes.* Ianus nomen dedit Ianuario, qui pro hyeme: Domitianus Octobri, qui pro autumno; Augustus Augusto, antea Sextili, qui pro aestate sumitur. (Sic enim imperantium nomina mensibus imponebant assentandi libidine; quod et ipse increpuit Tiberius faecete satis, his fere senatores alloquens: *Quid satagetis ergo ubi tredecim vobis Caesares erunt?* Ed. P.) Sensus ergo est, quamdiu erunt illae anni tempestates, tamdiu gentis Flaviae templum durabit.

4 *Germanicarum.* Hoc est, primus dies Septembris, quem ut iam de Octobre diximus, ex appellationibus suis transnominavit Domitianus. Germanicus dictus fuit, e Sueton. cap. 13, in Domitiano.

5. *Tarpeia.* Hoc est: Dum durabit Capitolium, Tarpeia in rupe situm.

7. *Iuliae numen.* Iuliam, Titi nempe filiam, perdite amavit Domitianus, teste Suetonio in Domitiano cap. 22, quam mortuam ut deam coli iussit. — *Dulce numen.* Id est, carum Domitiano, aut Romanis ipsis gratum atque optabile.

Cum sole, et astris, cumque luce romana,
Invicta quidquid condidit manus, caelum est.

8. *Altum decus.* Hoc est, superbum illud templum.

10. *Coelum est.* Hoc est, immortale, aeternum ut caelum ipsum.

3. — IN LVPVM.

Pauper amicitiae quum sis, Lupe, non es amicae;
Et queritur de te mentula sola nihil.
Illa siligineis pinguescit adultera cunnis,
Convivam pascit nigra farina tuum.
Incensura nives dominae Setina liquantur;
Nos bibimus Corsi pulla venena cadi.
Empta tibi nox est fundis non tota paternis;
Haud sua desertus rura sodalis arat.
Splendet Erythraeis pellucida moecha lapillis;
Ducitur addictus, te futuente, cliens.
Octo Syris suffulta datur lectica puellae;

Lupum reprehendit avaritiae in amicos, nimiae in amicas liberalitatis. Ed. P.

1. *Pauper, etc.* Qui pauperem te simulas rogitanti amico, ecce quam subito opulescis, iuxta amicam! Ed. Par.

3. *Illa siligineis.* Et hanc Iuven. offert antithesim, sat. 5, v. 67 sqq, *panem Vix fractum, solidae iam mucida frusta farinae... Sed tener et niveus mollique siligine factus Servatur domino.* Lupus autem amicas pascebat pana siligineo (gallice, *pain de gruau*). Vide lib. XIV, epigr. 69. Ed. Par.

5. *Incensura, etc.* Amicae tuae colantur vina optima e Setia (quae quidem celeberrimis vinis Augustus antetulit. Ed. P.) et quae calore suo nives, quibus diluuntur, incendant.

6. *Corsi pulla.* Vilioris notae vini e Corsica, cuius mella, thymo, et caelum gravia. — *Venena cadi.* Vina non meliora Vaticanis, quae dixerat *toxica* lib. I, epig. 19.

7. *Fundis.* « Quantum in legione tribuni Accipiunt, donat Calvinae vel Catienae, Vt semel aut iterum super illam palpitet. » Iuv. 3, 132. Ed. P.

8. *Haud sua.* Conducta.

10. *Ducitur.* In carcerem vel aedes creditoris, cui a Praetore addicitur, aere obrutus. — Obscoenum quid (voluptatem nempe umbratilem et curtam *viri muliere carentis*) in τῷ *ducitur* ego crediderim. Ed. P.

11. *Syris.* Quae scilicet illustrium feminarum aemula, *longorum vehitur cervice Syrorum* (Iuv. sat. 6, v. 350). Lecticarii autem homines erant longi et proceri e Dalmatia saepissime aut Syria. Et quatuor vulgo lecticam sustinebant; at identidem, si haec splen-

Nudum sandapilae pondus amicus erit.
I nunc, et miseros, Cybele, praecide cinaedos;
Haec erat, haec cultris mentula digna tuis.

didissima et gravior, sex, immo octo baiuli necessarii, et inde lecticae nomen Tetraphoros, Hexaphoros aut Octophoros.

13. *I nunc, etc.* Castra miseros cinaedos, ut tibi sint sacerdotes. Ironice. Immo Lupum potius, qui amicos inguini postbabet.

4. — AD DOMITIANVM.

Quantum iam Superis, Caesar, caeloque dedisti,
Si repetas, et si creditor esse velis;
Grandis in aethereo licet auctio fiat Olympo,
Coganturque Dei vendere quidquid habent;
Conturbabit Atlas, et non erit uncia tota,
Decidat tecum qua pater ipse Deum.
Pro Capitolinis quid enim tibi solvere templis,
Quid pro Tarpeiae frondis honore potest?
Quid pro culminibus geminis matrona Tonantis?
Pallada praetereo: res agit illa tuas.

Mirifice tollit opera Domitiani, dicitque nec Iovem, nec Superos omnes solvendo pares futuros, si nomina ab illis Caesar exigat.

3. *Auctio.* Quae publica est venditio, in qua pretium ab emptoribus certatim augetur: hoc est, licet hastae subiiciantur bona Deorum et Dearum, et sic publice vendantur, pecunia tamen inde collecta non sufficit ut te creditorem dimittant.

5. *Conturbabit Atlas.* Atlas, qui caelum humeris gestat, proscribet caelum, nec unciam seu duodecimam debitorum partem colliget, uncia pars est duodecima assis, qui pro integro debito accipitur. *Conturbare* significat dissipare. Farnabius interpretatur τὸ *conturbabit*, cedet foro; Bud. caelum totum tibi decoquet.

7. *Capitolinis, etc.* Id est, quod Capitolium incendio absumptum restituisti, et novam sedem in Capitolio excitavisti Iovi custodi, quid tibi pretii solvere illi queant?

8. *Quid pro Tarpeiae.* Vide lib. IV, epigr. 54. In honorem Iovis Capitolini ludos instituit Domitianus, in quibus laureae et coronae quernae dabantur.

9. *Quid pro culminibus.* Ex his verbis colligere est Iunoni duo templa consecrasse Domitianum.

10. *Pallada praetereo.* Cui Chalcioecae templum erexisti (Cassiod. lib. VI, cap. 11), cui statuam in cubiculo consecrasti et quinquatria. Quin et Palladis filius dici volebat: cuius sacra ideo religiosissime coluit. — *Res agit illa tuas.* Illa a te stat; res tuas,

Quid loquar Alciden, Phoebumque, piosque La-
Addita quid Latio Flavia templa polo? (conas?
Exspectes, et sustineas, Auguste, necesse est;
Nam tibi quod solvat, non habet arca Iovis.

rationes et consilia disponit; tibi familiare numen est, immo mater. Quum enim Domitianus audivisset ex lib. Sibyllinis, fore, ut virgo pareret aeternum Imperatorem, nihil amplius voluit quam se esse filium perpetuae virginis Dianae.

11. *Quid loquar Alciden.* Herculi templum erexit: et ut Phoebi forte sic Castoris et Pollucis templum incendio absumptum restituit. Suetonius In Domitiano cap. 5: *Plurima et amplissima incendio absumpta restituit*, templa nempe. Laconas *pios* dixit, quod Castor et Pollux Lacaenae Ledae filii alternatim vivant. Vid. quae in epist. ad Imp. lib. VIII, de voce hac *pietas* notata sunt.

12. *Addita quid, etc.* Templum Flaviae gentis, quod caelum vertice tangit. Alibi: *Dum videt Augusti Flavia templa poli.* Tum ut Torrentius vult, *Latium polum* appellat eam veluti poli partem, cui Latinorum Romanorumque Dii transcripti fuerant, eosque inter Vespasianus. — Alii legunt, *Latio foro?* quod iuxta forum exstructum esset Flaviae gentis templum.

5. — IN AESCHYLVM.

Aureolis futui quum possit Galla duobus,
Et plus quam futui, si totidem addideris;
Aureolos a te cur accipit, Aeschyle, denos?
Non fellat tanti Galla: quid ergo? tacet.

1. *Aureolis, etc.* Nummis aureis. Quorum unus 100 sestertios (monetae nostrae, sub Augusto, 20 fr.; dehinc, paulo minus) aequabat. Ed. P.

2. *Et plus.* Innuit tacite caeteros eroticae nequitiae modos quorum nullum ista abnuit. Ed. P.

4. *Tacet.* An hic arguit usitatas feminas loquacitatis? an ipsius pungit Gallae stultitiam, quae fatuis sermonibus quidquid sibi est pulchritudinis corrumpit et rancidum facit? Eligat lector. Ed. P.

6. — IN PAVLLAM.

Nubere vis Prisco, non miror, Paulla: sapisti.
Ducere te non vult Priscus: et ille sapit.

1. *Nubere.* Diviti et nobili infamis Paulla cupiebat nubere. Priscus impuram reiecit. Ambo callide, inquit Noster: tu enim, Paulla, haud stulte agis, dum affectas nuptias divitis; sed aeque sapienter ille, qui te contemnit.

7. — AD DOMITIANVM.

Tibi, summe Rheni domitor, et parens orbis,
Pudice princeps, gratias agunt urbes :
Populos habebunt; parere iam scelus non est.
Non puer avari sectus arte mangonis
Virilitatis damna moeret ereptae;
Nec quam superbus computet stipem leno,
Dat prostituto misera mater infanti.
Qui nec cubili fuerat ante te quondam
Pudor, esse per te coepit et lupanari.

1. *Parens orbis*. Quippe quem parentem, quem patrem patriae Roma, sed non ea libera, dixit. Ed. P.

2. *Pudice*. Quod adulteria prohibuisset. Et hanc sane laudem maxime appetebat princeps alias impudicus et nullius non nequitiae manifestus. Nec magis mirum quam singularis ille quo Minervam prosequebatur cultus et amor. Immo optime duo haec consentiunt et sibi invicem aptissime cohaerent. Ed. P.

3. *Populus habebunt*, sc. gratias, legendum censet Gruterus. *Populos habebunt*. Quia nempe infanda libido tuo edicto sublata est; quod et Horatius Augusti sapientiam in administranda republica laudans : *Mos et lex maculosum edomuit nefas*. Aut, ut multis placet, quod castrari mares edicto prohibuisti. — *Parere iam*; quia non erit ulterius castratio, aut adulterium.

6. *Superbus*; nempe divitiis : saepe Nostro huius vocabuli talis usus.

7. *Dat prostituto*. Prostituendos quippe infantes a matribus conducebant lenones.

8. *Qui nec cubili*. Hoc est, sublatis adulteriis non solum pudica sunt matrimonia, sed et pudor est in lupanari, ubi iam non licet prostituere pueros.

8. — IN AFRVM.

Dicere de Libycis reduci tibi gentibus, Afer,
Continuis volui quinque diebus Ave.
Non vacat, aut Dormit, dictum bis terque reverso.
Iam satis est; non vis, Afer, avere : Vale.

Afer superbus, ex Africa redux, non admittebat Poëtam ad gratulandum ventitantem. Indignabundus poëta, vel potius iocans : Si non vis, inquit, salvere, Vale.

1. *Dicere*, etc. Volui tibi ex Africa reverso gratulari, et quinquies veni salutaturus : sed non admittebar. — *Libycis*. Libyae (Λιβύης) olim nomen Africae a Graecis impositum.

4. *Non vis*, etc. Si non vis salvere et vivere, abi in malam rem et mo-

rere: nam simul amicitias solutum foedus notat; quo pacto eos valere iubemus, quos a nobis abigimus, aut potius a quibus nos discedimus. Sic et Graecis χαίρειν. Anacreon, Od. I sub finem: Χαίροιτε λοιπὸν ἡμῖν Ἥρωες.

9. — AD DOMITIANVM.

Tanquam parva foret sexus iniuria nostri
Foedandos populo prostituisse mares;
Iam cunae lenonis erant, ut ab ubere raptus
Sordida vagitu posceret aera puer.
Immatura dabant infandas corpora poenas.
Non tulit Ausonius talia monstra pater;
Idem qui teneris nuper succurrit ephebis,
Ne faceret steriles saeva libido viros.
Dilexere prius pueri, iuvenesque, senesque;
At nunc infantes te quoque, Caesar, amant.

1. *Tanquam parva.* Huius epigrammatis idem est argumentum ac epigramm. 7 supra.

3. *Iam cunae, etc.* Supra epigr. cit. vs. 6. *Curae* pro *cunae* in codice Pulmanni; et sic legendum statuit Gruterus ex codice Palatino.

4. *Sordida.* An quod aes, si argento contuleris, sordidum? an quod infamem quaestum artibus his obtinenti ferat? Hoc melius. Ed. P.

5. *Immatura corpora.* Infantium.

6. *Non tulit, etc.* Edicto prohibuit Domitianus pueros intra septimum annum prostitui, et Scatiniam revocavit. Suet. Domit. cap. 8. — *Ausonius pater.* Domitianus quem iam patriae parentem dictum notavimus.

7. *Succurrit ephebis.* Prohibens scilicet ne castrarentur.

10. — AD BITHYNICVM.

Nil tibi legavit Fabius, Bithynice, cui tu
Annua, si memini, millia sena dabas.
Plus nulli dedit ille; queri, Bithynice, noli:

Bithynicus quotannis Fabio sex millia HS. donavit, ut tandem haeres scriberetur a Fabio, plura scilicet lativrus quam dederat. Sed Fabius artem captantis intelligens, illa sena millia consumpsit, et Bithynico moriens nil legavit. Querentem Bithynicum solatur Poëta irridendo deceptum. Noli, inquit, queri tibi nil legatum: quotannis enim tibi legavit sex millia, quae solebas antea dare Fabio, et posthac non dabis. *Rader.*

1. *Tibi legavit Fabius, etc.* Quem haeredipetam notarat.

2. *Annua.* Hoc est, quotannis.

3. *Plus nulli, etc.* In duobus quae

Annua legavit millia sena tibi.

praecedunt versiculis locutus est poëta Bithynici nomine, non suo, Bithynici, non sua verba referens. Nunc proprio nomine respondet et querentem alloquitur. Caeterum vide Raderi notam ad titulum. Ed. P.

11. — IN CANTHARVM.

Coenes, Canthare, quum foris libenter,
Clamas, et maledicis, et minaris.
Deponas animos truces, monemus;
Liber non potes, et gulosus esse.

Cantharum quemdam alloquiturqui quum parasitus esset, ferociae tamen et παῤῥησίας multum retinebat, et necessarium ait truces spiritus cohibere: trechedipna enim induenti exuendam libertatem. Ed. P.

1. *Liber non potes.* Etenim parasitus instruatur necesse est octava arte ingenua, hoc est, adulatoria; gulosus coenipeta loquitur placentia, ut qui libertatem dapibus vendiderit. Lib II, epigr. 53: *Liber eris, coenare foris si, Maxime, nolis.*

12. — DE EARINO DOMITIANI.

Nomen cum violis, rosisque natum,
Quo pars optima nuncupatur anni;
Hyblam quod sapit, Atticosque flores,
Quod nidos olet alitis superbae;
Nomen nectare dulcius beato,

Iocatur hic Noster, quod et in duobus quae sequuntur, in nomine Earini, Domitiani eunuchi ex pulcherrimis et amatissimis: et ait nomen quidem dulce esse, quod a vere sit deductum (Graecis enim ἔαρ *ver* sonat), at idem contumacibus syllabis constare quae neque hexametri neque Ενδεκασυλλάβων rhythmo congruant. Ii enim versus dactylos tantum aut spondaeos aut trochaeos recipiunt. Vocis autem istiusce *Earinus* tres primae syllabae breves. Sed quid obstitit, scire velim, quominus hic Noster Iambicis aut scazonte uteretur? Ed. P.

2. *Nominatur anni* Pulmanni codex. — *Pars optima.* Ver enim pulcherrima est anni tempestas, qua nempe violae et rosae, atque omne florum genus nascitur.

3. *Hyblam.* Montem Siciliae, ubi multi flores, unde melle abundat. — *Atticosque flores.* Quos delibant apes in Hymetto, Atticae monte.

4. *Alitis superbae.* Hoc est, phoenicis. Lib. V, 37, et VI, 55.

5. *Beato.* Caelicolum proprio; *beati*

Quo mallet Cybeles puer vocari,
Et qui pocula temperat Tonanti;
Quod si Parrhasia sones in aula,
Respondent Veneres, Cupidinesque;
Nomen nobile, molle, delicatum
Versu dicere non rudi volebam:
Sed tu, syllaba contumax, repugnas!
Dicunt Earinon tamen Poëtae,
Sed Graeci, quibus est nihil negatum,
Et quos Ἀρες Ἀρες decet sonare:
Nobis non licet esse tam disertis,
Qui Musas colimus severiores.

enim pro Dii, ut et Μάκαρες Graecis pro Θεοί. Ed. P.

6. *Cybeles puer.* Atys nempe seu Attis, de quo lib. II, epigr. 86.

7. *Et qui pocula.* Ganymedes scilicet.

8. *Parrhasia, etc.* Palatina. Lib. VII, epigr. 56, vs. 2.

9. *Respondent.* Hoc est, quum tu loqueris, omnis suavitas atque elegantia finit ab ore tuo.

12. *Tu syllaba, etc.* Prima brevis cum reliquis paribus officit, quominus versu eleganti dicatur. Ita fere *Equotutium* Horatius, *Sigillaria* Lucilius circumloquuti sunt, seu potius coniiciendo dedere, dicentes hic, *Quae versu hexametro non plane dicere possis*; et ille, *Quod versu dicere non est, etc.*

13. *Dicunt, etc.* Επ' ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν. Homer. Il. B. — *Earinon tamen.* Cuius primam brevem producunt graeci poëtae. — Novit sane quisquis graecae poëseos elementa delibavit, antiquis iis in pangendis versiculis nihil non licuisse; syllabas v. g. fere ad libitum interpolari, recidi, corripi, produci, etc. Ed. P.

15. Ἀρες Ἀρες. Homer. Il. E. Ἀρες, Ἀρες, βροτολοιγὲ, μιαιφόνε, τειχεσιπλῆτα, ubi prima in Ἀρες communiter, sed variato accentu. Hinc et Lucilius lusit, Ἀρες Ἀρες *Graeci ut faciunt*.

16. *Nobis non licet.* Eadem licentia uti nobis poëtis Latinis non licet

13. — DE EODEM.

Si daret autumnus mihi nomen, Οπώρινος essem;
Horrida si brumae sidera, Χειμέρινος·
Dictus ab aestivo Θέρινος tibi mense vocarer:
Tempora cui nomen verna dedere, quis est?

Idem est argumentum ac praecedentis epigramm. cuius adi notam primam.

1. Οπώρινος. Id est, Autumnalis.

2. Χειμέρινος. Hibernus.

3. Θέρινος. Aestivus.

4. *Quis est?* Εάρινος nimirum, hoc est, *Vernus*.

14. — DE EODEM.

Nomen habes, teneri quod tempora nuncupat anni,
  Quum breve Cecropiae ver populantur apes;
Nomen, Acidalia meruit quod arundine pingi,
  Quod Cytherea sua scribere gaudet acu;
Nomen Erythraeis quod litera facta lapillis,
  Gemma quod Heliadum pollice trita notet;
Quod penna scribente grues ad sidera tollant;
  Quod decet in sola Caesaris esse domo.

1. *Teneri anni.* Id est veris; quod et per similem περίφρασιν Ovidius Metam. lib. XV, 201, Pythagoram inducens, significat : *Nam tener, et lactens, puerique simillimus aevo Vere novo est annus.* Ed. P. — *Nomen habes.* Earini nomen a vere deductum.

2. *Quum breve.* Hoc est, flores veris, qui breviter marcescunt.

3. *Acidalia arundine pingi.* Calido calamo? an columbae penna, quae Veneris avis? an penna seu sagitta Cupidinis, Veneris filii?

5. *Nomen Erythraeis.* Uniones et margaritas intelligas, quae in Erythraeo seu Rubro mari reperiuntur.

7. *Quod penna scribente.* Grues, inquiunt Interpretes, gregatim volando literam *Y* efficiunt, quae affinitatem habet cum Latina litera *V*, veris scil. prima. Vide lib. XIII, epigramm. 75. Alii forte melius legunt, *penna stridente*; suo enim adventu veris quoque adventum nuntiant et celebrant grues, atque ita Earini nomen a vere deductum videntur pariter celebrare. Iudicet lector.

8. *In sola Caesaris, etc.* Quo nulla domus, nisi principalis, nisi regia, nisi perpetuum florens et virens, digna videatur. Ed. P.

15. — IN AMICVM COENIPETAM.

Hunc, quem coena tibi, quem mensa paravit amicum,

Monet hic nescio quem de amico coenipeta, quem ait non hospitis, sed hospitalis mensae amantissimum, et qui, ut solitum, *diffugiet cadis Cum faece siccatis.* Ed. P. — Coenipetam enim esse πάμφιλον, id est, omnium assentatorem, et nulli vere et sancte amicum. *Errat*, inquit Seneca, *qui amicum in atrio quaerit, in convivio probat.*

1. *Quem coena.* Horum amicorum duo sunt genera: quorum alios τὸ σχῆμα honestiores amicitia dignos iudicamus, quum tamen nidore culinae potius, quam amicitiae honestate aut voluptate ducantur, περὶ τήγανον, καὶ μετ' ἄριστον φίλοι, ut dicebat Eupolis; alios minus periculosos et apertos, parasitos nuncupamus. *Herald.* — *Hunc quem.* Lepidus es, qui quod sodalitium

Esse putas fidae pectus amicitiae?
Aprum amat, et mullos, et sumen, et ostrea, non te.
Tam bene si coenem, noster amicus erit.

tibi mensa conciliavit, amicitiam existimas!

2. *Esse putas fidae, etc.* Magna vero amicitia et prodigiosa, si amici illi φίλου σκιὰν tantum habent.

3. *Aprum amat, etc.* Hic licet Iuvenalis meminisse et, immutato aliquantulum versu, dicere: *O aper! o mulli! vobis hunc praestat honorem, Vos amat.* Ed. P. — *Sumen*; cibi genus maximo in pretio apud Romanos; sed non satis constat quid fuerit sumen. Volunt alii illud factum ex papillis suillis uno die post partum sectis ac salitis. Noster lib. XIII, epigr. 44. Sumen alii putant esse loc suis extractum ac densatum sue occisa. Caeterum *sumen* proprie a *sugendo* dictum; Nam et mulieris mammam *sumen* veteres dici voluerunt. Lucil. Sat. lib. IV: *Quod si nulla potest mulier tam corpore duro Esse, tamen tenero maneat sucussa laserto, Et manus uberior lactanti in sumine sidat.* Ed. P.

16. — DE CHLOE.

Inscripsit tumulo septem celebrata virorum
Se fecisse Chloë: quid pote simplicius?

1. *Celebrata.* Solemnia busta intelligit Domitius; sed sane epithetum est, quod refertur ad Chloen: hoc est, famosa Chloe.

2. *Se fecisse.* Haec nempe erat inscriptio tumuli, *Chloe fecit*; iocus autem et acumen in voce ambigua *fecit*, qua inscia illa significat non solum se epitaphium, vel tumulum septem maritis posuisse, at se eorum mortis causam, quippe quos ab ea sublatos veneno. *Et otiosa credidit Neapolis Et omne vicinum oppidum.* — *Pote*, neutrum ab adiect. *Potis*; id est, potest esse, ut in Cicer. ad Atticum XIII, epist. 38: *hoc quidquam pote impurius?* Catul. 77, 16: *Hoc facies, sive id non pote, sive pote.* Propert. II, 1: *Qua pote quisque, in ea conterat arte diem.* Lucret. lib. III: *Nec devitari letum pote, quin obeamus.* In plurali *potis sunt*, idem ac *possunt*. Ed. P.

17. — DE COMA EARINI.

Consilium formae speculum, dulcesque capillos,

Comam suam detonsam Earinus, Domitiani eunuchus, paulo ante quam lex vetaret, sectus, misit cum speculo Pergamum Aesculapio, deo patrio, nam et Earinus erat Pergamenus. Speculum vero eodem ritu, quo virgines pupas Veneri, milites emeriti arma Herculi donabant. Hanc comam venusto carmine Stat. Sylv. lib III, et hic Martialis immortalem reddunt.

Pergameo posuit dona sacrata Deo,
Ille puer tota domino gratissimus aula,
Nomine qui signat tempora verna suo.
Felix, quae tali censetur munere tellus!
Nec Ganymedeas mallet habere comas.

1. *Consilium formae speculum.* A quo consilium petere solebat de forma sua.

2. *Pergameo, etc.* Aesculapio, cui nobile fanum Pergami, patrio suo Deo. Pergamus est, Ptolemaeo teste, Troadis urbs in Asia Minore, Galeni patria, et chartarum, quae Pergamenae dicuntur, inventrix. In hac nobile fanum Aesculapii visebatur, qui inde Pergamenus est dictus.

3. *Domino gratissimus.* Hoc est, quem Domitianus amabat prae caeteris omnibus pueris Palatii. — *Ille puer, etc.* Earinus.

4. *Nomine qui.* Earinus enim a vere (ἔαρ) nomen duxit.

5. *Felix, quae tali, etc.* Pergamea tellus beata tanto munere.

6. *Ganymedeas comas.* Ganymedes Trois filius, ita vultu et caesarie insignis fuit, ut Iupiter eum deperiret, et in caelo sibi a poculis esse, Hebe deiecta, iusserit: unde finxerunt fabulae illum a Iove in aquilam converso raptum fuisse, quum in Ida monte venaretur.

18. — DE EADEM AD AESCVLAPIVM.

Latonae venerande nepos, qui mitibus herbis
Parcarum exoras pensa, brevesque colos;
Hos tibi laudatos dominos sua vota capillos
Ille tuus Latia misit ab urbe puer.
Addidit et nitidum sacratis crinibus orbem,
Quo felix facies iudice tota fuit.

Rogat Pergameum Deum Aesculapium, uti Earinum tonsum tam formosum servet, quam fuerat intonsus.

1. *Latonae nepos.* Latona peperit Apollinem, ex quo et Coronide nympha natus est Aesculapius medicinae inventor. — *Qui mitibus herbis.* Propter Hippolytum vitae ab Aesculapio restitutum.

2. *Parcarum exoras pensa.* Ab Aesculapio enim Hippolytum vitae restitutum fabulantur Poëtae. — *Breves colos.* Eleganter pro *brevem vitam dispensantes*.

4. *Ille tuus.* Earinus quippe Pergameus erat, epigr. praecedenti.

5. *Addidit et nitidum.* Speculum, quod consilium formae vocavit superiori epigr., nunc iudicem appellat et quidem incorruptum; quippe quod acceptam formae speciem sincere reddit.

Tu iuvenile decus serva, ne pulchrior ille
In longa fuerit quam breviore coma.

7. *Tu iuvenile.* Aesculapi, quo favente vigor et sanitas diu retinentur, sanitatem et venustatem in hoc puero retine. — *Ne pulchrior, etc.* Neque rescissa caesarie rescindatur decus; neque illi, breviore coma, minor adsit pulchritudo. Eo. P.

19. — AD CAESAREM DOMITIANVM.

Est mihi, sitque precor longum te praeside, Caesar,
Rus minimum: parvi sunt et in urbe Lares.
Sed de valle brevi, quas det sitientibus hortis,
Cur laboratas antlia tollit aquas.
Sicca domus queritur nullo se rore foveri,
Quum mihi vicino Martia fonte sonet.
Quam dederis nostris, Auguste, Penatibus undam,
Castalis haec nobis, aut Iovis imber erit.

Ait se rusculum habere suburbanum, et urbanam domum; utrumque sitire, et rus et domum: sed agellum posse se irrigare, hausta de vicina valle aqua; domum non posse: petit ergo venulam aquae Martiae non procul inde salientis.

3. *Sitientibus herbis* Langius, sine ulla notatione, quum sit *hortis* in aliis vett. — *Brevi, quas det, etc.* Sed de valle subiecta, aqua horto irrigando hauritur.

4. *Laboratas.* Labore multo petitas. — *Antlia tollit aquas.* Haustrum, machina ad hauriendum. Ab ἀντλέω.

7. *Quam dederis nostris, etc.* E qua Martia si per te mihi licuerit, o Domitiane, diducere venulam aquae in aedes meas, quas ea scis summopere indigere.

8. *Castalis haec nobis.* Hoc est, illa aqua aeque mihi grata erit, ac si e fonte Musarum aut ab ipso Iove daretur; imbrem aureum, in quem conversus fuit Iupiter quum adiit Danaën, forte intelligit. De aqua Castalia, lib. VII, epigr. 22.

20. — IN SABELLVM.

Laudas balnea versibus trecentis
Coenantis bene Pontici, Sabelle.
Vis coenare, Sabelle, non lavari.

1. *Laudas balnea.* Non quod illa probabat, sed quod coenam captabat. Lib. II, epigr. 14. — *Versibus trecentis.* Hoc est magna carminum profusione, non autem definito numero. Item Plaut. Persa, act. III, 3, 6: *Trecentis versibus tuas impuritias loqui nemo potest.* Horat. II, od 4, 79: *Trecentae Pirithoum cohibent catenae.* Idem l. I, sat. VI: *Trecentos inseris, ohe!* Eo. P.

21. — AD DOMITIANVM.

Haec, quae tota patet, tegiturque et marmore et auro,
Infantis domini conscia terra fuit.
Felix, quae tantis sonuit vagitibus, et quae
Vidit reptantes, sustinuitque manus!
Hic steterat veneranda domus, quae prestitit orbi,
Quod Rhodos, astrifero quod pia Creta polo.
Curetes texere Iovem crepitantibus armis,
Semiviri poterant qualia ferre Phryges.
At te protexit Superum pater, et tibi, Caesar,
Pro iaculo et parma, fulmen et aegis erat.

1. *Haec, quae tota patet.* Illic enim conditum est templum Flaviae gentis marmoreum atque inauratum, quod possunt omnes adire.

2. *Infantis domini.* Hic locus nascentem Domitianum excepit.

3. Gruterus scripturam Palatini probat, legentis: *O felix quantis sonuit vagitibus, et quae.* — *Quae tantis, etc.* Quae suscepit Domitianum, ut Rhodos Neptunum, ut Creta Iovem. Vel, quae non minus praestitit orbi, suscepto Domitiano, quam Rhodos et Creta caelo, Iove suscepto.

7. *Curetes.* Cybeles sacerdotes qui Iovem clam subductum Saturno aluerunt in Creta insula.

8. *Semiviri.* Corybantes seu Curetes, Cybeles comites, castrati, ex Phrygia orti.

9. *At te protexit.* Vitelliano bello, delitescentem in Capitolio.

10. *Iaculo, etc.* Ense et scuto, quae Corybantum arma sunt.

22. — AD AVCTVM.

Artemidorus habet puerum; sed vendidit agrum:
Agrum pro puero Calliodorus habet.
Dic, uter ex istis melius rem gesserit, Aucte?
Artemidorus amat, Calliodorus arat.

Ludit in Paronomasia versus ultimi, et antithetis vocum *amat* et *arat.*

23. — AD PASTOREM.

Credis ob hoc me, Pastor, opes fortasse rogare,
Propter quod vulgus crassaque turba rogat;

Liberalem sibi inesse animum profitetur.

2. *Propter quod.* Ad lusum nempe et voluptates, plerique vulgo divitias optant.

Vt Setina meos consumat gleba ligones,
Et sonet innumera compede Tuscus ager;
Vt Mauri Libycis centum stent dentibus orbes,
Et crepet in nostris aurea lamna toris;
Nec labris nisi magna meis crystalla terantur,
Et faciant nigras nostra Falerna nives;
Vt Canusinatus nostro Syrus assere sudet,
Et mea sit culto sella cliente frequens;
Aestuet ut nostro madidus conviva ministro,
Quem permutatum nec Ganymede velim;
Vt lutulenta linat Tyrias mihi mula lacernas,
Et Massyleum virga gubernet equum.
Est nihil ex istis: superos, ac sidera testor.
Ergo quid? Vt donem, Pastor, et aedificem.

3. *Vt Setina.* Setia civitas Latii, unde optimum vinum.

4. *Innumera compede.* Hoc est, ut innumeri servi compedibus vincti opus faciant in meis Etruriae agris. Lib. III, epigr. 29, vs. 1. Vinciebantur servi in agris. Tibullus, lib. II, 6, 25: *Saepe etiam valida solatur compede vinctum, Crura sonant ferro: sed canit inter opus.*

5. *Vt Mauri Libycis.* Hoc est, mensae allatae ex Mauritania impositae dentibus Libycis, id est, dentibus eburneis elephantorum, quibus abundat Libya. Lib. II, epigr. 43: *Tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes.* Tò *centum* forte refertur ad *orbes.*

6. *Et crepet.* Aurea nempe bractea lecti, quibus accumbebant, ornabantur.

7. *Crystalla.* Quae apud Romanos summo erant in pretio.

8. *Faciant, etc.* Dum nives quibus diluitur vinum Falernum, nigrescunt a vino. — Nigrescunt vero quia Falernum subnigri coloris est.

9. *Vt Canusinatus.* Hoc est, ut servi ex Syria missi vestibus induti ex lana Canusina confectis, de qua lib. XIV, epigr. 127 et 129. — *Assere sudet.* Id est, sub lecticae ligno prominenti, cui servi humeros subiiciunt: Canusium vero Apulorum Dauniorum oppidum.

10. *Frequens.* Stipata. Nec ideo petit divitias, ut habeam multos anteambulones, comites, clientes togatos.

11. *Aestuet ut nostro.* Amore nimirum nostri Ganymedis. Vid. infra, epigr. 26. — *Madidus*, vino.

13. *Tyrias mihi.* Vt mihi mula vecto vestes purpureae inquinentur.

14. *Et Massyleum.* Massyli seu Numidae virga, non fraenis, regunt equos.

24. — AD CARVM.

O cui virgineo flavescere contigit auro,
Dic ubi Palladium sit tibi, Care, decus?
Aspicis en Domini fulgentes marmore vultus,
Venit ad has ultro nostra corona comas.
Albanae livere potest pia quercus olivae,
Cinxerit invictum quod prior illa caput.

1. *O cui.* Quaerit a Caro suo amico, ubinam posuerit auream coronam, qua donatus fuerat in ludis celebratis in honorem Minervae, lib. IV, ep. 54; unde aurum virgineum dicitur, quasi ab ipsa virgine Minerva donatum.

2. *Palladium decus.* Id est, Palladia corona, sive in certamine Palladi sacro reportata, et quasi ab ipsa Pallade accepta. Sic *regium decus*, diadema et corona regia.

3. *Aspicis en.* Respondet Carus marmoreae Domitiani statuae se imposuisse suam coronam.

5. *Albanae livere.* Subiungit Martialis: Querna corona quam solet ferre Imperator, lib. VIII, epigr. 82, poterit invidere huic olivae Albanae, hoc est, coronae aureae factae in similitudinem foliorum olivae, quam tu, o Care, in Albano monte, ubi celebrabantur Quinquatria, reportasti, et qua coronasti statuam Caesaris: pia autem quercus dicitur, quod Iovi dicata sit.

25. — AD EVNDEM.

Quis, Pallatinos imitatus imagine vultus,
Phidiacum Latio marmore vicit ebur?
Haec mundi facies; haec sunt Iovis ora sereni;
Sic tonat ille Deus, quum sine nube tonat.
Non solam tribuit Pallas tibi, Care, coronam;
Effigiem domini, quam colis, illa dedit.

Idem argumentum de statua Domitiani, quam in aedibus suis factam colebat Carus: huius elegantiam artemque praedicat.

1. *Pallatinos vultus.* Hoc est, quis statuarius Domitiani (Palatinam domum habitantis) formam tam bene expressit, ut ipsum Phidiam caelando ebore praestantem, de quo lib. IV, epigr. 13, superaverit?

3. *Haec mundi.* Hoc est, facies illa quam mundus adorat et veneratur, quae mundum regit. — *Haec sunt Iovis ora.* Talis fingitur Iovis facies, sed placidi, sed sereni. Ita Theseus de Plutone apud Senecam in Herc. Fur. vs. 723 *Vultus est illi Iovis, Sed fulminantis.*

4. *Quum sine nube tonat.* Hoc est, sine ira, quae frontis serenitatem turbet.

5. *Non solam.* Minerva dedit coronam de qua epigr. praeced.; sed praeterea hanc Domitiani statuam munerata est, cuius mirum artificium nulli potest nisi ipsi tribui.

26. — IN AFRVM.

Dantem vina tuum quoties aspeximus Hyllum,
  Lumine nos, Afer, turbidiore notas.
Quod, rogo, quod scelus est mollem spectare mini-
  Aspicimus solem, sidera, templa, Deos. (strum?
Avertam vultus, tanquam mihi pocula Gorgon
  Porrigat, atque oculos oraque nostra tegam?
Trux erat Alcides; sed Hylam spectare licebat.
  Ludere Mercurio cum Ganymede licet.
Si non vis teneros spectet conviva ministros:
  Phineas invites, Afer, et Oedipodas.

Zelotypum irridet, rogans an nefas pulchra intueri, an ergo nefas in venustum pocillatorem oculos conjicere.

1. *Hyllum.* Pulchrum nempe et *nigris oculis nigroque crine decorum*, ut ait Horat. Carm. lib. I, od. 32, 11. Ed. P.

2. *Lumine turbidiore notas.* Timens nempe ne quis eum amet, et amato potiatur.

5. *Gorgon.* Sic dicitur Medusa, quod e tribus Gorgonibus apud poëtas est celebratissima, quamvis sola morti obnoxia esset, quum duae illius sorores neque senectutem, neque mortem pati possent. Hanc raptam et in templum Minervae translatam Neptunus compressit. Minerva, ut aiunt alii, formosam Medusae comam in angues horridos vertit, et illius oculis eam indidit vim, qua mutaret in saxa, quoscumque aspiceret. Ed. P.

7. *Sed Hylam.* Herculis puerum notissimum.

10. *Phineas.* Accusativus est graecus. Phineus duas uxores duxit; alterius jussu susceptos ex priore liberos excaecavit, quam ob causam et ipse a Diis excaecatus est. Oedipi vero historia nota est ex antiquis omnibus, qui, cognitis suis sceleribus, sibi ipse oculos effodit. Sensus est: O Afer, caecos invites.

27. — DE NERVA.

Audet facundo qui carmina mittere Nervae,
  Pallida donabit glaucia, Cosme, tibi;
Paestano violas, et cana ligustra colono,

2. *Pallida, etc.* Ille non minus inepte facit, quam qui Cosmo seplasiario atque myropolae optimo mittit vilem pallentis meminthes sive paveris corniculati succum, qui glaucium vocatur.

3. *Paestano violas.* Paestum, quae et *Posidonia* quia Neptuno (Graece

Hyblaeis apibus Corsica mella dabit.
Sed tamen et parvae nonnulla est gratia Musae :
Appetitur posito vilis oliva lupo.
Nec tibi sit mirum, modici quod conscia vatis
Iudicium metuat nostra Thalia tuum.
Ipse tuas etiam veritus Nero dicitur aures,
Lascivum iuvenis quum tibi lusit opus.

Ποσειδῶν) sacra (hodie *Agropilli*), Lucaniae oppidum. Ager autem Paestanus omni florum genere abundavit, at rosarum praecipue. Ed. P.

4. *Hyblaeis*, *etc.* Ipse apibus, vel, iis, qui habent apes Hyblaeas, mittet amari saporis mella Corsica. — *Corsica mella.* Amari nempe saporis.

6. *Appetitur*, *etc.* Neque enim appositis in lautissimo convivio delicatis piscibus, fastidimus viles olivas. — *Posito lupo.* Pisce delicato.

7. *Nec tibi.* Nervam alloquitur, cuius aurem censoriam timebat ipse Nero.

10. *Lusit opus.* Fortean Nerva unus ex iis adolescentulis quibus id officii apud principem fuit *considere simul*, *et adlatos vel ibidem repertos versus connectere*, *atque ipsius verba quoquo modo prolata supplere.* Tacit. Annal. lib. XIV, cap. 16. *Ludere* vero est, levia scribere; Virg. Eclog. 1, vs. 10: a *Ludere* quae vellem calamo permisit agresti. a Ed. P.

28. — IN CHRESTVM.

Quum depilatos, Chreste, coleos portes,
Et vulturino mentulam parem collo,
Et prostitutis laevius caput culis,
Nec vivat ullus in tuo pilus crure,
Purgentque crebrae cana labra volsellae;
Curios, Camillos, Quintios, Numas, Ancos
Et quidquid usquam legimus pilosorum
Loqueris, sonasque grandibus minax verbis;
Et cum theatris saeculoque rixaris.
Occurrit aliquis inter ista si draucus,

3. *Prostitutis*, *etc.* Cinaedorum.

5. *Purgentque.* Vide lib. II, epigramm. 29.

6. *Curios*, *etc.* Et habes usque in ore Curii, Numae et μακροπωγόνων veterum incultam gravitatem et continentiam. Sic lib. I, epigr. 25.

9. *Et cum theatris*, *etc.* Et exclamas: O tempora! o mores! indignatus theatra et saecula haec, quasi ludicra et lasciva nimis.

Iam paedagogo liberatus, et cuius
Refibulavit turgidum faber penem,
Nutu vocatum ducis, et pudet fari,
Catoniana, Chreste, quod facis lingua.

11. *Iam paedagogo*. Qui ex ephebis excesserit.

12. *Refibulavit turgidum*. Fibulam solvit et sustulit.

13. *Pudet fari*. Iubet me pudor tacere quid agat lingua tua, qua te profiteris tertium moribus Catonem. — Vel qua nihil crepas nisi Catone digna.

14. *Facis lingua*. Vt et lib. II, epigramm. 72.

29. — EPITAPHIVM LATINI.

Dulce decus scenae, ludorum fama, Latinus
Ille ego sum, plausus, deliciaeque tuae:
Qui spectatorem potui fecisse Catonem,
Solvere qui Curios Fabriciosque graves.
Sed nihil a nostro sumpsit mea vita theatro,
Et sola tantum scenicus arte feror:
Nec poteram gratus Domino sine moribus esse;
Interius mentes inspicit ille Deus.
Vos me laurigeri parasitum dicite Phoebi,

Latinum arte mimica nobilem et immortalem laudat a morum innocentia, et vita procul a scenica licentia distante.

1. *Dulce decus*. Iam τὸ *dulcis* aut *dulce* hisce verbis, *decus*, *gloria*, frequenter iungi notatum est. Ed. P.

2. *Plausus*. Sic lib. X, epigr. 53, de Scorpo, *plausus*, *Roma*, *tui deliciaeque breves*.

3. *Fecisse Catonem*. Virum nempe omnium gravissimum, seu Vticensem intelligas, seu censorem. Recurrere est ad lib. I, epigr. 1.

4. *Solvere qui*. Hoc est, risum excitare Curiis et Fabriciis viris severis, de quibus Livius, et passim alii.

5. *Sed nihil a verso* in Vat.; unde Beverl. legi iussit: *Sed nihil a vestro*. Nostram lect. habent edd. vett. — *Sed nihil*. Hoc est, gestu quidem lascivus fui, at moribus probus; sic Martialis de se ipso, lib. I, epigr. 5, vs. 8: *Lasciva est nobis pagina, vita proba est*.

6. *Et sola arte*. Moribus enim probus sum.

7. *Nec poteram*, *etc*. Sanctimoniae nempe et castitatis gloriam Domitianus aucupabatur. Vnde supra: *Tibi*, *pudice princeps*, *gratias agunt urbes*, etc. et similia passim. Ed. P.

9. *Parasitum dicite Phoebi*. Turnebus lib. XXI, cap. 24 Mimi et histriones dicti sunt parasiti Apollinis: aliquando parasitos Apollinis inter-

Roma sui famulum dum sciat esse Iovis.

pretatur Verrius mimos secundarum partium, quod ludis Apollinaribus in mimis fere essent parasiti illarum partium actores, etc.

10. *Roma sui.* Hoc est, dum sciat Roma me exercuisse artem scenicam propter Domitianum Deum, non autem propter alios.

30. — EPITAPHIVM PHILAENIS.

Saecula Nestoreae permensa, Philaeni, senectae,
Rapta es ad infernas tam cito Ditis aquas?
Euboicae nondum numerabas longa Sibyllae
Tempora, maior erat mensibus illa tribus.
Heu quae lingua silet! non illam mille catastae
Vincebant, nec quae turba Serapin amat;
Nec matutini cirrata caterva magistri,

Epitaphium Philaenis, sagae, lenae et lupae; cui terram levem precatur, et tam levem ut illius corpus a canibus effossum devoretur.

1. *Nestoreae permensa.* Hoc est, quae attigisti annos Nestoris.

2. *Tam cito.* Hoc est, tam mature: id quod per ironiam dictum Poëtae perspicuum est.

3. *Euboicae Sibyllae.* Hoc est, Cumanae, de qua Virgilius Ecloga IV; quae a Phoebo impetraverat, ut tot annos viveret, quot arenarum corpuscula manu capere posset. Ovidius Met. XIV. — *Euboicae.* Euboea enim insula Aegaei maris, in qua Chalcis civitas; et Chalcidici coloniam Cumas deduxere, unde et ipsae Cumae Euboicae dictae.

4. *Maior erat, etc.* Fingit hyperbolice poëta defuisse Philaenidi tres tantum menses de aetate Sibyllae. Scriverius conceptum hariolatur *messibus.* Sed prior scriptura pluribus magis arridet.

5. *Quae lingua silet!* Quam vocalis et Stentorea! scilicet loquacissimam fuisse ostendit. — *Catastae.* Servi in catastis, id est, pegmatibus, ita venales expositi Lib. VI, epigr. 29, vs. 1.

6. *Quae turba, etc* Isidis sacerdotes invento Osiri, Iuven. sat. VIII, vs. 28; vel impura turba quae in Serapidis sacris solennibus ad Canopum per fossam ex Alexandris descendunt in naviculis cantantes, frementes, etc. Strabo, lib. XVII. — *Turba Serapin, etc.* Deum Aegyptiorum, cuius solennia celebrabant Aegyptii magnis clamoribus. Strab. libro eodem.

7. *Cirrata caterva magistri.* Pueri cirrati in scholis. Pers. sat. I, vs. 29. — *Nec matutini.* Hoc est, nec pueri, qui summo mane iam magistrum adibant. Iuv. Sat. VII, 222, alloquens magistrum: *Dummodo non pereat, mediae quod noctis ab hora Sedisti, qua nemo faber, qua nemo sederet, Qui docet obliquo lanam deducere ferro, etc.*

Nec quae Strymonio de grege ripa sonat.
Quae nunc Thessalico Lunam deducere rhombo,
Quae sciet hos illos vendere lena toros?
Sit tibi terra levis, mollique tegaris arena,
Ne tua non possint eruere ossa canes.

8. *Strymonio grege, etc.* Gruibus, imminente tempestate vel hyeme, magno cum clangore e Thracia, cuius Strymon fluvius, advolantibus. — Iusta vero Strymonis ripas multae erant grues (Virg. Georg. I, Strymoniaeque grues); quae gregatim vivere solent; unde eas per hanc περίφρασιν, *Strymonio de grege*, designat.

9. *Thessalico.* Thessaliam olim veneficiis atque incantationibus famosissimam fuisse, satis notum. Vide Apuleii celeberrimum opus Asinum aureum. — *Rhombus* turbo erat, quem in orbem agebant veneficae. Theocriti Pharmaceutria. Horatius, Epod XVII, *Canidia parce vocibus tandem sacris, Citumque retro solve, solve turbinem.* Et noster poëta lib. XII, epigr. 57.

10. *Lena.* Amorum est conciliatrix.

31. — IN PIETATEM NIGRINAE.

Cappadocum saevis Antistius occidit oris
Rusticus: o tristi crimine terra nocens!
Rettulit ossa sinu cari Nigrina mariti,
Et questa est longas non satis esse vias: 4
Quumque daret sanctam tumulis, quibus invidet, ur-
Visa sibi est rapto bis viduata viro. (nam,

Antistii Rustici tumulus, et pietas Nigrinae describitur.

3 *Rettulit ossa, etc* Ex Armeniae Cappadocia Romam. Ita enim solebant ossa amicorum et carorum, e terra peregrina ad patrium solum referre. Et Sic Germanici e Syria Romam Agrippina. Tac. Annal. III, cap. 1. Quod ut fieret, multi etiam testamento cavebant, ut patet ex Inscriptionibus. Mulieres autem ossa sinu legebant, ut Heraldus docet lib. I. Adversarior. Ed. P.

4. *Et questa est.* Quamvis ex Cappadocia longum esset iter Romam, tamen quia illic mariti reliquias tumulo condere debebat Nigrina, cupiebat etiam longius esse, ne tam cito reliquias, quas sinu fovebat, deponeret.

5. *Quibus invidet, urnam.* Ereptu-ris illi et servaturis ossa mariti in urna deposita.

6. *Bis viduata viro.* Primo quum occidit maritus, et rursus quum eius ossa condere coacta est.



32. — DE VELII VOTO.

Dum comes Arctois haereret Caesaris armis
Velius, hanc Marti pro duce vovit avem.
Luna quater binos non tota peregerat orbes,
Debita poscebat iam sibi vota Deus.
Ipse suas anser properavit laetus ad aras,
Et cecidit sanctis hostia parva focis.
Octo vides patulo pendere numismata rostro
Alitis? haec extis condita nuper erant.
Quae litat argento pro te, non sanguine, caesa
Victima, iam ferro non opus esse docet.

Velius Crispus in expeditione Sarmatica, sequutus Domitianum, vovit Marti anserem, velut custodem Caesaris: hunc laudat Poëta, et simul auctorem pacis esse Caesarem ex numismatum symbolo ostendit. *Rader.*

1. *Dum comes Arctois.* De expeditione Sarmatiae, quae est ad Septemtrionem, iam saepe dictum. Vida lib. VII, epigr. 5. Vibii cuiusdam mentionem facit Suetonius in Domitiano cap. 3.

2. *Vovit avem.* Anserem nempe Romani Imperii custodem.

3. *Luna quater binos.* Nondum elapsi erant octo menses, iam Sarmaticum bellum erat confectum.

4. *Deus.* Mars; redeunte Caesare, parta ex Sarmatis laurea.

5. *Ipse suas anser.* Quum autem renitens iret ad aras, quae immolanda erat victima, omen infaustum habebatur.

6. *Et cecidit.* Solenne verbum in sacris.

7. *Octo vides.* At Martis sane statuam posita fuit argentea anseris effigies, ex cuius rostro pendebant octo nummi, qui octo menses in peragendo bello Sarmatico insumptos significarent.

8. *Haec extis.* Nempe anseris praecordiis condita erant numismata, dum bellum fieret.

9. *Quae litat argento.* Intelligere hic videtur Poëta, temporibus Domitiani argenteam aetatem rediisse, quum dicat, iam non opus esse ferro. Forte, inquit Raderus, intelligit, non sanguine, nec pugna, sed argento a barbaris redemptam fuisse pacem, ut patet ex Dionis fragmento, item e Tac. Agr. cap. 61: at sic intellectus sensus Carminis Velio sane et Martiali gravissimum damnum allulisset. Iudicet lector.

33. — QVALEM VELIT AMICAM.

Hanc volo, quae facilis, quae palliolata vagatur;

1. *Palliolata.* Nam *palliolum* et *pallium* veteres non tantum quo humeros tegerent, sed etiam quo capita velarent, appellarunt. Et id ci-

Hanc volo, quae puero iam dedit ante meo;
Hanc volo, quam redimit totam denarius alter;
Hanc volo, quae pariter sufficit una tribus.
Poscentem nummos, et grandia verba sonantem,
Possideat crassi mentula Burdigali.

naedis et mollibus usitatissimum. *Palliola* quoque mulierum, et praecipue meretricum. Sic Ovid. Art. Am. lib. I, 733: *Arguat et macies animum: nec turpe putaris Palliolum nitidis imposuisse comis.* Ita enim vetustissimae membranae scriptum exhibent, quamquam vulgatae omnes editiones habeant *Pileolum, etc.* SALM. — Alii interpretantur: non togata, non stolata, sed ancillari habitu vestita.

3. *Alter.* Duo denarii. Viliores hae *Diobolares* a Plauto eleganter appellantur.

6. Non probo *Burdigali* hic pro *Burdigalensis*, et *crassi* (adj., non nomen propr.) de statura omnino intelligendum. Sexcenties Gallos Noster irridet, provinciali ego crediderim aemulatione Hispanias inter et Gallias; et inter multa corporis crassitudinem saepe obiicit. Vid. lib VIII, epigr. 75 in Lingonum, *Gallus qua se ratione moveret?* et passim. Iam sensus patet, malignus et mordax in Gallos. Et sic multi hodie, quibus Britannos cavillari in deliciis est, dicerent: *Poscentem nummos, et grandia verba sonantem, Possideant crassi Londiniensis opes.* ED. P.

34. — AD FLACCVM.

Audieris in quo, Flacce, balneo plausum;
Morionis illic esse mentulam scito.

35. — DE TEMPLO GENTIS FLAVIAE.

Iupiter Idaei risit mendacia busti,
Dum videt Augusti Flavia templa poli:
Atque inter mensas largo iam nectare fusus,
Pocula quum Marti traderet ipse suo;
Respiciens Phoebum pariter Phoebique sororem,

1. *Idaei busti.* Mendaces enim Cretes finxerunt Iovem interiisse, cui condiderunt tumulum, quem vocat Poeta bustum Idaeum, quod sane esset prope Idam Cretae montem. Vide Callimachum in Hymno Iovis. Illum vero tumulum irridet Iupiter, superbum intuitus templum, quod Domitianus in honorem suae gentis exstruxerat, epigr. 4 supra.

2. *Flavia templa poli.* Hoc est, templa altissima.

3. *Nectare fusus.* Hoc est, madidus

Cum quibus Alcides et pius Arcas erat:
Cnossia vos, inquit, nobis monumenta dedistis;
Cernite, quam plus sit, Caesaris esse patrem.

6. *Et pius Arcas.* Hoc est, Mercurius in urbe Cylleno vel Cyllene Arcadiae monte natus, qui *pius* dicitur, quod Deorum sacra instituit.

8. *Cernite quam plus.* Mihi nempe a vobis conditum monumentum Vespasiani tumulo multo inferius est, atque ita videtur optare Iupiter potius esse Domitiani, quam caeterorum Deorum pater.

36. — IN PHILOMVSVM.

Artibus his semper coenam, Philomuse, mereris;
Plurima dum fingis, sed quasi vera refers.
Scis, quid in Arsacia Pacorus deliberet aula,
Rhenanam numeras, Sarmaticamque manum.
Verba ducis Daci chartis mandata resignas;
Victricem laurum, quam venit, ante vides.
Scis, quoties Phario madeat Iove fusca Syene;

3. *Scis.* Quod universe dixerat more suo, speciatim per partes exponit. — Sic Iuvenalis verum de muliere: .. *novit quid toto fiat in orbe, Quid Seres, quid Thraces agant; secreta novercae Et pueri; quis amet, quis diripiatur adulter. Dicet, quis viduam praegnantem fecerit, et quo Mense; quibus verbis concumbat quaeque, modis quot. Instantem regi Armenio Parthoque cometen Prima videt: famam rumoresque illo recentes Excipit ad portas; quosdam facit. Isse Niphaten In populos, magnoque illic cuncta arva teneri Diluvio, nutare urbes, subsidere terras.* Sat. VI, vs. 402. Ed. P. — *Arsacia.* Parthica. Parthorum reges ab Arsace deinde Arsaces dicti: ut Pontici, Mithridates; Aegyptii, Ptolemaei (Syrii, Seleucus et Antiochus; Cappadoces, Ariarathi; Pergameni, vel Eumenes vel Attalus. Ed. P.); Armenii, Tigranes; Romani Imp. Caesares, etc. — *Pacorus.* Parthorum rex. Ed. P.

5. *Verba ducis Daci.* Cuius arcana perinde tibi comperta esse garris, ac si illius literas Cattis scriptas resignasses. Catti autem populi Germaniae Visurgim, Daci Danubium incolebant. De his lib. II, epigr. 2.

6. *Victricem laurum.* Hoc est, victoriam futuram.

7. *Scis, etc.* Tu scis quoties pluat in Aegypto, quod perraro. — *Phario madeat.* Aegyptus, a Pharo insula. — *Iove.* Pluvia, imbre. Iupiter enim media aëris regio, ima Iuno, summa Minerva, qui magni hinc dii. — *Fusca Syene.* Cuius incolae a Sole colorantur. Syene enim in confinibus Aegypti et Aethiopum, sub tropico Cancri directe locatur. *Atque umbras nusquam flectente Syene.* Lucan.

Scis, quota de Libyco littore puppis eat:
Cuius Iuleae capiti nascantur olivae;
Destinet aethereus cui sua serta pater.
Tolle tuas artes, hodie coenabis apud me,
Hac lege, ut narres nil, Philomuse, novi.

Phars. II, 587. Eo. P.

9. *Iuleae olivae.* Hoc est, Scis nomina eorum qui in Quinquatribus victores coronandi sunt a Domitiano. *Iuleae coronae;* hoc est, Caesareae, ab Ascanio cognomine Iulo, Aeneae filio, a quo ortum se praedicabat Iulius Caesar.

10. *Aethereus pater.* Iupiter Capitolinus, cui et ludos instituit Domitianus. Sueton. in Domit. cap. 4.

11. *Tolle tuas artes.* Nam hodie te invito ea lege, ut sileas.

37. — COLLOQVIVM GANYMEDIS ET IOVIS SVPER EARINO ET ALIIS DOMITIANI PVERIS.

Viderat Ausonium posito modo crine ministrum
Phryx puer, alterius gaudia nota Iovis:
Quod tuus, ecce, suo Caesar permisit ephebo,
Tu permitte tuo, maxime rector, ait.
Iam mihi prima latet longis lanugo capillis;
Iam tua me ridet Iuno, vocatque virum.
Cui pater aethereus, Puer o dulcissime, dixit:
Non ego quod poscis, res negat ipsa tibi.
Caesar habet noster similes tibi mille ministros,
Tantaque sidereos vix capit aula mares.

1. *Ausonium ministrum.* Intellige Earinum. Ausonius dicitur, quod duci Ausonio seu Domitiano serviret.

2. *Phryx puer.* Ganymedes vidit Earinum tonsum, et petiit a Iove ut sibi pariter liceret deponere capillos. — *Alterius gaudia.* Per appositionem vocat Earinum delicias Domitiani, quem iam appellavit Iovem, epigr. 29 supra. Aut potius refert ad ipsum Ganymedem delicias alterius Iovis, cui Domitianum praeferre videtur.

3. *Suo ephebo.* Hoc est puberi Earino.

8. *Res* (subaud. *sed*) *negat ipsa tibi;* id est, ipsa necessitas: Domitiano enim non desunt alii pueri, et quidem siderei seu formosissimi, et digni qui in caelum evehantur: at vero ego, inquit Iupiter, alterum pincernam non inveniam, si tonsis capillis vir factus fueris.

10. *Vix capit, etc.* Tantus eorum numerus est.

At tibi si dederit vultus coma tonsa viriles,
Quis mihi, qui nectar misceat, alter erit?

12. *Qui nectar misceat* Antiqua φράσις, et ex more antiquo. *Miscere* simpliciter χέειν, saepe apud Martial. Iuv. Sat. v, 61: *Nescit tot millibus emptus Pauperibus* miscere *puer.*

38. — IN GALLAM

Quum sis ipsa domi, mediaque ornere Suburra,
Fiant absentes et tibi, Galla, comae;
Nec dentes aliter, quam Serica, nocte reponas,
Et iaceas centum condita pyxidibus;
Nec tecum facies tua dormiat: innuis illo,
Quod tibi prolatum est mane, supercilio.
Et te nulla movet cani reverentia cunni,
Quem potes inter avos iam numerare tuos.
Promittis sexcenta tamen; sed mentula surda est;
Et, sit lusca licet, te tamen illa videt.

1. *Mediaque ornere Suburra.* Medicaminibus et fucis quae petuntur empta ex media Suburra, vico romano pertelebri.

2. *Absentes et tibi*, etc. Fictitiae, accersitae, caliendra.

3. *Nec dentes aliter*, etc. Et ex osse vel ebore factitios dentes reponas noctu, eodem tempore quo vestes sericas. — *Quam Serica.* Sericae vestes matronis placuere, et praecipue matronis e Veneris grege. Clare Seneca, de Beneficiis cap. 9: *Video Sericas vestes, si vestes vocandae sunt, in quibus nihil est, quo defendi aut corpus, aut denique pudor possit*, etc. Vestibus perlucidis usas fuisse Venereas illas matronas, testatur etiam Lucianus in Amoribus.

4. *Et iaceas*, etc. Et mundus tuus, fuci, medicamina, etc. recondantur innumeris pyxidibus.

5. *Nec tecum*, etc. Adscititium faciei nitorem singulis noctibus reponas, crastino die novum sumptura.

6. *Quod tibi prolatum.* Prolatum, aut ex pyxidibus depromptum aut productum. Nam supercilia fuligine sibi producebant: iacturam enim superciliorum sic arte reparabant. Vide Iuven. sat. II, 93. — Amavere antiqui longissima et quasi concurrentia supercilia. Ed. P.

10. *Lusca licet*, etc. Quid miri, si videat, quae lusca est? Gruterus ex Palat. *caeca* legit: sed et alteri scripturae sua venustas. Lib. II, epigr. 33. Scriverius mallet, *surda*.

39. — AD AGATHINVM.

Summa licet velox, Agathine, pericula ludas,
Non tamen efficies, ut tibi parma cadat.
Nolentem sequitur, tenuesque reversa per auras,
Vel pede, vel tergo, clune, vel ungue sedet.
Lubrica Corycio quamvis sint pulpita nimbo,
Et rapiant celeres vela negata Noti;
Securos pueri neglecta perambulat artus,
Et nocet artifici ventus et unda nihil.
Vt peccare velis, quum feceris omnia, falli
Non potes: arte opus est, ut tibi parma cadat.

1. *Summa licet.* De pilariis et ventilatoribus pauca sic Quintilianus lib. X, cap. 7, 11: *Quo constant miracula illa in scenis pilariorum ac ventilatorum, ut ea, quae emiserint, ultro venire in manus credas, et qua iubentur decurrere.* Scilicet ex eorum numero erat Agathinus, qui parmulam seu clypeum parvum in altum iaciebat, recipiebatque tanta solertia, ut nunquam caderet.

4 *Crine, vel ungue sedet* Gruterus ex Palat. legit.

5. *Lubrica.* Pulpita hic significant theatra in quibus ludebant pilarii: lubrica autem fiebant aspersionibus e croco et vino dulci.

6. *Et rapiant.* Quamvis magna vis ventorum vela hinc inde rapiat, aperiatque theatrum velis undequaque tectum; tamen non sic abripit parmulam, ut non incidat aut insideat vel tergo, vel manibus pedibusve Agathini. Velis enim tegebatur theatrum, quae *ventis negari* dicebantur, quum, summa cura ligata, vehementiorum tamen ventorum flatu agitata molliter fluctuarent. Lib. XI, epigr. 21: *Quam Pompeiano vela negata Noto.* Sensus est: Ventus vehemens nec aqua in theatro sparsa impediunt Agathinum, quominus missam in altum parmam excipiat.

7. *Pueri.* Agathini. — *Neglecta.* Parma scilicet, quam nec cogitans excipit.

8. *Ventus, et unda nihil.* Quamvis parmam in solo lubricam sparsionibus, et agitatam turbine venti in diversas rapiant partes; ille tamen ita feliciter excipit, ac si summa caelo tranquillitas foret.

9. *Vt peccare velis.* Hoc est, etiamsi et parmam humi labi sinere velis.

10. *Arte opus est.* Hoc est: Alii ne errent, artem adhibent; Agathini autem tanta est industria ut arte indigeat, si errare velit.

40. — DE NATALI CAESONIAE.

Prima Palatino lux est haec orta Tonanti,

1. *Prima Palatino.* Nono Kalendas Novembris natus est Domitianus, teste Suetonio in Domitiano, quem noster poëta Palatinum Tonantem

Optasset Cybele qua peperisse Iovem.
Hac et sancta mei genita est Caesonia Rufi.
Plus debet matri nulla puella suae.
Laetatur gemina votorum sorte maritus,
Contigit hunc illi quod bis amare diem.

dicit; et Iovem appellavit millies supra.

2. *Cybele.* Deorum mater.

3. Sanctones vel Santones vel Xantones populi sunt Galliae ex Aquitania prima, hodie *Saintonge*. Ed. P.

4. *Plus debet matri nulla.* Quod nata sit hoc die.

5. *Gemina... Contigit, etc.* Quod unum eumdemque celebret natalem Caesaris et uxoris.

6. *Bis amare diem.* Quod eo die uxor Caesonia et Domitianus natus sit, quorum communis peragit natalis festum.

41. — DE DIODORO ET VOTO PHILAENIS VXORIS.

Tarpeias Diodorus ad coronas
Romam quum peteret Pharo relicta;
Vovit pro reditu viri Philaenis,
Illam lingeret ut puella simplex,
Quam castae quoque diligunt Sabinae;
Dispersa rate tristibus procellis,
Mersus fluctibus, obrutusque ponto,
Ad votum Diodorus enatavit.
O tardus nimis et piger maritus!
Hoc a litore si puella votum
Fecisset mea, protinus redissem.

1. *Tarpeias Diodorus ad coronas.* Notatur hic: In Quinquatribus Minervae; immo in agone Capitolino: nam Quinquatribus Albanae coronae dabantur, non Tarpeiae. Gronov. — *Tarpeias Diodorus, etc.* In Quinquatriis Minervae. Libri IV, epigr. 54, vs. 1.

2. *Pharo.* Pharos, hodie *Farion*, colonia et oppidum Aegypti, apud Alexandriam, in insula continenti paene iuncta, etc. Farnab.

5. *Sabinae.* Sabinae feminae ab omnibus auctoribus audiunt castae, simplices.

10. *Hoc in litore* in quibusdam vett. Caetera, nulla est varietas. — *Si puella.* Ostendit puellam suam immunda femora habere, et indigere purgante lingua. Domitius.

42. — IN PONTICVM.

Pontice, quod nunquam futuis, sed pellice laeva
Vteris, et Veneri servit amica manus,
Hoc nihil esse putas? scelus est, mihi crede, sed ingens,
Quantum vix animo concipis ipse tuo.
Nempe semel futuit, generaret Horatius ut tres;
Mars semel, ut geminos Ilia casta daret.
Omnia perdiderat, si masturbatus uterque
Mandasset manibus gaudia foeda suis.
Ipsam crede tibi naturam dicere rerum:
Istud quod digitis, Pontice, perdis, homo est.

1. *Pellice laeva.* Diogenianna uteris Venere, qui τὸν δ' Ὑμέναιον Ηειδεν παλάμη, Λαΐδος οὐ χατέων. Agathias lib. VII Anthologiae. Quod idem refert Galenus lib. VI, περὶ τῶν πεπονθότων τόπων. Innuitque ipse Diogenes Luciani, ἐν Βίων φιλοσοφικῶν πράσει.

5. *Nempe semel futuit, etc.* Ex uno congressu geniti sunt trigemini illi Horatii, qui tres Curiatios singulari de re Romana certamine commissos, regnante Tullo Hostilio, devicerunt: ex uno geniti Romulus et Remus, Romae conditores.

7. *Perdiderat,* pro perdidisset. *Masturbatus uterque.* Vt tu.

10. *Quod digitis, etc.* Nimirum illi *Fratres* dicebantur, qui nefario concubitu turpe perdendi hominis praestabant officium. RIGALTIVS.

43. — AD APOLLINEM PRO STELLA SVO.

Campis dives, Apollo, sic Myrinis,
Sic semper senibus fruare cycnis;
Doctae sic tibi serviant sorores;
Nec Delphis tua mentiatur ulli;
Sic Pallatia te colant, amentque:

Vovet Stellae consulatum; implorat Apollinem, ut votis suis annuat.

1. *Campis dives.* Hoc est, sic semper colaris in campis Myrinis, et semper tibi canant cycni.

3. *Sorores.* Novem Musas intellige.

4. *Nec Delphis, etc.* Et vera semper det responsa sacerdos tua Pythia. — Phoebas Delphica quam et Delphidem Graeci vocant, quorum lingua syllabae istae *as*, *is*, ubi syllabarum ultimae sunt, feminas fere semper indicant. ED. P.

Bis senos cito me rogante fasces
Det Stellae bonus annuatque Caesar.
Felix tunc ego, debitorque voti
Casurum tibi rusticas ad aras
Ducam cornibus aureis iuvencum.
Nata est hostia, Phoebe, quid moraris?

6. *Me rogante.* Alii, *te rogante.* — *Bis senos, etc.* Vt consulatum Stellae meo deferat Caesar. Duodecim enim fasces praeferebantur usquequaque consulibus; et ut erant consulatus insignia, ideo sumuntur a Poëta pro ipso consulatu.

7. *Det Stellae.* De quo dictum lib. I, epigr. 8.

8. *Debitorque voti.* Reus voti, si impetraro.

9. *Rusticas ad aras.* Hoc est, in meo praedio suburbano tibi sacratas.

10. *Cornibus aureis.* Ad maiorem pompam victimarum cornua inaurabantur. Iuven. Sat. VI, 48, *auratam Iunoni caede iuvencam;* et Virgil. Aen. IX, 627, *Et statuam ante aras aurata fronte iuvencum.*

11. *Quid moraris.* A Domitiano impetrare consulatum meo Stellae.

44. — DE STATVA HERCVLIS.

Hic, qui dura sedens porrecto saxa leone
Mitigat exiguo magnus in aere Deus,
Quaeque tulit, spectat resupino sidera vultu,
Cuius laeva calet robore, dextra mero;
Non est fama recens, nec nostri gloria caeli;

Vt publice in conviviis excipiabantur deorum simulacra pulvinaribus, ita et privatim in mensa collocabantur statuae velut tutela geniumque mensae. Inter caeteras imagines quas Nonius Vindex in coena ostenderat, erat Hercules epitrapezios. Cuius signi artificium, ad verbum cum Nostro, Statius Papinius quarto Sylvarum libro, Carm. VI exprimit, admiratur, laudat.

1. *Dura sedens, etc.* Saxo insidens mitigat duritiem eius instrata leonis pelle, quae Herculi pro armatura et lecto erat; durius enim est nudum insidere. *Leone* vero, synecdochicōs, totum pro parte.

2. *Exiguo magnus.* Aerea quidem illa statua erat pedalis.

3. *Quaeque tulit.* Hoc est: Caelum suspicit, quod olim, Atlanti fesso opem laturus, aliquandiu humeris sustiuuit.

4. *Calet robore.* Hoc est, clava facta ex robore, quod est quercus species durissima.

5. *Non est fama.* Iam diu celebris est haec statua. — *Nec nostri gloria.* Caelum caelatorum et statuariorum instrumentum est. Sensus est: No-

Nobile Lysippi munus opusque vides,
Hoc habuit numen Pellaei mensa tyranni,
Qui cito perdomito victor in orbe iacet.
Hunc puer ad Libycas iuraverat Hannibal aras;
Iusserat hic Syllam ponere regna trucem.
Offensus variae tumidis terroribus aulae,
Privatos gaudet nunc habitare Lares.
Vtque fuit quondam placidi conviva Molorchi,
Sic voluit docti Vindicis esse Deus.

atris temporibus non fuit formata illa statua.

6. *Nobile Lysippi*. Alexandri Magni temporibus vixit Lysippus statuarius nobilissimus, qui hanc Herculis statuam effinxit, et ea donavit Alexandrum.

7. *Pellaei mensa tyranni*. Alexandri regis, nati Pellae in Macedonia. — Vox *tyrannus* olim sumebatur non in pessimam partem: *dextram tetigisse tyranni*. Virgil. Aen. VII, 266. Neque enim aliud indicabat quam regem cuius potestati nullus finis, nisi sua ipsius voluntas. Scilicet duplex in his quae ab uno reguntur civitatibus imperii genus; modo enim quae censuit aut senatus aut populus, fieri curat servator quidem legis, at non auctor, princeps; modo et ferendarum et exsequendarum legum munus principi demandatum. Hic tyrannus, ille rex; et hinc vocitatus Polycrates *tyrannus* Sami, Dionysius Syracusarum; dum et Lacedaemoniorum et Romanorum principibus *regum* nomen datum fuit. Ed. P.

8. *Qui cito perdomito*. Nempe intra duodecim annos Asiam fere totam subegit, et Babylone iuvenis adhuc veneno sublatus est. Adi et Curtii, et Arriani historias.

9. *Hunc puer*. Aliter sentit Silius lib. I, 118: *Iuro nostri per numina Martis, Per manes, regina, tuos, etc.* Sed noster Poëta, ut opinor, vult tantum significare hanc Herculis statuam fuisse in potestate Hannibalis, ut Papinius loco citato.

10. *Syllam trucem*. Nempe ob crudelitatem, quam in victos cives exercuit.

11. *Offensus variae*. Coepit nempe fastum et tyrannidem aversari, atque in privata Vindicis mensa coli maluit.

13. *Molorchi*. Qui pastor Nemaeus, cuius indicio Hercules, ab eo hospitio exceptus, feram Nemeae interfecit. Lib. IV, epigr. 64, v. 30.

45. — DE EADEM STATVA.

Alciden modo Vindicis rogabam,
Esset cuius opus laborque felix.

Elegantiam et artificium eiusdem statuae laudat poëta.

Risit (nam solet hoc), levique nutu,
Graece numquid, ait, Poëta, nescis?
Inscripta est basis, indicatque nomen.
ΛΥΣΙΠΠΟΥ lego, Phidiae putavi.

6. ΛΥΣΙΠΠΟΥ *lego.* Inscriptum est βάσει, ΛΥΣΙΠΠΟΥ ἔργον scil. Non autem omnibus operibus, sed praestantioribus, nomen suum inscribebant artifices. — *Phidiae putavi.* Hoc est: Credideram ego fuisse Phidiae potius, qui finxit Iovem, et nobilior statuarius fuit Lysippo.

46. — AD MARCELLINVM.

Miles Hyperboreos modo, Marcelline, Triones,
Et Getici tuleris sidera pigra poli;
Ecce Prometheae rupes, et fabula montis,
Quam prope sunt oculis nunc adeunda tuis.
Videris immensis quum conclamata querelis
Saxa senis, dices, Durior ille fuit.
Et licet hoc addas: Potuit qui talia ferre,
Humanum merito finxerat ille genus.

Ad Sarmatas et Scythas iturum Marcellinum filium, admonet tabulae Prometheae.

1. *Hyperboreos Triones.* Describit Septemtrionem, ubi Marcellinus multa toleraturus erat incommoda.

2 *Sidera pigra.* Hoc est, Vrsas et Booten lente se moventes.

3. *Ecce Prometheae rupes.* Caucasum montem interpretare, cuius vertici affixum fuisse Prometheum fabulantur Hesiodus, Aeschylus, Ovidius, alii.

5. *Conclamata querelis.* Clamoribus Promethei caelum, et terram contestantis conscia, se pati indigna. Vid. Aeschyli Prometheus Vinctus. Domit. — Namque in illo Aeschyli dramate quo in primis notus Prometheus, omnes fere versus querelas et eiulationes continent. — *Conclamata.* Interpretantur quidam saxa quae summis clamoribus vocabat Prometheus, et testabatur sibi indigna supplicia illata a Iove.

6. *Senis.* Vt Dii omnes ante Iovem, Saturnus, Caelum, Titanes, etc. — *Durior ille fuit.* Cautibus, quippe qui tot et tantos cruciatus tam diu ferre potuerit. — *Ille.* Quidam *ipse.*

7. *Potuit qui talia ferre.* Sensus est: Prometheus duris cautibus affixus, ipse saxis durior et duriora perpessus, documenta dat duram esse hominis progeniem ab illo auctore, atque in aerumnas et poenas natam.

47. — IN GELLIVM.

Gellius aedificat semper: modo limina ponit,
Nunc foribus claves aptat, emitque seras;
Nunc has, nunc illas mutat, reficitque fenestras.
Dum tamen aedificet, quidlibet ille facit:
Oranti nummos ut dicere possit amico
Vnum illud verbum Gellius, Aedifico.

Sordidum et illiberalem taxat Gellium.

1. *Aedificat semper.* Minutula nescio quae semper reficit, ut aedificandi praetextu illiberalem tegat animum, ne quid in amicos eroget.

4. Pro *tamen* alii *tantum*: quod in textum recepit *Barbou*, Par. 1754. — *Quidlibet.* Sibi quidlibet facere videtur.

6. *Aedifico.* Atque hoc praetextu nihil amicis donat, quippe qui sua pecunia egeat ad aedificandum; nec aedificat tamen, sed pauca mutat.

48. — IN PANNICVM.

Democritos, Zenonas, inexplicitosque Platonas,
Quidquid et hirsutis squalet imaginibus,
Sic quasi Pythagorae loqueris successor, et haeres;
Praependet mento nec tibi barba minor.
Sed, quod et hircosis serum est, et turpe pilosis,
In molli rigidum clune libenter habes.
Tu, qui sectarum causas et pondera nosti,
Dic mihi, percidi, Pannice, dogma facit?

1. *Democritos, etc.* Crepat usque stoicos et academicos reconditioris scientiae philosophos, quorum imagines visuntur hirsutae et incultae, ipse hispidus et barba promissa gravis; sed etc. — *Zenonas.* De Stoicae philosophiae auctore unice agitur, qui gravitate ex severissimis praecipue censendus. Democritus Abderitanus fuit Leucippi discipulus, cuius doctrinam de atomis amplificavit illustravitque, Epicuri praecursor. Noti satis Plato Academiae primae, Pythagoras Italicae sectae institutor.

5. *Hircosis, etc.* Quibus sub axillis *fertur Valle sub alarum trux habitare caper.* Catull.

7. *Pondera.* Argumenta, rationes.

8. *Percidi*, muliebria pati.

49. — IN GALLICVM.

Haeredem quum me partis tibi, Gallice, quartae
Per tua iurares sacra, caputque tuum;
Credidimus (quis enim damnet sua vota libenter?)
Et spem muneribus fovimus usque datis;
Inter quae rari Laurentem ponderis aprum
Misimus: Aetola de Calydone putes.
At tu continuo populumque Patresque vocasti;
Ructat adhuc aprum callida Roma meum.
Ipse ego (quis credat?) conviva nec ultimus haesi;
Sed nec costa data est, caudave missa mihi.
De quadrante tuo quid sperem, Gallice? nulla
De nostro nobis uncia venit apro.

In ingratum Gallicum hoc epigramma scriptum, qui per fraudem spoliaverat Poëtam apro, quum ei promisisset ex quadrante haereditatem.

1. *Partis quartae*, hoc est, quadrantis: tota vero haereditas in duodecim uncias ut plurimum dividitur.

2. *Per tua sacra*. Hoc est, per deos Penates quos domi colis.

3. *Damnet sua vota*. Libenti quippe animo id nos credimus quod optamus.

5. *Laurentem aprum*. Captum in Laurente saltu.

6. *Aetolum* Palat. — *Aetola de Calydone*. Calydon urbs Aetoliae, ubi erat ingens aper quem interfecit Meleager.

8. *Callida Roma*. Hoc est, callidi Romani, qui lautiores coenas sectabantur.

9. *Ipse ego*. Dolenter sane dicit hoc, infelix poëta; qui velut canis Aesopicus, dum captaret umbram, carnes amisit. — *Quis credat?* Tantum nefas in ingratos cadere mortales. — *Nec ultimus haesi*. Nec ima quidem sede admissus, immo praeteritus, non vocatus.

11. *Quid sperem*. Legunt alii, *qui sperem?* hoc est, quomodo.

12. *De nostro*. Sensus est: Si mihi ne unciolam quidem dedisti de meo, quomodo daturus es de tuo tres uncias? nam ea est haereditatis pars quarta, quam, ut as ipsum, in tres partes dividi iam notavimus. Ed. P.

50. — DE TOGA A PARTHENIO SIBI DONATA.

Haec est illa meis multum cantata libellis,
Quam meus edidicit lector amatque togam.

Togam a Parthenio missam sibi, detritam ait, taciteque petit novam.

Partheniana fuit, quondam memorabile vatis
  Munus: in hac ibam conspiciendus eques;
Dum nova, dum nitida fulgebat splendida lana,
  Dumque erat auctoris nomine digna sui;
Nunc anus, et tremulo vix accipienda tribuli,
  Quam possis niveam dicere iure tuo.
Quid non longa dies, quid non consumitis anni?
  Haec toga iam non est Partheniana: mea est.

4. *Conspiciendus eques.* Non quidem censu, sed munere principis.

6. *Auctoris.* Parthenii. — Subtilius quidem volunt, nescio an verius, iocum hic circa nomen *Parthenium*, quod e Graeco παρθένος, *virgo*; quasi diceret Noster: dum et novitate et elegantia *quasi virgo* esset toga. Ed. P.

7. *Tribuli.* Ex tribu civem Romanum significat tribulis, et sumitur hic pro paupere plebeio, qui totus frigore horreat. — Omnium quidem olim, vel si nobilissimo loco nati, relata nomina in tribus; sed quum magistratus, sacerdotia, consulatus obtinerent, his titulis designabantur. Pauper nil erat nisi tribulis. Ed. P.

8. *Niveam.* Adeo tritam, ut fila alba appareant. — Nonne et ad senectutem insuper referendum? quum et *anum* togam vocet, et frequentissime senio additum hoc ἐπίθετον, *canum, niveum, etc.* Ed. P.

10. *Non Partheniana.* Hoc est, non amplius Parthenio auctore, sed me paupere digna est. Tacite novam togam a Parthenio petere videtur.

51. — IN GAVRVM.

Ingenium mihi, Gaure, probas sic esse pusillum,
  Carmina quod faciam, quae brevitate placent.
Confiteor: sed tu his denis grandia libris
  Qui scribis Priami praelia, magnus homo es.
Nos facimus Bruti puerum, nos Lagona vivum;
  Tu magnus luteum, Gaure, Giganta facis.

4. *Magnus homo.* Nempe tibi videris.

5. *Nos Lagona.* Puerum formosum. Sensus est: Ego facio carmina brevia quidem, et similia formosis his pueris: tu vero, o Gaure, magnos libros componis similes Gigantibus luteis, qui cito pereunt: magnus enim liber, magnum malum. (Optime autem de Gigantibus *luteum*, quum e terra sive luto orti Gigantes, unde et Graecis πηλόγονοι nominati. Callimachus Hymn. in Iov. v. 3: Πηλογόνων ἐλατῆρα, δικάσπολον οὐρανίδῃσι. Ed. Par.)

52. — DE LVCANO ET TVLLO.

Quod semper Superos invito fratre rogasti,
Hoc, Lucane, tibi contigit, ante mori.
Invidet ille tibi : Stygias nam Tullus ad undas
Optabat, quamvis sit minor, ire prior.
Tu colis Elysios, nemorisque habitator amoeni
Esse tuo primum nunc sine fratre cupis.
Et si iam nitidis alternus venit ab astris;
Pro Polluce mones Castora, ne redeat.

2. *Lucane*. De his duobus fratribus iam ante dictum est ad libri I epigr. 37, ubi Martialis illos ab amicitia Castori et Polluci alternatim viventibus comparabat.

8. *Mones Castora*. Vt scilicet inter vivos maneat: iam enim Pollux exemplo tuo motus ad superos reverti non vult, sicut et tu optas, ut Tullus perpetua luce fruatur.

53. — AD QVINTVM OVIDIVM.

Si credis mihi, Quinte (quod mereris),
Natales, Ovidi, tuos Apriles,
Vt nostras amo Martias Kalendas.
Felix utraque lux, diesque nobis
Signandi melioribus lapillis !
Hic vitam tribuit, sed hic amicum.
Plus dant, Quinte, mihi tuae Kalendae.

Natalem Q. Ovidii celebrat eumque suo praefert.

7. *Plus dant*. Etenim amicitia vitae anteponenda est.

54. — AD EVNDEM.

Natali tibi, Quinte, tuo dare parva volebam
Munera: tu prohibes; imperiosus homo es.
Parendum est monitis: fiat quod uterque iubemus;

1. *Natali*. Quo nempe tempore moris erat munera invicem sibi mittere. Vnde id factum, ut pauperes pauca quaedam et minuscula ditioribus darent, plura laturi.

Et quod utrumque iuvat, tu mihi, Quinte, dato.

4. *Et quod, etc.* Ex inverso officio elegans mendicatio. — *Et quod utrumque.* Nimirum in amicos libenter confers munera, quae et ego libenter accipio. Sic festive mendicat Poëta.

55. — AD COGNATVM.

Si mihi Picena turdus palleret oliva,
Tenderet aut nostras sylva Sabina plagas;
Aut crescente levis traheretur arundine praeda,
Pinguis et implicitas virga teneret aves;
Cara daret solenne tibi cognatio munus,
Nec frater nobis, nec prior esset avus.
Nunc sturnos inopes, fringuillarumque querelas
Audit, et arguto passere vernat ager.
Inde salutatus picae respondet arator;
Hinc prope summa rapax milvus in astra volat.

Χαρίστια amici celebrat, et agrestia munera excusat. *Charistia* dicebantur, quum propinqui solenne adornarent convivium, cui tantum cognati aderant, litium ponendarum, et amoris instaurandi gratia institutum, de quo Valer. Maxim. lib. II, cap. 1. Celebrabantur haec XI. Kalend. Mart. Ovid. II, Fast. 617: *Proxima cognati dixere Caristia cari, Et venit ad socias turba propinqua dapes.*

2. *Tenderet.* Hoc est, aut si liceret tendere in sylvis Sabinorum venationi faventibus.

3. *Aut crescente.* Alii interpretantur virgam recens abscissam, et flexibilem, qualia sunt arbuscula: mihi videtur cum Radero intelligenda esse virga, quae crescat in locis palustribus. Nos priori sententiae suffragamur et posteriori simul; arundinem nempe rati eam esse quae in locis palustribus crescat, sed quae tenella et flexilis, ita ut praedae pondere trahatur in longitudinem et crescat. Ed. Par.

4. *Pinguis virga.* Hoc est, viscata arundo.

5. *Cara daret.* Videsis supra quae de iis conviviis diximus quibus nomen Charistia. Dicebantur quoque *Chara cognatorum.*

7. *Sturnos inopes.* Gallice *étourneaux*: inopes vocat, quod pauperibus conveniant. — *Fringuillarum*: Gallice *pinsons.* — *Querelas.* Cantum nempe qui gemitus et eiulationum simile aliquid habeat. Sic Virgil. Ecl. 1: *Nec gemere aëria cessabit turtur ab ulmo.*

8. *Vernat ager.* Poëta notat tempus quo celebrabantur haec charistia, ver nempe.

9. *Salutatus picae respondet.* Picam *salutatricem* dixit lib. VII, epigr. 87. — Scilicet mos aves eas ad vocis humanae imitationem docentibus τὸ Ave et Χαῖρε in primis docere. Et sic

Mittimus ergo tibi parvae munuscula cortis,
Qualia si recipis, saepe propinquus eris.

Persius, Satyrarum Prologo: *Quis expedivit psittaco suum* χαῖρε. *Corvos quis olim concavum salutare Docuit?* Ed. P.

11. *Munuscula cortis.* Hoc est, aves domesticas. Lib. VII, epigr. 31, *raucae cortis aves.*

12. *Saepe propinquus eris.* Hoc est, si parvulam hanc et velut meam ipsius rem exiguam benigne admiseris, saepe tibi tanquam propinquo eiusmodi munera mittam.

56. — AD FLACCVM.

Luce propinquorum, qua plurima mittitur ales,
Dum Stellae turdos, dum tibi, Flacce, paro,
Succurrit nobis ingens onerosaque turba,
In qua se primum quisque meumque putat.
Demeruisse duos, votum est: offendere plures,
Vix tutum; multis mittere dona, grave est.
Qua possum sola veniam ratione merebor;
Nec Stellae turdos, nec tibi, Flacce, dabo.

Veniam petit quod in charistiis, nulla Flacco aut Stellae mittat munera; causam adfert, ne offendat plures, dum paucis tantum parat munera. Igitur nulli, inquit, dabo, ut nullus aegre ferat; credo Poëtam nulla habuisse, immo desiderasse ab aliis. Ed. Paa.

1. *Luce propinquorum.* Vide praecedens epigramma. De charistiis Ovid. lib. II, Fast. 617. Ed. P.

3. *Succurrit* pro *Occurrit*, offert sese mihi obvia. — *Onerosaque turba.* Amicorum turba, quibus omnibus munera si vellem mittere, mihi foret onerosum.

4. *In qua se primum*, etc. Hoc est, cuius nempe sibi videtur amicitia mea, his munusculis potissimum dignus. *Meum* vox est qua caritas et amor mutuus indicatur.

5. *Demeruisse duos. Demeruisse* idem sonat ac *meruisse.* Is ergo sensus est: Beneficio mihi conciliare te et Stellam volebam. Sed timeo et nequeo; nam si duobus misero, alios offendam, quod maxime vereor; si omnibus, rem familiarem conturbabo.

7. *Merebor.* Respicit ad quod prius dixerat *Demeruisse.*

8. *Nec Stellae.* Vt ex aliis mihi amicis nemo conqueratur et me ingrati animi insimulet: sic festive se excusat Poëta.

57. — DE SPENDOPHORO.

Spendophorus Libycas domini petit armiger urbes:

1. *Spendophorus.* Domitiani tiro in Africam profecturus. — *Domini*, Domitiani, ut intelligunt omnes fere interpretes.

Quae puero dones, tela, Cupido, para,
Illa quibus iuvenes figis, mollesque puellas;
Sit tamen in tenera levis et hasta manu.
Loricam clypeumque tibi galeamque remitto;
Tutus ut invadat praelia, nudus eat.
Non iaculo, non ense fuit, laesusve sagitta,
Casside dum liber Parthenopaeus erat.
Quisquis ab hoc fuerit fixus, morietur amore.
O felix, si quem tam bona fata manent!
Dum puer es, redeas, dum vultus lubricus; et te
Non Libye faciat, sed tua Roma, virum.

2. *Tela, Cupido, para.* Tua arma. *Altera tela arcus, altera tela faces.*

6. *Tutus, etc.* Illaesum et a vulneribus immunem praestabit eum, inermem utique, forma sua et venustas. — Immo et minus periculi, simul et magis virium nudo, quam si invida veste pulchritudinem celaverit. Sic Catullus aut par Catullo poëta in elegantissimis trochaicis, qui Pervigilium Veneris inscribuntur: *Iussus est inermis ire, nudus ire iussus est. Sed tamen, Nymphae, cavete... Est in armis totus idem, quando nudus est Amor.* Ed. P.

8. *Cum l.* Bev. — *Parthenopaeus.* Formosissimus Meleagri atque Atalantae filius fuit, ita nominatus ob eximios quasi virginis (παρθένου) oculos (ὄπας), et quem ad bellum Thebanum profectum a vulnere defendit pulchritudo. Suavissime de eo Aeschylus, et iuvenem et formosum et strenuum laudans: ματρὸς ἐξ ὀρεσκόου βλάστημα καλλίπρωρον ἀνδρόπαις ἀνήρ. Στείχει δ' ἴουλος ἄρτι διὰ παρηΐδων l... Sept. ad Theb. vs. 484 sqq. Et Papinius lib. IV Sylvarum, *Qualis belli iam casside missa Parthenopaeus erat.* Ed. P.

9. *Hoc fuerit fixus, etc.* Altero Cupidine, et Amoris telis instructo, ut modo vs. 2.

11. *Vultus.* Alii *vultu*: quod etiam in textum suum recepit *Barbou* Par. 1754. — *Vultus lubricus.* Horat. lib. I, od. 19: *Et vultus nimium lubricus aspici. Lubricus* vero dicitur metaphora ducta a via lubrica, in qua difficile est sine prolapsione insistere. Sic difficile est formosum vultum adspicere, quin amore labefactetur animus.

58. — IN HEDYLVM.

Nil est tritius Hedyli lacernis,
Non ansae veterum Corinthiorum,

1. *Nil est tritius lac. Hedyli.* Cinaedi nempe quem acute carpit.

2. *Veterum Corinthiorum.* Vasa intellige facta ex veteri aere Corinthio,

Nec crus compede lubricum decenni,
Non ruptae recutita colla mulae,
Nec quae Flaminiam secant salebrae,
Nec qui litoribus nitent lapilli,
Nec Tusca ligo vinea politus,
Nec pallens toga mortui tribulis,
Nec pigri rota quassa mulionis,
Nec rasum cavea latus bisontis,
Nec dens iam senior ferocis apri:
Res una est tamen, ipse non negabit,
Culus tritior Hedyli lacernis.

3. *Nec crus.* Servorum nempe, epigramm 33 supra.

4. *Recutita colla.* Cute nempe, quae labore et verberibus detracta fuerat, renovata.

5. *Salebrae.* Sunt loca inaequalia, et aspera, saxis tritis, et laevigatis, quae quasi sine saltu praeteriri non possunt.

7. *Nec Tusca.* Ligonem interpretare laevigatum in fodiendis Etruriae vineis, epigr. 23 supra.

8. *Nec pallens toga.* Qua amieti efferebantur mortui. Iuven. Sat. 3: *Pars magna Italiae est (si verum admittimus) in qua Nemo togam sumit nisi mortuus.* — Sed quid hic *pallens?* Num alba? quum enim Romanorum cadavera efferrentur togata pro sua cuiusque conditione, censorum purpurea, magistratuum praetexta, privatorum reliquias candida et simplex vestiebat. An vilior et tritior? quod in exsequiis usitatum, et omnibus togis convenit, sive candidae eae fuerint, sive purpura aliisve coloribus splendidiores. Ed. P.

9. *Nec pigri rota quassa mulionis.* Ant. de Rooy coniicit *Lassa*, sc. circumactu quotidiano, atque adeo trita.

10. *Nec rasum.* Nec latus bovis sylvestris attritum cavea ubi includitur, lib. I, epigr. 105.

59. — AD NYMPHAM SABINI.

Nympha sacri regina lacus, cui grata Sabinus,
Et mansura pio munere templa dedit;

Mittit librum ad censorium tribunal Caesii Sabini Umbri, Auli Pudentis municipis; cui librum quoque septimum transmisit, ut est lib. VII, epigr. 97.

1. *Nympha sacri l.* Vide notam praecedentem. Librum ad Nympham fontis Sabini ideirco mittit, ut, si displiceat ipsi Sabino, in aquas immergatur.

2. *Templa dedit.* Numina quippe fontibus inesse credebant Veteres, atque illa colebant.

Sic motana tuos semper colat Vmbria fontes,
Nec tua Baianas Sarsina malit aquas;
Excipe sollicitos placide, mea dona, libellos;
Tu fueris Musis Pegasis unda meis.
Nympharum templis quisquis sua carmina donat,
Quid fieri libris debeat, ipse monet.

4. *Nec tua.* Hoc est, nec Baianas aquas tuis anteponant Sarsinates. — *Sarsina* Vmbriae urbs.

5. *Sollicitos.* De iudicio Sabini.

6. *Pegasis unda.* Hoc est: Te existimabo Hippocreneu fontem Musis sacrum, quem Pegasus ungula sua aperuit: unde et Musae dictae sunt Pegasides. Ovid. Met. IV: *Fama novi fontis nostras pervenit ad aures, Dura Medusaei quem praepetis ungula rupit.*

8. *Quid fieri.* Nimirum in undas mergendos esse, si displicuerint.

60. — IN MAMVRRAM.

In septis Mamurra diu multumque vagatus,
Hic ubi Roma suas aurea vexat opes,
Inspexit molles pueros, oculisque comedit;
Non hos, quos primae prostituere casae;
Sed quos arcanae servant tabulata catastae,
Et quos non populus, nec mea turba videt.
Inde satur, mensas, et opertos exsuit orbes,

Epigramma elegans, quo facete describitur homo ἀλαζών. Ideo in Mamurra paupertatis dissimulatores irridet; qui in nundinis scilicet ibant perinde quasi omnia empturi, quum vix haberent quod domi coenarent.

1. *In septis.* In campo nempe Martio erant septa, de quibus lib. II, epigramm. 14.

2. *Vbi Roma, etc.* Vbi venales exponuntur, ostentantur, licitantur, emuntur ingentis pretii merces. — *Vexat.* Emendo, licitando, litigando, ostentando. — Mirae sane audaciae vox, et quae dithyrambicum aliquid sapiat. Vsurpaverat tamen Crispus in Bello Catil. ubi de Romanorum prodigentia Catilina ait: *trahunt pecuniam, vexant.* Eo. P.

3. *Inspexit molles pueros.* Venales diligenter inspexit. — *Oculisque comedit.* Sic lib. I, epigr. 97, vs. 12. — *Inspexit molles.* Quasi empturus. Iuvenalis Sat. 7, vs. 132: *Perque forum iuvenes longo premit assere Medos, Empturus pueros, argentum, myrrhina, villas.*

4. *Casae.* Tabernae viliores et expositae: ubi scil. viliora mancipia et reiicula.

5. *Sed quos... servant catastae.* Catasta machina erat lignea, in qua servi exponebantur venales.

6. *Nec mea turba.* Hoc est, nec turba pauperum mihi similium.

7. *Satur.* Vt oculis satiatis. — *Oper-*

Expositumque alte pingue poposcit ebur;
Et testudineum mensus quater hexaclinon,
Ingemuit citro non satis esse suo.
Consuluit nares, an olerent aera Corinthon;
Culpavit statuas et, Polyclete, tuas.
Et turbata brevi questus crystallina vitro,
Myrrhina signavit, seposuitque decem.
Expendit veteres calathos, et si qua fuerunt
Pocula Mentorea nobilitata manu;
Et virides picto gemmas numeravit in auro,
Quidquid et a nivea grandius aure sonat.
Sardonychas veros mensa quaesivit in omni,
Et pretium magnis fecit iaspidibus.
Vndecima lassus quum iam discederet hora,
Asse duos calices emit, et ipse tulit.

tos exuit orbes. Retegi postulavit et efferri opertas atque interius reconditas magni pretii mensas citreas et eburneas rotundas.

9. *Et testudineum hexaclinon.* Hoc est, lectum discubitorium sex hominibus capiendis aptum, et testudinis putaminibus ornatum. Iuv. Sat. 2, vs. 95: *Nemo inter curas et seria duxit habendum, Qualis in Oceani fluctu testudo nataret, Clarum Troiugenis factura ac nobile fulcrum.*

10. *Non satis esse.* Hoc est, non satis amplum esse, ut par esset citreae suae mensae.

11. *Consuluit nares, etc.* An statuae essent ex aere ut aiunt Corinthio, quod erat pretiosissimum. In Corinthi enim incendio confluxere aeris, aurique, argentique venae: unde aes Corinthium mistum, laudabilius.

14. *Myrrhina.* Vasa scilicet, lib. III, epigr. 26. — *Signavit seposuitque decem.* Quasi empturus.

15. *Calathos.* Vasa vinaria hoc loco intelligere videtur Poëta lib. XIV, epigr. 107. Virgil. Eclog. 5: *Vina novum fundam calathis Arvisia nectar.*

17. *Virides gemmas, etc.* Smaragdos aureo calici insertos. Virides enim gemmas auro decorando maxime convenire, persuasum Veteribus; quapropter eas praecipue poculis aureis includebant.

18. *Aure sonat.* Margaritae nempe atque uniones pendebant ex auribus mulierum.

22. *Et ipse tulit.* Quia tam pauper erat, ut nec servum haberet.

61. — SABINO MITTIT CORONAM ROSEAM.

Seu tu Paestanis genita es, seu Tiburis arvis,

Quo gratior sit Caesio Sabino rosea haec corona quam illi mitto, putet hanc natam fuisse in horto meo Nomentano: etsi forte sit e bifero

Seu rubuit tellus Tuscula flore tuo,
Seu Praenestino te villica legit in horto,
Seu modo Campani gloria ruris eras;
Pulchrior ut nostro videare corona Sabino,
De Nomentano te putet esse meo.

Paesto, Tibure, Tusculano, Praeneste, seu Campania. Namque mihi empta est.

62. — DE PLATANO CAESARIS.

In Tartessiacis domus est notissima terris,
Qua dives placidum Corduba Baetin amat;
Vellera nativo pallent ubi flava metallo,
Et linit Hesperium bractea viva pecus;
Aedibus in mediis totas amplexa Penates
Stat platanus densis Caesariana comis;
Hospitis invicti posuit quam dextera felix,
Coepit et ex illa crescere virga manu.
Auctorem, dominumque nemus sentire videtur;
Sic viret, et ramis sidera celsa petit.
Saepe sub hac madidi luserunt arbore Fauni,
Terruit et tacitam fistula sera domum;
Dumque fugit solos nocturnum Pana per agros,
Saepe sub hac latuit rustica fronde Dryas.

Explicat platanum Caesaris manu satam Cordubae, de qua nihil alii scriptores, quum passim celebrentur platani Socratis apud Platonem aliosque.

1. *In Tartessiacis.* Idem est Tartessus ac Baetis Hispaniae fluvius, lib. VIII, epigr. 28, v. 5.

3. *Vellera... flava metallo.* Vbi nempe aureum vellus habent oves. Noster lib. XII, epigr. 99: *Baetis olivifera crinem redimite corona, Aurea qui nitidis vellera tingis aquis.*

9. *Dominumque nemus.* Alii *dominumque suum.* Placet prior lectio; nam platanum *nemus* appellat propter eius magnitudinem.

11. *Fauni.* Numina agrestia.

12. *Fistula sera.* Syrinx Pana fugiens in arundinem conversa fuit, ex qua facta est fistula qua utebatur Pan.

14. *Dryas.* Nympha querquetulana. Singulis enim arboribus Nympham praeesse credebant antiqui; quam, quod una cum arbore nasceretur moreretürque, Hamadryadem appellabant; quum *Dryas* sit quae toti nemori silvaeque praesit, a δρῦς.

Atque oluere lares commissatore Lyaeo,
Crevit et effuso laetior umbra mero;
Hesternisque rubens deiecta est herba coronis,
Atque suas potuit dicere nemo rosas.
O dilecta Deis, o magni Caesaris arbor,
Ne metuas ferrum, sacrilegosque focos.
Perpetuos sperare licet tibi frondis honores;
Non Pompeianae te posuere manus.

16. *Crevit et effuso*. Platanos vino irrigare solebant Veteres, ut melius crescerent. Macrobius Saturn. lib. III, cap. 13. Vide et lib. I. Anthol. εἰς οἶνον.

18. *Atque suas, etc.* Quia sponte natae erant.

20. *Ne metuas:* Quum sis dictatori Caesari sacra.

21. *Perpetuos frondis*. Hoc est, perpetuam viriditatem.

22. *Non Pompeianae*. Victae scilicet, atque infausti ominis manus.

63. — DE PHILAENI.

Tinctis murice vestibus quod omni
Et nocte utitur, et die Philaenis,
Non est ambitiosa, nec superba;
Delectatur odore, non colore.

De Philaeni. Ipsa illa, de qua actum iam lib. VII, epigr. 67. Haec mulier purpureis utebatur vestibus, ut vehementi odore impuri oris foetorem obrueret. Et improbus poëta quam tueri contra accusantes simulat, superbiae enim et luxus innoxiam canit, altius pungit, foeditatis arguens; haec enim criminationibus cunctis peior excusatio. Ed. P.

64. — IN PHOEBUM.

Ad coenam invitant omnes te, Phoebe, cinaedi;
Mentula quem pascit, non, puto, purus homo est.

1. *Phoebe*. Ludit forte in nomine; φοῖβος enim *purum* sonat, quasi dicat, nomine purus, re impurus. — Si iocus circa vocem unam, malim circa τὸ *pascit*, quod ambiguum, et *alimenta suppetit* et *os opplet* pariter significat. Ed. P.

65. — DE STATVA CAESARIS DOMITIANI.

Herculis in magni vultus descendere Caesar
Dignatus Latiae dat nova templa viae,
Qua Triviae nemorosa petit dum regna viator,
Octavum domina marmor ab urbe legit.
Ante colebatur votis, et sanguine largo;
Maiorem Alciden nunc minor ipse colit.
Hunc magnas rogat alter opes, rogat alter honores;
Illi securus vota minora facit.

1. *Herculis, etc.* Domitianus se ad imaginem Herculis, cui templum in Appia via, octavo ab Vrbe lapide, condiderat, fingi et coli voluit, epigr. 102 infra. — Mirum autem quam cupide similes sese fabulosi *scytalosagittipelligeri* (sic vocat Tertullianus) dici et effici voluerint fatui et mali imperatores, Domitianus, Commodus, Caracalla; et post eos collega Diocletiani, Maximianus, cui cognomen additom est imperanti *Herculius*. Eo. P.

2. *Latiae viae.* Videtur Poëta intelligere viam Appiam, quam templo decoravit Domitianus, in quo sub Herculis imagine adorari volebat.

3. *Qua Triviae.* Hoc est, Dianae, lib. Spect. epigr. 1. — *Nemorosa regna.* Templum celeberrimum et antiquissimum intellige, cui lucus Dianae Aricinae sacer adiacebat. — *Viator.* Pedes scilicet; equiti enim nemus illud adire non licebat.

4. *Octavum marmor.* Hoc est, octavum ab Vrbe milliarium. Sic dominam Romam dixit lib. I, epigr. 4.

6. *Maiorem Alcidem.* Domitianum intellige, quem precibus et victimis colebant Romani: eum rursus antepooit Herculi, in epigrammate iam supra citato.

7. *Hunc.* Domitianus nempe.

8. *Illi securus.* Quia Hercules non aegre feret a se minori Deo peti minora, quam a Domitiano Deo maiori.

66. — AD HERCVLEM, DE EADEM STATVA.

Alcide, Latio nunc agnoscende Tonanti,
Postquam pulchra Dei Caesaris ora geris,
Si tibi tunc isti vultus habitusque fuissent,
Cesserunt manibus quum fera monstra tuis;

Nullum facit adulandi finem poëta, Herculemque a Caesaris facie tantam dignitatem capere dicit, ut, si illum vultus honorem et elegantiam mortalis habuisset olim, nullum omnino periculum aditurus fuisset.

1. *Nunc agnoscende Tonanti.* Nunc tandem probas te Iovis Capitolini filium, postquam indutus es formam Domitiani, modo supra epigr. 65, vs. 1.

Argolico famulum non te servire tyranno
Vidissent gentes, saevaque regna pati:
Sed tu iussisses Eurysthea; nec tibi fallax
Portasset Nessi perfida dona Lichas.
Oetaei sine lege rogi securus adisses
Astra patris summi, quae tibi poena dedit;
Lydia nec dominae traxisses pensa superbae;
Nec Styga vidisses, Tartareumque canem.
Nunc tibi Iuno favet, nunc te tua diligit Hebe;
Nunc te si videat Nympha, remittet Hylan.

5. *Argolico tyranno.* Eurystheo, regi Argivorum, qui ope Iunonis prior Hercule natus erat: quamobrem ius habuit in Herculem, ipsique imperavit, ut atrocissima tota subiret pericula. Haec historia satis nota.

8. *Fallax Lichas.* Servus nempe Deianirae nomine vestem Nessi centauri Herculi portavit; quam vocat *perfida dona*, quia veneno imbutam muneris loco illam Deianirae reliquerat Centaurus. Hac indutus Hercules, sic furore correptus est ut in flammas se immiserit.

9. *Oetaei sine lege rogi.* Hoc est, non combustus rogo exstructo in Oeta monte caelum adiisses, sed a morte immunis inter Deos relatus fuisses.

11. *Lydia nec dominae.* Omphalen reginam Lydiae intellige, quae Herculem amore perditum ad fila deducenda compulit.

12. *Nec Styga vidisses.* Hoc est, nec ab Omphale iussus, ut videtur Martialis intelligere, aut potius ab Eurystheo, ut aliis placet, descendisses ad Inferos.

13. *Hebe.* Iunonis filia sine patre, Dea iuventutis, quae uxor data est Herculi in caelum relato.

14. *Nunc te.* Scilicet si referentem Domitiani effigiem te videat Amphidacia Nympha, quae tuum Hylan rapuit, illum reddet.

67. — AD FABVLLVM.

Vxor quum tibi sit formosa, pudica, puella,
Quo tibi natorum iura, Fabulle, trium?
Quod petis a nostro supplex Dominoque Deoque,
Tu dabis ipse tibi, si potes arrigere.

2. *Quo.* Hoc est, quorsum tibi opus est iure trium liberorum?

68. — IN AESCHYLVM.

Lascivam tota possedi nocte puellam,
  Cuius nequitias vincere nemo potest.
Fessus mille modis, illud puerile poposci;
  Ante preces totas, primaque verba dedit.
Improbius quiddam ridensque rubensque rogavi;
  Pollicita est nulla luxuriosa mora.
Sed mihi pura fuit; tibi non erit, Aeschyle: si vis,
  Accipe et hoc munus conditione mala.

3. *Illud puerile poposci.* Δύσφημον ἐκεῖνο, ὅ τι πάσχουσιν οἱ παῖδες. Sic saepe hoc pronomen ponitur, relato subintellecto. Catullus: *Et quaerendum unde unde foret nervosius illud.* Sic *res illas* dixit Arnobius τὸ ἀνδρεῖον. Dicebantur aliquando *multa illa*, id est, lascivae illae et obscoenae voluptates. Et Catullus: *Vbi illa multa tam iocosa fiebant.* Graeci ταῦτα vel ἐκεῖνα eodem modo. *Herald.*

5. *Improbius, etc.* Ore morigerari.

7. *Sed mihi, etc.* At tunc primum improbum id faciebat; hactenus voluptatis illius expers fuerat et rudis; nunc non est. Eo. P.

8. *Conditione mala.* Magno pretio, caro emptum.

69. — IN MAGISTRVM LVDI.

Quid tibi nobiscum est, ludi scelerate magister,
  Invisum pueris virginibusque caput?
Nondum cristati rupere silentia galli;
  Murmure iam saevo verberibusque tonas.
Tam grave percussis incudibus aera resultant,
  Causidicum medio quum faber aptat equo.
Mitior in magno clamor furit amphitheatro,

Irascitur clamoso ludi moderatori, somnum poëtae matutinum interrumpenti: ait se didactron soluturum, non si doceat, sed taceat.

2. *Virginibusque.* Verbera timentibus. Vide lib. X, epigr. 62.

3. *Nondum cristati.* Hoc est, nondum galli cecinere. — Scilicet miserrimi illi homines media pene nocte scholam aperire incipiebant, id est, primo diluculo, vel ante, et pene priusquam galli solem advenientem salutarent. Iuv. Sat. VII, 223: *Dummodo non pereat, mediae quod noctis ab hora Sedisti, etc.*

5. *Tam grave, etc.* Non intonas

Vincenti parmae quum sua turba favet.
Vicini somnum non tota nocte rogamus;
Nam vigilare leve est, pervigilare grave.
Discipulos dimitte tuos: vis, garrule, quantum
Accipis ut clames, accipere ut taceas?

minore verberum verborumque strepitu, quam fabri incus, dum fingitur equestris statua causidico.

8. *Vincenti parmae.* Nomen proprium putat Domitius: alii sic interpretantur, quum nempe turba parmulario (sic Thracas, genus gladiatorium celeberrimum nuncupabant quod armati *parma* dimicarent)... Quod autem *sua turba* dixit, non temere; erant enim in Theatro, Amphitheatro, atque Circo factiones, et inde diversus favor. De populi acclamationibus in Circo et Amphitheatro, variisque de factionibus, vide Bullengerum cap. 46, lib. de Circo. — *Vincenti.* Quum parmularii, i. e. qui Thracibus gladiatoribus parma armatis favent, suae factioni victrici applaudunt.

10. *Pervigilare.* Hoc est, tota nocte vigilare gravissimum est.

70. — IN POLYCARMVM.

Quum futuis, Polycarme, soles in fine cacare.
Quum paedicaris, quid, Polycarme, facis?

Nos libentius *Polycharmum* scriberemus. Ed. P.

1. *Quum, etc.* Clarior illius versiculi sensus et sequentis, quam ut commentarii egeat; et pudet.

71. — IN CAECILIANVM.

Dixerat, o mores! o tempora! Tullius olim,
Sacrilegum strueret quum Catilina nefas;
Quum gener atque socer diris concurreret armis,
Maestaque civili caede maderet humus.

Adulatur Caesari, dum reprehendit Caecilianum, vel ut alii legunt, Maecilianum, sua tempora vituperantem, ac priora immodice laudantem.

1. *Dixerat, O mores!* Quum in patriam arma civilia moverentur. Nota est ex Sallustio et aliis Catilinae coniuratio; et celeberrimae quatuor orationes quas in illum et de illo in Senatu et in concione populi habuit tunc consul Cicero.

3. *Quum gener atque socer.* Caesar nempe et Pompeius qui Iuliam Caesaris filiam uxorem duxerat: quorum historia passim obvia. *Insania ferri* pro illius insania, quicumque *arma amens rapit.*

Cur nunc, o MORES! cur nunc, o TEMPORA! dicis?
Quod tibi non placeat, Caeciliane, quid est?
Nulla ducum feritas, nulla est insania ferri;
Pace frui certa, laetitiaque licet.
Non nostri faciunt, tua quod tibi tempora sordent;
Sed faciunt mores, Caeciliane, tui.

72. — DE LEONE ET ARIETE.

Massyli leo fama iugi, pecorisque maritus
Lanigeri, mirum, qua coiere fide.
Ipse licet videas, cavea stabulantur in una,
Et pariter socias carpit uterque dapes.
Nec foetu nemorum gaudent, nec mitibus herbis;
Concordem satiat sed rudis agna famem.
Quid meruit terror Nemees, quid proditor Helles,
Vt niteant celsi lucida signa poli?
Sidera si possent pecudesque feraeque mereri,
Hic aries astris, hic leo dignus erat.

Laudat et stupet concordiam leonis et arietes, simul innoxie habitantium; ideoque dignum utrumque caelo iudicat, aeque ac leonem Nemeaeum, et arietem Phryxi vectorem et Helles.

1. *Massyli.* Libyae pars est Massylia, in qua sunt leones ingentis magnitudinis. — *Pecorisque maritus.* Aries nempe. Sic Virgilius Eclog. VII, *Vir gregis ipse caper*, etc.

4. *Pariter socias*, etc. Vno eodemque cibo vescuntur leo et aries.

5. *Nec foetu.* Hoc est, nec leo desiderat feras, nec aries herbas quibus vesci solet.

6. *Sed rudis agna.* Quod mirum videtur, arietem scilicet agna vesci.

7. *Terror Nemees.* Nemeaeus ille ab Hercule interfectus, de quo lib. V, epigramm. 65. — *Quid proditor.* Phryxi aries, de quo lib. VIII, epigramm. 51.

73. — AD LIBERVM.

Liber, Amyclaea frontem vittate corona,

Rogat hic Martialis a Libero pugile esculentis donatus, quam ob causam absit vinum; ludens nempe in nomen *Liberi*, quod perinde sonat ac Bacchus. Quis autem non obstupescat a vini Deo omnia missa praeter vinum, sine quod friget? Ed. P.

1. *Liber.* Ad quem scripsit, lib.

Qui quatis Ausonia verbera Graia manu,
Clausa mihi texto quum prandia vimine mittas,
Cur comitata dapes nulla lagena venit?
Atqui digna tuo si nomine munera ferres,
Scis, puto, debuerint quae mihi dona dari.

VIII, epigr. 77. Amyclae civitas est Laconiae, in qua reperit Pollux Spartanus pugilatum; quae ars deinceps apud Amyclenses praecipue invaluit.

2. *Qui quatis Ausonia.* Hoc est, qui Italus exerces Graecorum certamen, scilicet pugilatum.

3. *Clausa, etc.* Cur simul cum dapibus sportulae (hoc est enim *texto vimine*) non misisti lagenam?

5. *Digna tuo, etc.* Liber nempe Bacchus dicitur, atque ita Bacchi munera mittere debuit.

74. — IN SVTOREM.

Dentibus antiquas solitus producere pelles,
Et mordere luto putre vetusque solum,
Praenestina tenes decepti regna patroni,
In quibus indignior si tibi cella fuit.
Rumpis et ardenti madidus crystalla Falerno,
Et pruris domini cum Ganymede tui.
At me literulas stulti docuere parentes.
Quid cum grammaticis rhetoribusque mihi?

Dolet sutorem clientem in possessionem agrorum, qui quondam fuerant domini sui, venisse, artem quamquam vilem professum: se autem nobilissima disciplina eruditum, esurire.

1. *Antiquas pelles.* Hoc est, vetera coria; quod videmus cerdones et sutores facere, dum mordicus extendentes corium adaptant calceis.

2. *Solum.* Sumitur hic pro solea calcei rupti, quem reficit sutor.

3. *Praenestina regna.* Legata nempe a patrono, quem sane malis artibus captaverat sutor. Nam haud raro id factum, uti, quum patronus sine liberis decederet, cliens aut libertus in bona patroni succederet; ut contra in liberti, patronus.

4. *In quibus, etc.* In quibus indignum est tibi esse vel cellam servi; quasi dicat, indignus eras cella, ne dicam tota domo, et omnibus bonis. Lib. III, epigr. 48. — *Si tibi cella fuit.* Hoc est, nec cella, nec minima domus parte dignus eras.

6. *Et pruris.* Lascivis φιλόχνισης.

7. *At me literulas.* Per contemptum utitur hoc verbo, atque insanos vocat parentes, quod illum, neglectis pecuniosis artibus, docuerint nobiliores scientias, quae nullum ipsi fructum afferrent.

Frange leves calamos, et scinde, Thalia, libellos;
Si dare sutori calceus ista potest.

9. *Frange leves.* Sic etiam Iuven. Sat. VII, vs. 28: *Frange miser calamos, vigilataque praelia dele;* hoc est, O Musa, abiice studia, siquidem plus prodest ars sutoria. Haud minus suave et luculenter in Anthol. lib. I, cap. 17. Ὄργανα μουσάων, τὰ πολύστονα βίβλια πωλῶ ..... Πιερίδες σώζοισθε, κ. τ. λ.

75. — DE EFFIGIE CAMONI.

Effigiem tantum pueri pictura Camoni
Servat, et infantis prima figura manet.
Florentes nulla signavit imagine vultus,
Dum timet ora pius muta videre pater.

Defunctorum imagines caritatis et memoriae ergo sibi fieri curabant servabantque Veteres. Pater Camoni adolescentis vicennis emortui imaginem expressit, non quidem in illo aetatis flore, ne tantae spei iuvenis aspectus immodico dolore patrem afficeret, sed infantis forma effinxit, quo recordatio foret minus ingrata. Vide et huic confer epigramma graecum cuius id initium: Αὐτὴν Θεοδότην ὁ ζωγράφος, etc. lib. III Anthologiae, cap. 12.

2. *Prima figura.* In MS. Gronovius invenit, *parva figura* et placet, est enim hypallage pro *parvi*. Alterum satis et haberi epigr. 77 infra *primaque forma fuit.* Schnev.

3. *Florentes.* Aetate, scil. viginti annorum.

4. *Muta.* Pictura enim muta; vel quia infantes non loquuntur.

76. — DE BALNEO TVCCAE.

Non silice duro, structilive caemento,
Nec latere cocto, quo Semiramis longam
Babylona cinxit, Tucca balneum fecit;

Irridet balneum Tuccae ligneum, et thermas marmoreas; quum ordo materiae vertendus esset. *Balneum* enim hoc loco accepit pro receptaculo aquarum frigidarum, seu cella frigidaria; *thermas* pro caldaria, in qua erant calefaciendae aquae. Conveniebat, ut thermae fierent ligneae, sic aquis calefaciendis multo aptiores, et marmora ad frigidas excipiendas pararentur. Habebant prisci Romani iuxta thermas, etiam cellas frigidas ut ex Papinio, Plinio iuniore, docer, possel. Radervs.

1. *Structilive caemento.* Nec lapide caeso ad fundamentum iaciendum, cui aedificium superstruatur.

2. *Nec latere cocto, etc.* Bene; nam ex lateribus coctis muri Babylonis. Vnde non his absona Naso Metam.

Sed strage nemorum, pineaque compage,
Vt navigare Tucca balneo possit.
Idem beatas lautus exstruit thermas
De marmore omni, quod Carystos invenit,
Quod Phrygia Synnas, Afra quod Nomas mittit,
Et quod virenti fonte lavit Eurotas.
Sed ligna desunt : subice balneum thermis.

lib. III, de Pyramo et Thisbe incipiens: *Hic ubi fertur Coctilibus muris cinxisse Semiramis urbem.* — *Longam.* Ambitus moenium Babylonis erat milliariorum nostrorum undecim, altitudo pedum ducentorum, latitudo quinquaginta pedum: quo nomine Antipater dixit, ἱππήδρομον ἅρμασι τεῖχος.

4. *Strage nemorum, etc.* Lignis, materia navibus magis, quam frigidariis balneis conveniente.

6. Quam frequenter *beatus* pro locuples, opulentus, splendidissimus, satis notum, vel ex Flacci ἀποστροφαῖς, qui sic magnos amicos allocutus: *O beate Sexti*, *Vitae summa brevis, etc.* lib. I, od. IV. *Quando repostum Caecubum ad festas dapes . . . Tecum sub alta . . . domo*, Beate *Maecenas, bibam!* Epod. X. Ed. P.

7. *De marmore omni.* Varia nempe praestantissimi marmoris genera enumerat. — *Carystos.* Oppidum Euboeae insulae, hodie *Negroponte.*

9. *Eurotas.* Fluvius Laconiae ad quem est marmor viride, quod Lacedaemonium et Laconicum dicitur.

10. *Subice e balneum.* Vt nempe calefiant thermae.

77. — DE EFFIGIE CAMONI.

Haec sunt illa mei, quae cernitis, ora Camoni;
  Haec pueri facies primaque forma fuit.
Creverat hic vultus bis denis fortior annis:
  Gaudebatque suas pingere barba genas;
Et libata semel summos modo purpura cultros
  Sparserat : invidit de tribus una soror;
Et festinatis incidit stamina pensis,
  Absentemque patri rettulit urna rogum.

1. *Haec sunt.* Vid. epigr. 75 supra.

3. *Bis denis annis.* Hoc est, viginti annos natus interiit.

5. *Cultus* alii, vel *vultus.* — *Et libata.* Sensus est, inquit Raderus, et semel illi barba resecta erat. *Purpura* barba forte subrufa, aut prima lanugo, quae flavescit potius. Videtur tamen rufam insinuare.

8. *Absentemque.* Longe enim a patre mortuus et crematus fuerat Camonus.

Sed ne sola tamen puerum pictura loquatur,
Haec erit in chartis maior imago meis.

10. *Haec erit in chartis.* Nunqnam perituris scilicet. Sic lib. VII, epigramm. 84, vs. 6: *Certior in nostro carmine vultus erit.*

78. — DE CONVIVIO PRISCI.

Quod optimum sit disputat convivium
Facunda Prisci pagina;
Et multa dulci, multa sublimi refert,
Sed cuncta docto pectore.
Quod optimum sit quaeritis convivium?
In quod choraules non venit.

Adhibebantur olim Romae in urbe opulentissima, et orbis opes concoquente, ad convivia omnis generis fere instrumenta musica: cantabatur, saltabatur, etc. Hinc Horat. Epod. IX, vs. 1 sq. « Quando repostum Caecubum ad festas dapes, Victore laetus Caesare Tecum sub alta, sic Iovi gratum, domo, Beate Mecaenas, bibam, *Sonante mixtum tibiis carmen lyra. Hac Dorium, illis Barbarum!* » Poëta igitur ait, illud esse convivium suavissimum, in quod nullus veniat choraules, h. e. a quo absit omnis tumultus clamantium, saltantium, ebriosorum: simulque irridet occulte Priscum, tam multis chartis de hac re disputantem, 'quum verbo dici possit.

3. *Multa dulci, multa, etc.* Per hanc vocem innuit nec semel sane longiorem in disputando et verbosiorem Priscum. Ed. P.

5. *Quod optimum sit.* Sensus est: Quid opus est multo sermone? uno scilicet verbo definiri potest, optimum nempe convivium illud esse a quo abest musicorum strpeitus, et in quo quieta est mensa.

6. *In quo. . . erit* Pulmanni codex. Caetera, non variant membranae aut libri typographici. — *Choraules.* Is est qui tibia canit, lib. V, epigramm. 56, vs. 9.

79. — AD PICENTINVM.

Funera post septem nupsit tibi Galla virorum,
Picentine: sequi vult, puto, Galla viros.

Sensus est: Galla venefica post occisos septem viros, tibi Picentino venefico et parricidae nupsit. Ergo videtur decrevisse mori, quod tibi nupserit: qui perinde tollis e medio uxores, ut Galla viros. *Rad.*

2. *Sequi vult, etc.* A te vanefico exstincta. — Immo certius et callidius.

80. — AD DOMITIANVM.

Oderat ante ducum famulos turbamque priorem,
Et Pallatinum Roma supercilium;
At nunc tantus amor cunctis, Auguste, tuorum,
Vt sit cuique suae cura secunda domus.
Tam placidae mentes, tanta est reverentia vestri,
Tam pacata quies, tantus in ore pudor:
Nemo suos (haec est aulae natura potentis),
Sed domini mores Caesarianus habet.

Blanditur Caesari et Caesarianis. Priorum Imperatorum familia tam arrogans et superba fuit, ut intoleranda videretur civibus: tua tam est comis et humana, ut plus illam, quam se ipsos diligant cives.

1. *Turbamque priorem.* Ita legunt alii, scil. *priorem*; recte, inquit Gruterus: nam *turba prior* sunt liberti, qui prae servis odiosissimi, tanquam qui procuratores provinciarum, et exactores tributorum, vectigalium, etc. Legunt alii *turbamque priorum*, Imperatorum nempe, aut Aulicorum qui comitarentur Imperatorem. Eligat lector. —Apud quosdam *minorem*; nec displicet. Sic enim pungit Noster aulicorum multitudinem, qui, principi humillime servientes, servitio rursus cunctos premunt, unde eos dominos minores, secundarios tyrannos *(tyrans en sous-ordre)* iure tuo vocaveris. Eo. P.

2. *Pallatinum supercilium.* Id est, ipsorum Imperatorum, vel aulicae turbae superbos fastus intellige. Vid. not. ad v. 1

8. *Caesarianus.* Hoc est, Aulici et servi Caesaris constituti sunt iuxta mores illius. —Claudianus, VIII, 299: *Componitur orbis Regis ad exemplum... Mobile mutatur semper cum principe vulgus.*

81. — DE GELLIO.

Duxerat esuriens locupletem pauper anumque
Vxorem: pascit Gellius, et futuit.

2. *Pascit Gellius, etc.* Pro *pascitur*; παθητικόν, ut *lavare*, *tondere*, *etc.*— *Futuit.* Vxoremne, an alias? vide Ausonium epigr. 134.—Vxorem reor. Eo. P.

82. — AD AVCTVM.

Lector et auditor nostros probat, Aucte, libellos;

Carmina probari sua passim ab omnibus, ab uno tamen aliquo vituperari, velut non satis limata et emendata dicit Poëta, simulque ad-

Sed quidam exactos esse poëta negat.
Non nimium curo: nam coenae fercula nostrae
Malim convivis, quam placuisse coquis.

dit se convivis, non coquis scribere, poëtam illum aemulum esse coquum, non poëtam. *Rader.* — Nempe credit Raderus de malo poëta hic agi. Minime ego: ait Noster tantum ob aemulationem poëtas a poëtis immerito saepe carpi; sic feminas a feminis, sic coquos a coquis, etc. Placeat poëta legentibus, non poëtis; mulier viris, non aemulis et invidis mulieribus; coquus convivis, non aliis coquis. Ed. P.

2. *Exactos.* Alii, *exoctos*: quasi petita esset metaphora ab arte coqui. Videat lector.

3. *Fercula.* Hoc est, cibos. Alias sunt vasa, et deorum simulacra, atque caetera id genus quae in pompa vel triumpho ferebant Romani.

4. *Malim convivis.* Sensus est: Malim mea carmina placere lectoribus atque auditoribus, quam poëtis aemulis. Sic cibi non coquis, sed convivis parantur. Vide quae modo ad lemma notavimus. Ed. P.

83. — IN MVNNAM.

Dixerat astrologus periturum te cito, Munna;
Nec, puto, mentitus dixerat ille tibi;
Nam tu dum metuis, ne quid post fata relinquas,
Hausisti patrias luxuriosus opes.
Bisque tuum decies non toto tabuit anno;
Dic mihi, non hoc est, Munna, perire cito?

Astrologus Munnam (vel Cinnam, ut alii) divitem, brevi moriturum praedixerat; Munna decoxit subito omne patrimonium, nec mortuus est. Poëta veridictum tamen fuisse ait astrologum, vere enim periisse Munnam, quum bona omnia perierint. *Rader.*

5. *Bis quartum decies* alii. — *Bisque tuum decies.* Scil. patrimonium constans vicies centenis millibus sestertium.

6. *Perire cito.* Elegans sane epigramma, et e Graecorum myrothecii sumptum. Nam ἄσωτον appellant, hominem luxuriosum et cuius salus est deplorata ac plane exhausta facultatibus scil. exhaustis. *Herald.*

84. — AD CAESAREM DOMITIANVM.

Inter tanta tuae miracula, Caesar, arenae,

Histrionibus Domitianus scena interdixerat; edictum laudat Poëta. Verum si altius cum Lipsio inspicere iuverit, intelliges, hic de equitibus romanis sermonem esse, quos priores Principes ad operas scenicas ade-

Quae vincit veterum munera clara ducum,
Multum oculi, sed plus aures debere fatentur
Se tibi, quod spectant, qui recitare solent.

gerant, Domitianus minime, ne clarissimus ordo sordesceret. *Raderus.*

3. *Multum oculi.* Propter spectacula magnificentissima. — *Sed plus*, *etc.* Propter edictum, quo interdixisti histrionibus scena, nec enim equites (ut sub Nerone aliisque Impp.) histrioniam exercent, sed ex recitatoribus facti sunt auditores. Suet. Domit. cap. 7: Nec enim iam spectatorum aures obscoenis carminibus obtundent histriones.

4. *Quod spectant.* Histriones nimirum aulici.

85. — AD NORBANVM.

Quum tua sacrilegos contra, Norbane, furores
Staret pro domino Caesare sancta fides,
Haec ego Pieria ludebam tutus in umbra,
Ille tuae cultor notus amicitiae.
Me tibi Vindelicis raptum narrabat in oris,
Nescia nec nostri nominis Arctos erat.
O quoties veterem non inficiatus amicum
Dixisti, Meus est iste poëta, meus!

Lectos olim Norbano seorsim singulos libellos, nunc eidem uno volumine digestos Noster mittit in Vindeliciam.

1. *Sacrilegos.* Hoc est, contra Antonium Saturninum Germaniae superioris praesidem, qui bellum civile moverat, ut videre est lib. IV, epigr. 11.

3. *Haec ego Pieria.* Vmbra enim et quiete delectantur poëtae, lib. I, epigr. 77. — *Ludebam tutus in umbra.* Iisdem fere verbis quibus ad lyram suam Horatius, lib. I, od. XXXII: *si quid vacui sub umbra Lusimus tecum.* Ed. P.

5. *Rhaetus* in textum suum recepit *Barbou* in ed. Par. 1754. — *Me tibi vindelicis raptum.* Hoc est: Fama narrabat me fato functum; febri enim laboraverat Martialis, lib. V, epigr. 9. Cluverius lib. III, capite 4 suae Introductionis: *Rhoeti Alpes tantum incoluere, et earum valles, a septentrione ad lacum usque Brigantinum; sub Alpibus vero ad Danubium usque fuere inter dictum lacum et Aenum flumen Vindelici.* Quibus placet: *Me tibi Vindelicis Rhaetus narrabat in oris*, intelligunt addictum; namque carminum suorum famam, non mortis, eo pervenisse dicit Poëta, ut aiunt.

6. *Arctos.* Hoc est, populi Septemtrionis noverunt me. Arctos enim (ἄρκτος, *ursa*) stella est polo proxima. Ed. P.

Omne tibi nostrum, quod bis trieteride iuncta
Ante dabat lector, nunc dabit auctor opus.

9. *Bis trieteride.* Trieteritis triennium est.

86. — DE PAVLLO.

Languidior noster si quando est Paullus, Atili,
Non se, convivas abstinet ille suos.
Tu languore quidem subito fictoque laboras,
Sed mea porrexit sportula, Paulle, pedes.

Aegrum se Atilius simulabat, ne cogeretur amicis impertiri sportulam: hunc morbum non Atilio, sed suae sportulae ait lethalem. *Rad.*

2. *Non se.* Ipse non abstinet a conviviis, sed convivas non vocat. Notabile autem est verb. *abstinet* cum accusativo: sensus nempe est, abstinere iubet, cogit.

4. *Sed mea porrexit.* Hoc est, morbus tuus non tibi, sed mihi, seu sportulae noxius est. Metaphora ducta a modo componendi mortuos, qui depositi ad ianuam versus viam extendebant pedes. Persius sat. III: *Hinc tuba, candelae, tandemque beatulus alto Compositus lecto, crassisque lutatus amomis, In portam rigidos calces extendit*, etc.

87. — IN OBITVM SEVERI SILII.

Festinata sui gemeret quum fata Severi
Silius, Ausonio non semel ore potens;
Cum grege Pierio moestus Phoeboque querebar;
Ipse meum flevi, dixit Apollo, Linon.
Respexitque suam, quae stabat proxima fratri,
Calliopen, et ait: tu quoque vulnus habes.

1. *Sibi* Palmannus, qui etiam pro *quum* vult *quod.*

2. *Silius* Italicus est, quem solatur Poëta exemplo deorum, quorum et filii acerbo fato rapti sunt. — *Ausonio non semel.* Hoc est, non eloquens uno tantum orationis genere, egregius quippe orator fuit, et poëta.

3. *Cum grege.* Ego, inquit Martialis, condolebam et querebar cum Phoebo et Musis; quae et Pierides dictae.

4. *Linon.* Apollinis et Terpsichores filium, quem ab Hercule occisum ferunt poëtae. Pausanias in Corinthiacis refert Linum Apollinis et Psamathes filium; in Boeoticis vero Linum alium Vraniae et Amphimari filium poëtam egregium fuisse affirmat.

6. *Tu quoque vulnus habes.* Occiso scilicet Orpheo eius filio, cuius historia satis nota.

Aspice Tarpeium, Pallatinumque Tonantem;
Ausa nefas Lachesis laesit utrumque Iovem.
Numina quum videas duris obnoxia fatis,
Invidia possis exonerare Deos.

7. *Aspice Tarpeium.* Cuius filius Sarpedon ad Troiam periit. Virgil. Aeneid. X: *Troiae sub moenibus altis Tot nati cecidere Deum; quin occidit una Sarpedon mea progenies.* — *Pallatinumque.* Domitianum, cuius filius infans adhuc mortuus est; de quo iam diximus lib. VI, epigr. III.

8. *Lachesis.* Vna e tribus Parcis.

10. *Invidia possis.* Sensus est: Non debes diis irasci, qui et ipsi natorum acerbum fatum lugent.

88. — AD LVPERCVM.

Septem post calices Opimiani
Denso quum iaceam triente blaesus,
Affers nescio quas mihi tabellas,
Et dicis, Modo liberum esse iussi
Nastam (servulus est mihi paternus);
Signa: cras melius, Luperce, fiet.
Non signat meus annulus lagenam.

In testamentorum suppositorem est hoc epigramma, qui tum testes iubebat obsignare, quum iudicare de testamento ebrii non possent, recte an perperam scriptum esset. Martialis ergo sobrile testamenta signande docet. *Rad.*

2. *Triente.* Qui capit quatuor cyathos. — *Blaesus.* Τραυλός, qui litteras non potest omnes rite exprimere. Ebrii enim, ut mentis, sic et linguae compotes non sunt.

3. *Nescio quas.* Suppositities nempe, quas manumissionis esse dicebat Lupercus, quum tamen essent testamentariae falsae nempe, aut aliunde estringentes.

6. *Signa.* Inquit Lupercus, ut constet de manumissione. — *Cras melius fiet.* Haec Martialis. *Cras*, quum nempe sobrii erimus; tunc enim distinguere poterimus, an revera de libertate tantum agatur. — Et hic nemo non meminit Archiae celeberrimum dictum: *Εἰς αὔριον τὰ σπουδαῖα*, *in crastinum seria.* Plutarch. Pelopidas. Quamquam hic remisse et negligenter; Noster salidissime. Ed. P.

7. *Nunc signat.* Ne servi vinum hauriant. Horat. lib. II, epist. II, vs. 133: *Posset qui ignoscere servis, Et signo laeso non insanire lagenae.*

89. — AD RVFVM.

Dum me captares, mittebas munera nobis;

Amicitiam donis partam, donis alendam et conservandam docet.

1. *Me captares, etc.* Amicitiam meam, vel haereditatem.

Postquam cepisti, das mihi, Rufe, nihil.
Vt captum teneas, capto quoque munera mitte,
De cavea fugiat ne male pastus aper.

3. *Vt captum etc.* Eadem enim arte servantur res, qua acquisitae fuarunt.

4. *De cavea.* Hoc a simili dicit Poëta; ut enim fera esuriens fugit, sie ego renuntiabo tuae amicitiae. Est autem cavea septum, in quo ferae includuutur: est etiam locus ubi populus sedens ludos spectabat.

90. — AD STELLAM.

Lege nimis dura convivam scribere versus
Cogis, Stella: licet scribere nempe malos.

Neque enim ex tempore, nequa inter pocula scribuntur boni versus, Euripide el Virgilio digni.

1. Ipse tamen, quum Stella insisset αὐτοσχεδιαστὶ versus scribere, composuit hoc distichon.

91. — AD FLACCVM.

Sic in gramine floreo reclinis,
Qua gemmantibus hinc et inde rivis
Curva calculus excitatur unda,
Exclusis procul omnibus molestis,
Perfundas glaciem triente nigro,
Frontem sutilibus ruber coronis;
Sic uni tibi sit puer cinaedus,

Flaccum amicum monet, qui in Cypro dagebat, ut per ardores aestivos tuestur valetudiuem, quo salvus et incolumis possit redire in Vrbem. *Rader*.

2. *Qua gemmantibus, etc.* Ad lene murmur limpidi rivi lapillos lapsu molliter excitantis.

5. Alii *Pertundas*, id est, frangas. Recte: eodem scil. modo quo guttae saxa pertunduut. Sciendum aliquando delicatiores vino superaddidisse nivem; de quo more supra lib. V, epigr. 64; aliquando vero implesse calicem nive, eamque vino sensim superfuso solvisse, quem morem hic tangi puto: fiebatque hoc ex alto, ac stillatim, adeo ut primo quasi cavaretur nix glaciesve. — *Triente nigro.* Continens poculum sumit pro vino contento. — *Nigrum* autem de mero saepe dici iam vidimus. Ita ipse *marmorea fundens nigra Falerna manu*; et passim. En. P.

6. *Frontem ruber.* Hellenismus est: epigr. citato, not. 5, *Lassenturque rosis tempora sutilibus.*

Et castissima pruriat puella;
Infamem nimio calore Cypron
Observes, moneo precorque, Flacce,
Messes area quum teret crepantes,
Et fulvi iuba saeviet Leonis.
At tu, diva Paphi, remitte, nostris
Illaesum iuvenem remitte votis.
Sic Martis tibi serviant Kalendae,
Et cum thure, meroque, victimaque
Libetur tibi candidas ad aras
Secta plurima quadra de placenta.

9. *Cypron*. Ipse nuper lib. VIII, epigr. 45: *Quum te, Flacce, mihi reddet Cythereia Cypros.*

11. *Messes crepantes*. Quae aridae et siccae.

12. *Et fulvi iuba*. Mense scilicet Augusto, quo Sol in Leone summos excitat calores.

13. Paphus urbs Cypri, quae nunc semiruta vocatur *Palepafo*, quasi ἡ πάλαι Πάφος. Ed. P.

15. *Sic Martis tibi*. Kalendae Martiae a feminis celebrabantur in honorem Veneris, ut lib. V, epigr. ultimo.

17. *Candidas ad aras*. Diis manibus nigras, Superis vero candidas aras erigebant antiqui.

18. *Secta*. Frusta. Libum, seu placenta in plurimas partes divisa.

92. — ADVLATVR DOMITIANO.

Ad coenam si me diversa vocaret in astra
Hinc invitator Caesaris, inde Iovis;
Astra licet propius, Pallatia longius essent,
Responsa ad superos haec referenda darem;
Quaerite, qui malit fieri conviva Tonantis;
Me meus in terris Iupiter, ecce, tenet.

1. *Diversa in astra*. Hoc est, si me hinc Iupiter vocaret ad sua astra, inde Domitianus ad sua, seu ad suum Palatium (quum enim Deus sit lib. V, epigr. 8, Palatium eius caelum vocat), tamen adirem Domitianum.

6. *Iupiter, ecce, tenet*. Domitianus ipse Iupiter, loco citato. Videtur huic epigr. praebuisse materiam, epulum illud Domitiani, quod celebrat Papinius libro primo Sylvarum; et cadebat in Kalend. Decembr. Saturn.

93. — AD CONDYLVM.

Quae mala sint domini, quae servi commoda nescis,
Condyle, qui servum te gemis esse diu.
Dat tibi securos vilis tegeticula somnos;
Pervigil in pluma Caius, ecce, iacet.
Caius a prima tremebundus luce salutat
Tot dominos: at tu, Condyle, nec dominum.
Quod debes, Cai, redde, inquit Phoebus, et illinc
Cinnamus: hoc dicit, Condyle, nemo tibi.
Tortorem metuis? podagra, cheragraque secatur
Caius; et mallet verbera mille pati.
Quod nec mane vomis, nec cunnum, Condyle, lingis,
Non mavis, quam ter Caius esse tuus?

Dominum saepe infeliciorem servo, docet in personis Condyli servi, et Caii domini.

3. *Lecticula* alii. — *Tegeticula*. Teges enim storea seu matta est unde diminutivum.

4. *Pervigil in pluma*. Essomnis nocte tota, cui curae somnum negant. — *Caius*. Dominus tuus. — Notum id in caerimoniis nomen domino, ut et *Caia* dominae. Ed. P.

6. *Tot dominos*. Quot nempe habet patronos.

7. Anton. *de Rooy* putat legendum *hinc ait* pro *inquit*. — *Phoebus et Cinnamus*. Foeneratores.

9. *Tortorem*. A quo aliquando vapulas. — *Podagra cheragraque*. Quae sunt atroces in membrorum articulia dolores; gallice, *la goutte*.

11. *Quod nec*. Quod non facis turpissima illa, quibus delectatur dominus tuus, hoc tua certe conditio ter illius conditionem superat. — *Mane vomis, etc.* Ab hesterna crapula; vel ad purgandum stomachum, ut rursus convivium inire sufficias. — Qui mos apud Romanos etiam elegantiores quo pacto invaluerit nescio, at invaluit, teste historis. Ed. P.

94. — AD CALOCISSVM.

Addere quid cessas, puer, immortale Falernum?
Quadrantem duplica de seniore cado.

Adulatur Domitiano, et veneratur ut Deum, in cuius gratiam se primum sex cyathos hausturum; postea decem, ad nomen Caes. Domitiani vel Germanici exprimendum.

1. *Addere, etc.* Fundere, miscere. — *Immortale Falernum*. Multos ferens annos; vel, nectari, quod confert immortalitatem, non postponendum.

2. *Quadrantem, etc.* Funde duos quadrantes, id est, sex cyathos: quadrans enim tres continet. — *Seniore*

Nunc mihi dic, quis erit, cui te, Calocisse, Deorum
Sex iubeo cyathos fundere? Caesar erit.
Sutilis aptetur decies rosa crinibus, ut sit
Qui posuit sacrae nobile gentis opus.
Nunc bis quina mihi da basia, fiat ut illud
Nomen, ab Odrysio quod Deus orbe tulit.

cado. Veteris tituli, interioris notae vini optimi et vetusti.

4. *Caesar erit*. Habet enim sex literas, soluta nimirum diphthongo: tot vero cyathos haurire solebant Veteres, quot essent literae in nomine illius in cuius gratiam bibebant, lib. I, epigr. 72.

5. *Sutilis aptetur*. Lib. V, epigr. 54, vs. 4. — *Decies*, quia in suo nomine decem literas habet *Domitianus*, qui Flaviae genti templum dicavit, vid. epigr. II supra.

6. *Nobile*, *etc*. Templum Flaviae gentis, de quo supra epigr. 24 et 35.

7. *Fiat ut illud nomen*. Germanicus, vel Sarmaticus: quod nomen a Germania et Sarmatia subacta sumpsit Domitianus.

95. — DE HIPPOCRATE.

Santonica medicata dedit mihi pocula virga;
Os hominis! mulsum me rogat Hippocrates.
Tam stupidus nunquam nec tu, puto, Glauce, fuisti,
Chalcea donanti Chrysea qui dederas.
Dulce aliquis munus pro munere poscit amaro?
Accipiat, sed si potat in helleboro.

Santonica. Hoc est, imbuta absinthio, de quo sic Plinius lib. XVII, cap. 7: *Absinthii genera sunt plura. Santonicum appellatur a Galliae civitate, Ponticum a Ponto ubi pecora pinguescunt illo*. Legunt alii, *Sardoa*: in Sardinia nempe multae sunt herbae amarae et venenatae.

2. *Os hominis*, *etc*. Vide impudentiam hominis. — *Mulsum*. Potio est ex vino et melle confecta.

3. *Glauce*. Qui nempe aurea arma ferreis permutavit cum Diomede. Videndum ad Homeri Iliad. E: Ὃς πρὸς Τυδείδην Διομήδεα τεύχε' ἄμειβε Χρύσεα χαλκείων.

4. *Chalcea*. . . . *Chrysea* Graecae voces quae *aerea*, *aurea* significant.

6. Ant. *de Rooy* malit *Accipiat*; *sed sic*: *potet in helleboro*. *Sic*, id est *hoc pacto*, *hac conditione*. — *Sed si potat*. Hoc est, ea lege mulsum dabo, ut illud potet simul cum helleboro, quod insaniam purgat, hoc est, si fateatur se insanire.

96. — DE ATHENAGORA.

Alphicus ante fuit; coepit nunc Olficus esse,
Vxorem postquam duxit Athenagoras.
Nomen Athenagorae credis, Callistrate, verum;
Si scio, dispeream, quis sit Athenagoras.
Sed puto me verum, Callistrate, dicere nomen:
Non ego, sed vester peccat Athenagoras.

1. *Alphicus*, id est, medicus curans vitiliginem, quae Graecis ἄλφος dicitur. Porro ducta uxore coepit lingere cunnum, inquit Domitius; unde factus est *olficus*, hoc est, olfaciens cunnum. Ludit autem in paronoma *fici*; nam idem et unum prope sonant *Alphicus* et *Olphicus*.

6. *Non ego pecco*, quia aperte eum nomino, quem Alphicum et Olficum novis nominibus dixi: sed ipse peccat Athenagoras, qui argumentum et causam huius appellationis mihi suppeditavit. Ed. P.

97. — DE HERODE.

Clinicus Herodes trullam subduxerat aegro;
Deprensus dixit, Stulte, quid ergo bibis?

1. *Clinicus.* Subaud. *medicus.*—*Trullam.* Vas, quo ad bibendum utuntur.

2. *Deprensus dixit.* Sic nimirum furtum excusat Herodes, quasi trullam removisset, ne medici iussa nequaquam curans aeger siti clam indulgeret, quod illi lethale futurum esset.

98. — AD IVLIVM.

Rumpitur invidia quidam, carissime Iuli,
Quod me Roma legit, rumpitur invidia.
Rumpitur invidia, quod turba semper in omni
Monstramur digito, rumpitur invidia.

Ad Iulium. Martialem, de quo actum lib. I, epigr. 16, et lib. VII, epigr. 17. — Non, ut Horatius, qui lib. IV, od. II, ovans canit, *Et iam dente minus mordeor invido*, gloriatur Martialis sibi invideri et ob augescentem pecuniolam simul et gratiam. Neque enim nisi pulcherrimis et magnis rebus invidetur.

Apud Latinos frequenter *invidendus* clara, alta, pulchra significat: *Cur invidendis postibus, et novo Sublime ritu moliar atrium?* Horat. lib. III, od. 1. Ed. P.

4. *Monstramur digito.* Vt nobilis poëta. Monstrari enim digito, apud Veteres, τῆς εὐδοξίας τεκμήριον. Sic δείκνυσθαι τῷ δακτύλῳ apud Graecos;

Rumpitur invidia, tribuit quod Caesar uterque
Ius mihi natorum, rumpitur invidia.
Rumpitur, invidia, quod rus mihi dulce sub Vrbe est.
Parvaque in urbe domus, rumpitur invidia.
Rumpitur invidia, quod sum iucundus amicis,
Quod conviva frequens, rumpitur invidia.
Rumpitur invidia, quod amamur, quodque proba-
Rumpatur, quisquis rumpitur invidia. (mur;

unde *monstrabilis*, ὁ ἀριδείκετος. Lib. I, epigr. 1, vs. 1, καταδακτυλίζομαι. Et hinc Horatius lib. IV, od. II, ad Melpomenen: *Quod* monstror digito *praetereuntium Romanae fidicen lyrae*, etc. Ed. P.

5. *Caesar uterque*. Titus et Domitianus.

12. *Rumpatur*. Sic Virgilius Eclog. VIII: *invidia rumpantur ut ilia Codro*.

99. — AD Q. OVIDIVM.

Vindemiarum non ubique proventus
Cessavit, Ovidi: pluvia profuit grandis.
Centum Coranus amphoras aquae fecit.

3. *Centum Coranus*. Quidam sane perfidus caupo, qui in summa vini caritate aquam multam infundebat vino, quod pro mero vendebat. Vid. lib. I, epigr. 57.

100. — AD ATTICVM DE M. ANTONIO.

Marcus amat nostras Antonius, Attice, Musas,
Charta salutatrix si modo vera refert,
Marcus Palladiae non inficianda Tolosae
Gloria, quem genuit pacis alumna quies.
Tu qui longa potes dispendia ferre viarum,

1. *Marcus*. M. Antonius Primus hic canitur, dux celeberrimus Flavianarum partium, et vix ulli antiquorum, sive ad prudentiam, sive ad ingenium respexeris, postponendus. Et huic sane victoriam Flaviani suam debuere; Vespasiano imperium detulit quidem Mucianus, Antonius dedit.

2. *Charta, etc.* Epistola salutatoria. — *Si modo vera refert*. Si non blanditur, aut invidet perfide laudando.

3. *Palladiae Tolosae*. Quae urbs dudum satis nota, Galliae Narbo-

I liber, absentis pignus amicitiae.
Vilis eras, fateor, si te nunc mitteret emptor.
Grande tui pretium muneris auctor erit.
Multum, crede mihi, refert, a fonte bibatur
Quae fluit, an pigro quae stupet unda lacu

nensis apud Volcas Tectosages, in qua nempe florebant literae.

7. *Si te nunc.* Longe enim carior atque emendatior est liber ab ipso auctore missus.

9. *Multum crede mihi, etc.* Ovid. epist. ex Ponto, III, v. 17 sq. *Quamquam sapor est adlata dulcis in unda; Gratius ex ipso fonte bibuntur aquae.* Liber autem, qui ex auctoris ipsius munere venit, comparandus merito est aquis iis quae ex ipso fonte fluunt et bibuntur.

101. — IN BASSVM.

Denariis tribus invitas, et mane togatum
Observare iubes atria, Basse, tua;
Deinde haerere tuo lateri, praecedere sellam,
Ad viduas tecum plus minus ire decem.
Trita quidem nobis togula est, vilisque, putrisque;
Denariis tamen hanc non emo, Basse, tribus.

1. *Togatum.* Me clientem observantem atria, ut te patronum salutem.

3. *Haerere tuo lateri.* Comitis vice. — *Praecedere sellam.* Anteambulonis officio.

4. *Ad viduas.* Divites nimirum atque orbas, quas captare volebat Bassus.

5. *Trita quidem.* Sensus est: Mihi forte parvam das sportulam, quod trita sit vestis mea: at, licet sit lacera et vilis, tua tamen sportula trium denariorum non sufficit ad emendam similem.

5. *Denariis, etc.* Sic dictum lib. IV, epigr. 26.

102. — ADVLATVR DOMITIANO.

Appia, quam simili venerandus in Hercule Caesar
Consecrat, Ausoniae maxima fama viae,

Domitiani facta cum gestis Herculis contendit, et Domitianum maiorem Hercule facit, et Herculem Maiorem appellat. *Rad.*

1. *Appia.* In qua nempe, Latinarum viarum celeberrima, templum Herculi consecraverat Domitianus, in quo ipse sub illius imagine colebatur.

2. *Ausoniae maxima fama viae.*

Si cupis Alcidae cognoscere facta prioris,
Disce : Libyn domuit ; aurea poma tulit ;
Peltatam Scythico discinxit Amazona nodo ;
Addidit Arcadio terga leonis apro.
Aeripedem sylvis cervam, Stymphalidas astris
Abstulit : a Stygia cum cane venit aqua.
Fecundam vetuit reparari mortibus Hydram ;
Hesperias Tusco lavit in amne boves.
Haec minor Alcides : maior quae gesserit, audi,
Sextus ab Albana quem colit arce lapis.
Asseruit possessa malis Pallatia regnis ;
Prima suo gessit pro Iove bella puer.

Namque tam mirae pulchritudinis Appia via fuit ut *reginam* viarum illam appellarint.

3. *Alcidae prioris.* Herculis Alcmenae filii labores enumerat. De quibus vide mythologos, et quae Farnabius ad Senecae Herc. fur. 214, et Herc. Oet. 15.

4. *Libyn domuit.* Hoc est : In Africa Antaeum vicit, cuius nota historia : atque aurea mala Hesperidum horto decerpsit, custode interfecto dracone.

5. *Peltatam.* Pelta scutum est brevius, quo utebantur Amazones, quarum reginam Hippolytam vicit Hercules : *Abstulit Hippolytae, sexto, sua vincula victae.* — *Scythico nodo.* Periphrasis est baltei : in Scythia vero ad Tanaim et Thermodontem fluvium habitaverunt Amazones.

6. *Addidit Arcadio.* De leone et apro ab Hercule interfectis saepius dictum.

7. *Astris.* Ante legebatur: *S. undis*, quod falsissimum, ex mente Poetae. Deprehensae enim in aëre Harpyiae, non in lacu. *Gruter.* — *Astris* cod. Beverland. et sic expressum dant Maitt. et *Burbou.* — *Aeripedem cervam*) *Cornibus auratis cervum necat ordine quarto.* Et in Nostro legunt quidam *cervum.* Aurea habebat cornua; Dianae sacra erat ; in monte Maenalo vagabatur; quam Hercules cepit, et Dianae Taygetae consecravit. Sic Raderus. — *Stymphalidas astris.* Stymphalis lacus in Arcadia, ubi aves Stymphalides inusitatae magnitudinis, quae humanis carnibus vescebantur, et quas per aëra volantes occidit Hercules.

9. *Fecundam vetuit.* Igne scilicet admoto, impediit ne hydrae capita renascerentur.

10. *Hesperias Tusco.* Geryonis scilicet boves. Vide lib. V, epigr. 49 et 65. Ex Hispania in Italiam adduxit, et Tiberi eas lavit.

11. *Maior.* Nempe Domitianus. Vide epigr. 65 supra.

12. *Sextus ab Albana.* Hoc est, ad sextum milliarium ab arce Albana, octavum vero ab Vrbe, epigr. cit.

13. *Asseruit possessa.* Hoc est : Vitellianis eiectis, imperium sibi vindicavit, et Capitolium defendit. Vid. Suetonius in Domitiano.

14. *Prima suo gessit, etc.* In bello

Solus Iuleas quum iam retineret habenas,
Tradidit, inque suo tertius orbe fuit.
Cornua Sarmatici ter perfida contudit Istri;
Sudantem Getica ter nive lavit equum.
Saepe recusatos parcus duxisse triumphos,
Victor Hyperboreo nomen ab orbe tulit.
Templa Deo, mores populis dedit, otia ferro,
Astra suis, caelo sidera, serta Iovi.

Vitelliano confugit ad Capitolium quod tutatus est.

15. *Solus*. Adulatorie: sed haec adulatio Domitiano gratissima. — *Iuleas habenas*. Caesareas, Imperatorias, sic dictas a Iulio Caesare Imperatore. Absente enim patre; se pro Imperatore gerebat. Scilicet Mucianus Vespasiani dux, Vitellio occiso, Domitianum extraxit, cumque eo administrabat omnia summa potestate, donec Vespasianus in Vrbem venisset. Xiphil. Vesp. Nec dubitavit Domitianus imperium adeptus in senatu iactare, *et patri se et fratri imperium dedisse: illos sibi reddidisse*. Suet. Domitiani cap. 13. — Immo et, ut narrat Histor. Lib. IV, cap. 84, Tacitus, quo anno (V. C. 822, Chr. N. 69) imperium Vespasianus pater obtinuit, voluit sibi principatum deferri, et ut dominium Galliarum sibi traderetur, Petilii Cerialis qui modo in Batavia bellum profligaverat, et immensa auctoritate apud populum et proceres et exercitus pollebat, fidem epistolis multis, frustra attamen, tentavit. En. P.

16. *In suo orbe tertius*. Hoc est, satis gloriae suae fore existimavit, quod tertius imperium ipse adeptus esset; post Vespasianum enim et Titum regnavit. Argute autem dictum *suo*, quasi Domitiani unius merito, orbis universus Flavianae gentis foret.

17. *Cornua Sarmatici*. Hoc est: Perfidas gentes, quae Danubium incolunt, ter domuit. Vide lib. VIII, epigr. 15. Cornua fluviis tribuunt poëtae propter riparum curvamen, aut potius propter geminos pluresve alveos, in quos dividuntur. Sic Virgilius IX Aeneid. dixit *Rhenum bicornem*.

18. *Sudantem Getica, etc*. Hoc est: Ter vicit quoque Getas: de quibus supra. *Sudor* ad innuendos belli labores saepe: *Eheu! quantus equis, quantus adest viris Sudor*! Horat. lib. I, Nerei vaticinium.

19. *Saepe recusato*. Hic modus loquendi perfamiliaris videtur Aurelio Victori: ablativus est absolutus neutrius generis; hoc ipsi recusato, seu hac re recusata, nempe ut auxiliaretur Vologeso Parthorum regi.

20. *Hyperboreo*. Hoc est, septemtrionali; nam a devictis Germanis Germanicus, atque a subactis Sarmatis Sarmaticus dictus est Domitianus.

21. *Otia ferro*. Hoc est: bello confecto, pacem hostibus concessit; lib. VIII, epigr. 15.

22. *Astra suis*. Hoc est: Patrem, fratrem, uxorem in deorum numerum retulit, et Flaviae genti templum erexit, de quo epigr. 2 supra.

Herculeum tantis numen non sufficit actis;
Tarpeio Deus hic commodet ora patri.

24. *Tarpeio.* Non sufficit, ut sub imagine Herculis colatur Domitianus, sed sub imagine ipsius Iovis.

103. — AD PHOEBVM.

Quadringentorum reddis mihi, Phoebe, tabellas;
Centum da potius mutua, Phoebe, mihi.
Quaere alium, cui te tam vano munere iactes;
Quod tibi non possum solvere, Phoebe, meum est.

Phoebus foenerator et creditor Martialis, exigit foenus et sortem. Poëta vero mutuo petit, seque nihil debere ait, quod nihil habeat unde solvat.

1. *Tabellas.* Syngrapham intellige, qua constabat Martialem Phoebo debere quadringenta (millia scil. HS.)

2. *Da potius.* Vt liberalis habearis.

4. *Quod tibi non.* Lib. II, epigr. 3, *Sexte, nihil debes; nil debes, Sexte, fatemur. Debet enim, si quis solvere, Sexte, potest.*

104. — DE GEMINIS FRATRIBVS.

Quae nova tam similes genuit tibi Leda ministros?
Quae capta est alio nuda Lacaena cycno?
Dat faciem Pollux Hiero, dat Castor Asillo;
Atque in utroque nitet Tyndaris ore soror.
Ista Therapnaeis si forma fuisset Amyclis,
Quum vicere duas dona minora Deas;
Mansisses, Helene, Phrygiamque redisset in Idam
Dardanius gemino cum Ganymede Paris.

1. *Genuit tibi.* Nescio quem alloquatur Poëta. Ledae Lacedaemoniae historia satis nota est, quae nempe, compressa a Iove cycni forma induto, peperit Pollucem et Castorem.

4. *Tyndaris soror.* Hoc est, Helena Castoris et Pollucis soror, Iovis filia ex Leda uxore Tyndari, regis Laconiae.

5. *Ista Therapnaeis.* Castor et Pollux nati sunt Amyclis, quae urbs est Laconiae prope Therapnas; ubi si affuissent Hierus et Asillus (quum Iuno ac Pallas contendentes de pomo aureo a Venere victae fuerunt, promittente Paridi iudici Helenam, quae nempe donum erat inferius quam imperium promissum a Iunone, et sapientia promissa a Pallade), contempta Helena, a Paride rapti fuissent.

7. *Mansisses Helene, etc.* Castora et Pollucem potius rapuisset Paris, quam Helenam, si aeque formosi fuissent ac Hierus et Asillus.

M. VAL. MARTIALIS

EPIGRAMMATVM

LIBER X.

I. — LIBER AD LECTOREM.

Si nimius videor, seraque coronide longus
Esse liber : legito pauca, libellus ero.
Terque quaterque mihi finitur carmine parvo
Pagina : fac tibi me quam cupis esse brevem.

Omne tulit punctum hic liber: castus, dulcis, eruditus est; morum praecepta continet; descriptionibus variis abundat; nullae aut rarissimae adulationes, quia mortuus ille Dominus Deusque, hoc est, impius tyrannus, servorum suorum ferro caesus; cui successit Nerva, et Nervae mox Traianus, ad quem sunt lecta quaedam huius libri epigrammata. *Raderus.*

1. *Si, etc.* « Possis hoc tetrasticho finire librum nonum potius, quam inchoare decimum, nisi Poëta dicat *legito*, quod sequentem laborem, non praeteritum spectat. » *Raderus.* — *Videar* est in MS. Pulmanni. — *Coronide.* Quam sic explicat Caelius Rhodiginus lib. XV, cap. 20. Coronis significat ultimam rei manum admotam, nec effectum opus, sed prorsus completum, finitumque: aliquidem coronis est quandoque montis vertex, aut structurae summum, quandoque vero quod in fine libri ponitur. Coronis significat et navis puppim, quod sit in eius apice curvatum rostrum; unde deductum hunc loquendi modum putant nonnulli.

3. *Terque quaterque.* O lector, inquit liber, potes me contrahere, quantum cupis: quum singulis in paginis tria aut quatuor epigrammata contineantur, quibus lectis, alia omittere potest lector.

4. *Fac.* Sic epigrammatista palmarius *Rousseau* :
Ami lecteur, vous voilà bien en peine;
Rendons-les courts en ne les lisant point. Ed. P.

2. — AD EVMDEM.

Festinata prior decimi mihi cura libelli
Elapsum manibus nunc revocavit opus.
Nota leges quaedam, sed lima rasa recenti;
Pars nova maior erit; lector, utrique fave.
Lector, opes nostrae, quem quum mihi Roma dedisset,
Nil tibi quod demus maius habemus, ait.
Pigra per hunc fugies ingratae flumina Lethes,
Et meliore tui parte superstes eris.
Marmora Messalae findit caprificus, et audax
Dimidios Crispi mulio ridet equos.
At chartis nec furta nocent, nec saecula prosunt;
Solaque non norunt haec monumenta mori.

1. *Festinata prior.* Hunc nempe librum nimia festinatione editum revocavit, atque amendavit.

4. *Utrique fave.* Hoc est, Prioribus et novis additis versibus fave.

5. *Lector, opes nostrae.* Per appositionem hoc addit, hoc est: Quo benigno atque benevolo lectore nihil maius mihi dare Roma poterat.

7. *Pigra per hunc*, etc. Pergit Roma et hoc versiculo item et in sequenti, Martialem alloquens, Ed. P. — *Flumina Lethes.* Hoc est: Te ab hominum oblivione vindicabis. Lethe Inferorum fluvius est, qui praeteritarum omnium rerum memoriam delet: λήθη enim latino sermone *oblivio* est.

8. *Superstes eris.* Quia semper legeris, et celebraberis. *Meliore parte*, fama scilicet ingenii.

10. *Dimidios equos.* De Crispo dictum lib. IV, epigr. 54, cuius statuae equestres vetustate corruptae et fractae irridentur a mulionibus atque aurigis. Iuven. Sat. VIII: *Et Curios iam dimidios*, etc.

11. Forte legend. *nec facta n. nec s. desunt* observat Burmannus Secundus ad Propert. III, 1, 63.

3. — AD PRISCVM.

Vernaculorum dicta, sordidum dentem,

In clancularium poëtam et impostorem, qui famosa carmina nomine Martialis spargebat, ut poëtae periculum crearet, quem multis modis mendacii et imposturae arguit.

1. *Vernaculorum dicta*, etc. Scurrilia dicteria, qualia sunt vernarum lib. I, epigr. 42, vs. 1. Vernaculos ergo hic vocat εὐτραπέλους, dicaces et scurriles nempe homines et inimicos: hinc *vernacula urbanitas* Tacit, l. II. *Salmas.* Congregabantur certis locis hi vernaculi, et scurrae conscripti, atque quasi gregem efficiebant.

Et foeda linguae probra circulatricis,
Quae sulfurato nolit empta ramento
Vatiniorum proxeneta fractorum,
Poëta quidam clancularius spargit;
Et vult videri nostra. Credis hoc, Prisce,
Voce ut loquatur psittacus coturnicis,
Et concupiscat esse Canus ascaules?
Procul a libellis nigra sit meis fama,
Quos rumor alba gemmeus vehit penna.
Cur ego laborem notus esse tam prave,
Constare gratis quum silentium possit?

2. *Linguae circulatricis.* Circulator est circumforaneus homo, vulgaris, vagus, *sordidus*; quem iam citato epigr. Transliberinum ambulatorem vocavit.

3. Sensus est: Illa dicta ramentis sulfuratis, Gallice *allumettes*, nolit emere negotiator vasorum vitreorum fractorum, quae sic dicta sunt a Vatinio Beneventano artifice, lib. XIV, epigr. 96: *Vilia sutoris calicem monumenta Vatini Accipe, etc.* (Et ad id facit Iuvenalis, sat. V, 46, parasitum his alloquens: *Tu Beneventani sutoris nomen habentem Siccabis calicem nasorum quatuor.* Ed. P.) Sunt autem proxenetae conciliatores, et interventores, quasiqua conglutinatores hominum inter se stipulantium, aut quemvis contractum ineuntium.

4. *Proxeneta.* Proxenetae, Apuleio interprete, sunt mediatores, ut ipse loquitur, hoc est, conciliatores, intercessoresque inter emptorem et venditorem. Hoc loco accipio pro eo, qui inter sulfuratorum vitreorum fractorum emptores velut sequester et arbiter est; permutabant enim vitrea fracta sulfuratis, lib. I, epigr. 42, iam cit.

5. *Clancularius.* Occultus impostor suum suis versibus nomen praefigere non audet. Supra lib. VII, epigr. 12.

7. *Psittacus.* Docilis nempe, atque humanae vocis imitator, cui se Martialis, maledicum vero illum poëtam coturnici comparat, cuius vox iniucundissima est.

8. *Canus.* Nobilissimus tibicen, de quo lib. IV, epigr. 5. Ascaules autem dicitur utricularius, seu qui utrem inflat, quem imitari nolit Canus.

9. *Nigra fama.* Comparata nempe ex aliorum infamia.

10. *Quos rumor gemmeus.* Hoc est, candidus et felix. *Alba penna.* His verbis bonam famam significat.

11. *Tam prave.* Hoc est: Cur ex aliorum dedecore mihi nomen comparem, quum laudans alios et ipse laudari possim?

12. *Cum stare gratis, etc.* antiquissimae exhibent; cuius quidem lectionis meo iudicio sensus est: Quum possim innotescere sine detrimento famae alienae, et quum mea fama sic stare possit. Legunt alii, *Constare gratis quum silentio possim?* Constare significat, patere, perspicuum esse, hoc est: quum possim notus esse gratis,

seu sine alieno rubore. Alii leg. *Constare gratis quum silentium possit?* hoc est: Quum meum silentium possit innotescere hominibus gratis erga me, quod parcam eorum moribus, quos carpere possem. Quidni *gratis* pro *illaesa mea fama?* — *Tum silentium* est in marg. nostrae Iuntinae, loco τοῦ *quum silentium*.

4. — AD MAMVRRAM.

Qui legis Oedipodem, caligantemque Thyesten,
Colchidas, et Scyllas; quid nisi monstra legis?
Quid tibi raptus Hylas, quid Parthenopaeus, et Atys?
Quid tibi dormitor proderit Endymion?
Exutusve puer pennis labentibus? aut qui
Odit amatrices Hermaphroditus aquas?
Quid te vana iuvant miserae ludibria chartae?
Hoc lege, quod possit dicere vita, Meum est.

Poëta hic dicit epigrammata sua utiliora omnibus fabulis: doceri hic mores, et vitia dedoceri: et eo Mamurras fugere id genus scripta, ne suas labes agnoscant. *Rader.*

1. *Qui legis Oedipodem.* Oedipus, qui matrem Iocastem duxit uxorem, notus ex Euripide in Phoenissis, et Thyestes, qui caligans dicitur, propterea quod, ne manducantem filium sibi ab Atreo fratre appositum videret, sol refugit, et Medea, noti sunt ex Euripide, et Seneca poëta, et multis aliis.

2. *Colchidas.* Tragoedias de Medea.—*Scyllas.* Hanc Nisi, illam Phorci filiam.

3. *Raptus Hylas.* Lib. V, epigr. 48. — *Parthenopaeus.* Filius Meleagri et Atalantae, iuvenis ad bellum Thebanum profectus est et occisus, *Atys.* Lib. II, epigramm. 86. Puer Cybelae dilectus. Legunt *Atys*, quod ferre non potest versus, prima in *Atys* brevi; scribendum ergo est, *Attis.* Ἄτυς nomen Lydum est, quo nomine aliquot Lydiae reges vocati sunt. Pater Lydi, a quo Lydia denominata est, vocabatur Ἄτυς: *Attis* vero nomen Phrygii ephebi, quem dilexit mater Deum Cybele. Ea sunt de quibus iam ample disseruimus locc. citt.

4. *Dormitor Endymion.* Qui primus Lunae cursum observavit; unde fabulantur poëtae illum a Luna fuisse adamatum, atque ab ea in Latmo Cariae monte sopitum fuisse, ut eum posset commode osculari.

5. *Exutusve puer.* Icarum intellige, notum ex Ovidio lib. VIII Met. apud quem et Hermaphroditi fabulam leges, lib. IV Metam.

6. *Amatrices, etc.* Salmacidas.

7. *Miserae ludibria.* Hoc est, fabularum ludos.

8. *Hoc lege.* Quod spectat ad tuos mores. De Centauris Ovid. lib. XII Met. Gorgones vero Phorci filiae, Medusa, Sthenyo, alii Sthino, et Euryale. Aliae quoque Gorgones fuere, quas recenset Natalis Comes lib. VII Mythol. cap. 12.

Non hic Centauros, non Gorgonas, Harpyiasque
Invenies : hominem pagina nostra sapit.
Sed non vis, Mamurra, tuos cognoscere mores,
Nec te scire : legas Αἴτια Callimachi.

9. *Harpyiasque.* Neptuni et Terrae filiae; a poëtis finguntur rapaces, volatiles, virgineo vultu, et manibus uncis: Quae tres enumerantur a Virgilio, Helle, Ocypete, et Celaeno.

10. *Hominem pagina.* Mores enim hominum corrigunt atque instituunt libri mei. *Legas αἴτια.* Hoc est (nam Αἴτια, Causas), legas librum, quem scripsit Callimachus de Causis et Originibus Rerum. De Callimacho dictum lib. IV, epigr. 23. Sensus est: Quum nolis cognoscere te ipsum, lege opus Callimachi de Causis; quod somnia Callimachi vocat Propertius. Quod si legas cum aliis, *Nec te scire iuvat ethea Callimachi*, sic intellige: Nec iuvat te legere librum, quem de Moribus scripsit Callimachus (sive poëta ille Cyreneus fuerit, seu alius grammaticus sic dictus). Sed minus placet interpretibus.

5. — IN MALEDICVM POETAM.

Quisquis stolaeve purpuraeve contemptor,
Quos colere debet, laesit impio versu;
Erret per urbem pontis exsul et clivi,
Interque raucos ultimus rogatores
Oret caninas panis improbi buccas.
Illi December longus, et madens bruma,
Claususque fornix triste frigus extendat.
Vocet beatos clamitetque felices,

1. *Quisquis stolae.* Aspere invehitur in eumdem sane poëtam, de quo ep. 3 supra. Stola propria erat matronarum; lib. I, ep. 36. Attamen Bayfius de Re Vestiaria cap. 1 existimat stolam vocem esse communem ad omne genus vestimenti. Purpura vero olim solius magistratus erat insigne: at labente disciplina, lacernis purpureis usi sunt fere omnes; lib. V, ep. 8.

2. *Quos colere debet.* Summae rerum praefectos, Imperatores, divorum loco adorandos. Ed. P.

3. *Pontis ... et clivi.* Vbi mendici rogant stipem. Suo inimico idem etiam imprecatur Ovid. in Ibin. Iuven sat. IV, 116: *dirusque a ponte satelles Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes.* Vidimus supra *Pontes per orbis* placere Radero qui sic aliam scripturam refellebat: *Quomodo exsul, si in urbe?* At *exsul* sumitur hic, meo iudicio, pro errone et vago homine.

7. *Claususque fornix.* in quo nempe sine igne mendici delitescebant per hiemem.

Orciniana qui feruntur in sponda;
Et, quum supremae fila venerint horae,
Diesque tardus, sentiat canum litem,
Abigatque moto noxias aves panno;
Nec finiantur morte simplices poenae;
Sed modo severi sectus Aeaci loris,
Nunc inquieti monte Sisyphi pressus,
Nunc inter undas garruli senis siccus,
Delasset omnes fabulas poëtarum;
Et, quum fateri Furia iusserit verum,
Prodente clamet conscientia, Scripsi.

9. *Orciniana sponda.* Sandapila sic dicta est ab Orco, quod mortui ad Orcum eant.

11. *Diesque tardus.* Mortis nempe, quam iamdiu expetebat. — *Sentiat canum litem.* Hoc est : Iam moriturus sentiat canes litigantes de cadavere ipsius laniando.

12. *Noxias aves.* Corvos, vultures, *etc.*

13. *Supplicis* antiquissimae editiones exhibent, id est, mendici et rogatoris. Alii legunt *simplices poenae*, habita scilicet ratione aliorum suppliciorum, quae in infernis subiturus est maledicus poëta.

14. *Acaci.* Quem tantopere iustitiae amantem fuisse ferunt, ut apud Inferos a Plutone delectus fuerit animarum iudex cum Minoë et Rhadamantho.

15. *Monte Sisyphi.* Quem fabulantur mythographi eo supplicii genere plecti apud inferos, ut saxum ingens perpetuo volvat.

16. *Garruli senis.* Hoc est, Tantali, qui, ut canunt poëtae, mediis in aquis perpetua sit laborat, quod invitatus a Iove ad coenam deorum secreta vulgavisset. — Annotandum hic, quemadmodum unanimes de celeberrimi regis supplicio *οἱ μυθογράφοι*, ita de scelere omnes variare. Filiumne, quod plerique volunt, diis apposuit? an (quod Pindarus Olympic. od. I) nectar et ambrosiam surripuit? an, ut Phanocles, Ganymedi vim intulit? an, ut hic innuit Noster, superum arcana evulgavit? nihil quidem refert; at refert omnia haec nosse, ut quidquid id sit ad quod alluserint poëtae, statim intelligatur. Eo. P.

17. *Delasset.* Pro *valde lasset.* Horat. lib. I, sat. 4, vs. 13: *Caetera de genere hoc, adeo sunt multa, loquacem* Delassare *valent Fabium.* Eo. P.

19. *Scripsi.* Hoc est: Famosa carmina vulgavi, nomine Martialis.

6. — DE ADVENTU CAESARIS TRAIANI.

Felices, quibus urna dedit spectare coruscum

1. *Quibus urna dedit.* In qua sunt omnium hominum nomina, qui moriuntur, prout serius aut ocyus sors exierit. Alii intelligunt urnam ele-

Solibus Arctois sideribusque ducem.
Quando erit ille dies, quo campus, et arbor, et omnis
Lucebit Latia culta fenestra nuru?
Quando morae dulces, longusque a Caesare pulvis,
Totaque Flaminia Roma videnda via?
Quando eques, et picti tunica Nilotide Mauri
Ibitis? et populi vox erit una, Venit?

ctionis, seu sortem qua lecti mittebantur ad Principem Legati. Alii sortem simpliciter et quidem bonam: hoc sensu: Felices, quibus bona quadam sorte contigit ut Traianum viderent. Eligat lector. De Arctois sideribus saepius dictum. Germania autem est ad Septemtrionem, ex qua rediturus erat Traianus. Vide epigr. sequens. — *Coruscum solibus Arctois, etc.* Notandum tamen modice coruscum qui solibus Arctois coruscet; et somnianti poëtae forsitan capitale fuisset sub Domitiano, clamitantibus aulicis: An Iovis nostri claritudini tot nubes officiunt quot Hyperboreo soli? Ed. P.

4. *Lucebit Latia.* Quo die omnes Latii mulieres ex fenestris Traianum redeuntem spectabunt.

5. *Longusque a Caesare pulvis.* Adventantis Caesaris et comitum, ἐναυδος, σαφὴς, ἔτυμος ἄγγελος. Aeschyl. Sept. ad Th. sc. II.

6. *Flaminia.* Qua iter est in Germaniam.

7. *Quando eques, et picti.* Hoc est, equites Mauri induti veste Aegyptia variis coloribus picta. Nam, luxus causa, Mauro equite Romani utebantur. Vide lib. X, epigr. 13 infra: *Et Libys in longo pulvere sudet eques.* Baderus vero credit alam praetorianam esse τὸ eques. Quod si verum, haud iam equites fuisse hosce *Mauros* ego crediderim, at potius nuntios qui mox venturum principem dicerent. Et notum satis est id Romanis usitatum, Numidas et Mauros in familiis habere qui nuntiandi et mandata perferendi officio fungerentur. Ed. P.

7. — AD RHENVM, DE EODEM.

Nympharum pater amniumque, Rhene,
Quicumque Odrysias bibunt pruinas,
Sic semper liquidis fruaris undis,
Nec te barbara contumeliosi

1. *Pater amnium.* Quia nempe magnos amnes sinu excipit.

2. *Quicumque Odrysias.* Odryse Thracia est: quae vox latius sumitur a Poëta pro Septemtrione; Rhenus enim Thraciam non alluit. *Pruinas* glaciem et nives liquefactas intellige.

4. *Nec te barbara.* Hoc est: Nec te gelu constrictum premant plaustra bubulcorum. — *Contumeliosi.* Quasi id contumeliae loco esset, plaustra pati et incurrentes viros. Hinc enim quasi

Calcatum rota conterat bubulci;
Sic et cornibus aureus receptis,
Et Romanus eas utraque ripa;
Traianum populis suis, et Vrbi,
Tibris te dominus rogat, remittas.

vinculum et servitutis nota. Sic Virgilius cecinit: *pontem indignatus Araxes*.

6. *Aureis* cod. Pulmann. et sic legend. notat Beverlandus. — *Sic et cornibus*. In duas praecipue partes, quae cornua vocantur, dividitur Rhenus; quorum alterum, inquit Domitius, habebant Transrhenani, alterum vero erat in imperio Romanorum. *Aureus* dicitur, ut opinatur Raderus, vel propter aurifodiuas Germaniae, vel propter auream et flavam Germanorum comam, vel quod in triumphis flumina auro depicta gestarentur. — Vltimus sensus unice probandus, quod et patet ex voce *receptis*; in ditionem nempe. Ed. P.

7. *Romanus eas*. Hoc est: Germania eis transque Rhenum serviat Romanis.

8. *Troianum* MS. Pulmann.

9. *Tibris dominus*. Nempe quod illius undis *Terrarum dea gentiumque Roma* alluatur. Ed. P.

8. — DE PAVLLA.

Nubere Paulla cupit nobis; ego ducere Paullam
Nolo; anus est: vellem, si magis esset anus.

Scomma iactum in vetulam, quam, Martialis coniugium ambientem, ille dicit nec iuventutis satis, nec senectae habere. Nam iuvenis placeret; senio confecta mox moreretur: hinc opes, inde voluptas; quorum alterutrum necesse est ut pauperes, modo florente aetate, bene vel nupserint, vel duxerint. Ed. P.

1. *Nobis*. Hoc est, mihi.

2. *Si magis esset anus*. Cito enim moreretur, et me haeredem relinqueret. Vid. supra.

9. — DE SE.

Vndenis pedibusque, syllabisque,
Et multo sale, nec tamen protervo,
Notus gentibus ille Martialis,
Et notus populis: quid invidetis?
Non sum Andraemone notior Caballo.

Affirmat Martialis sibi famam ingenii et carminis non invidendam, quod eamdem adepti sint multo se inferiores et indigniores. *Rader*.

2. *Sale, nec tamen protervo*. Facetus, sed modestus in facetiis. Ed. P.

5. *Andraemone Caballo*. Lib. I, ep. 42 quemdam scurram vocat Sextium Caballum. Hic etiam forte intelligit scurram. Alii volunt esse nomen nobilis cuiusdam equi circensis.

10. — IN PAVLLVM.

Quum tu, laurigeris annum qui fascibus intras,
  Mane salutator limina mille teras;
Hic ego quid faciam? quid nobis, Paulle, relinquis,
  Qui de plebe Numae, densaque turba sumus?
Qui me respiciet, dominum, regemque vocabo?
  Hoc tu (sed quanto blandius!) ipse facis.
Lecticam, sellamve sequar? nec ferre recusas;
  Per medium pugnas et prior ire lutum.
Saepius assurgam recitanti carmina? tu stas,
  Et pariter geminas tendis in ora manus.
Quid faciet pauper, cui non licet esse clienti?
  Dimisit nostras purpura vestra togas.

Diviles el claros aeqne serviles esse alque pauperes; immo iam patronos ipsos clienlum obire partes queritur.

1. *Quum tu, laurigeris.* Anno ineunte, fascea laureati gestabantur ante novos Consules.

4. *De plebe Numae.* Qui nempe pauper fuil inter reges. Sensus est: Quid facieot pauperes, quum viri clari el nobiles eorum officia obeaol?

5. *Dominum, regemque.* Palronum, quos reges et dominos vocabant, ut supra saepe.

6. *Hoc tu, etc.* Egone te patronum salutabo, qui ipse alios salutas mullo blandius quam ego te?

8. *Per medium, etc.* Sed et ipse alios praecedis aoteambulo comesque, lib. III, epigr. 36, vs. 4.

9. *Assurgam recitanti.* Vt applaudam.

10. *Et pariter geminas.* Signum esl applaudenlls el adulantls.

11, 12. *Clientem* cod. Beverl. Vid. Heins, ad Ovid. epist. xiv, 64. Mox *Dimisit.* « Memini, quum primum in hunc loc. inciderem, statim succurrisse mibi *Derisit.* » *De Rooy.* — *Divisit nostras, etc.* Sic edd. aotiquae et codex Pulmanni et hic sensus: Aeqne sumus clienles, vos purpurati tantum distincti estis a nobis togatis. Vel vos purpurati clientes exclusistis nos togatos ab officio clientum. Turneb. lib XXX, 30. *Purpura* eoim insigne Romaoorum magistratuum. Si legas *dimisit*, cum Grutero interpretare: Iussit esse feriatas, inutiles reddidit: tanquam si dimitlerentur tali facto, non secus quam dimittebalur aut concio, aut senalus. Et Noster lib. I, epigr. 79, *Dimisitque animam nobiliore via*; lib. II, epigr. 46, *Dimitte Machaonas omnes.*

11. — IN CALLIODORVM.

Nil aliud loqueris, quam Thesea, Pirithoumque
  Teque putas Pyladi, Calliodore, parem.
Dispeream, si tu Pyladi praestare matellam
  Dignus es, aut porcos pascere Pirithoi.
Donavi tamen, inquis, amico millia quinque,
  Et lotam (ut multum) terque quaterque togam.
Quid, quod nil unquam Pyladi donavit Orestes?
  Qui donat, quamvis plurima, plura negat.

In parcum amicum, sese tamen Pyladem et Theseum iactare ausum. Poëta vere ait amicos, non qui aliquid donent, sed qui πάντα κοινά habeant.

3. *Pyladi, etc.* Vel infimo servitii munere defungi, ut praestare matulam (ἀμίδα).

4. *Porcos pascere Pirithoi.* Forte, quod in glandiferia Pindi sylvis degebat Pirithous.

5. *Millia quinque.* Sestertiorum.

6. *Vt multum* pareothesi includendum, ut sint verba Martialis, irridentis exiguitatem muneris. Male hunc l. accipit Salmas. in not. ad Hist. Aug. quod et in peius retractat ad Solin. p. 391. *Beverl.* — *Et lotam, etc.* Hoc est, fere novam, novae similem.

7. *Quid, quod.* Vehementius instandi gratia, *quid* adsciscit *quod.*

8. *Plura negat.* Quia, qui donat, omnia sua bona cum amico non communicat; alioquin nihil haberet, quo careret alter, atque ita nihil donare posset.

12. — AD DOMITIVM.

Aemiliae gentes, et Apollineas Vercellas,
  Et Phaëthontei qui petis arva Padi;
Ne vivam, nisi te, Domiti, permitto libenter,

Vovet accessum Domitio felicem, et reditum. *Rader.*

1. *Aemiliae gentes.* Aemilia, una ex provinciis Italiae, imperatorum temporibus, eam Galliae Cisalpinae partem continuit quae cis Padum posita est, et praecipuam habuit civitatem Placentiam. Cuius locum hodie obtinent quae vocantur *le duché de Modène, et les légations de Ferrare et de Bologne.* Ed. P. — Vercellas, hodie *Vercelli.* Apollineas dicit, vel quod illic Apollo coleretur, vel a liberalibus disciplinis, vel ab auro Apolloni sacro, quod ibi effoderetur, ut coniiciunt interpretes.

2. *Phaethontei.* Quia in Padum curru Solis excussus Phaethon cecidit. — *Quid petis.* Vid. ad not. proxime sequentem.

3. *Permitto.* Sic omnes edd. nostrae. At *Barbou*, qui tamen habet

Grata licet sine te sit mihi nulla dies.
Sed desiderium tanti est, ut messe vel una
Vrbano releves colla perusta iugo.
I, precor, et totos avida cute combibe soles.
Quam formosus eris, dum peregrinus eris!
Et venies albis non cognoscendus amicis,
Livebitque tuis pallida turba genis!
Sed, via quem dederit, rapiet cito Roma colorem,
Niliaco redeas tu licet ore niger.

permitto, notat in VV.LL. « *Dimitto* vulgg. *Praemitto*. Scriv. a *Admitto* cod. Pulman. qui subinde: a Quid si, ait, legatur *permuto*? a Elegans sane illud *permitto* e MSS. a Grutero restitutum, nec mutandum. Est autem idem, quod incito, laxo habenas, ut *equos* permittere *in cuneum hostium*. Et sic Livius: *Concitant equos*, permittuntque *in hostem*. Sed et in praecedenti versiculo videtur legend. *quae petis*. Potest quoque vulgari quodam et obvio sensu intelligi τὸ *permitto*, et sic explicari: Dispeream nisi te secedere permittam. Si cum Petr. Scriverio emendare volueris *praemitto*, ille erit tunc statuendus sensus, unde sequatur et amicum mox et se moriturum: nam id de vita functis dicebant, tanquam eos ipsos secuturi. Sed dispiciat lector. *Farnab. Schrevel.*

3. *Sed desiderium tanti.* Sed tanti facio desiderium, quo flagras rus eundi, ut libenter sinam te abire, ut nempe negotiis atque officiis urbanis defatigatum te recrees. *Colla perusta*, id est, attrita urbanis officiis. Saepissime enim *urere* usurpatur pro *vexare*.

7. *Combibe soles.* Hoc est: Apricationi vaca, quam cuti colorandae optimam esse credebant Veteres.

9. *Albis amicis.* Hoc est, sole non coloratis, utpote qui in urbe manserint; vel refer ad togas candidas. Vel potius, ut refert Heraldus, διὰ σκιατροφίαν, hoc est, propter vitam quam in umbra ducebant Veteres.

10. *Pallida turba.* Ob vigilias, et officia urbana, atque vitam umbratilem.

12. *Niliaco redeas* Aegyptii enim sunt fusci. Vnde vulgo dictitatum poëtis: *Fusca Syene*.

13. — AD TVCCAM.

Quum cathedralicios portet tibi rheda ministros,

Tuccam opulentum et felicem, eo infelicem praedicat, quod suam felicitatem ignoret. Quod multis usu venit, ut tum primum se beatos agnoscant, quum beatitudinis iacturam fecere.

1. *Cathedralicios.* Hoc est, pueros molles atque effeminatos, quasi feminas, non viros; cathedra enim feminarum erat propria: vid. lib. IV, epigr. 79. Iuv. sat. 6, 91: *fumam contempserat olim, Cuius apud molles*

Et Libys in longo pulvere sudet eques:
Strataque non unas cingant triclinia Baias,
Et Thetis unguento palleat uncta tuo;
Candida Setini rumpant crystalla trientes,
Dormiat in pluma nec meliore Venus;
Ad nocturna iaces fastosae limina moechae,
Et madet (heu) lacrymis ianua surda tuis:
Vrere nec miserum cessant suspiria pectus.
Vis dicam, male sit cur tibi, Tucca! Bene est.

minima est iactura cathedras. — Et Horatius, lib. I, Sat. x: *Demetri, teque Tigelli, Discipularum inter iubeo plorare cathedras.* Ed. P.

2. *Et Lybis, etc.* Et tibi, pro more lautiorum, praecurrant equites Numidae. Reges enim et potentiores praecursores illos habebant, quum iter aliquod ingrederentur: *Cursores* simpliciter dicuntur, quum praecursores revera sint. Senec. epist. cxiv: *Omnes sic iam peregrinantur, ut illos Numidarum praecurrat equitatus, ut agmen cursorum antecedat.* Turneb. lib. XXIV, cap. 6.

3. *Strataque.* De Baiis dictum lib. I, epigr. 60, ubi erant nobilissimae thermae, unde et hic Baiae sumuntur pro thermis, iuxta quas exstruebantur triclinia. — *Non unas.* Id est, multas.

4. *Et Thetis.* Sumitur hic pro balneis maris instar amplis, quae redolebant unguentum undique sparsum. Θέτις Dea et nympha maris, filia Nerei, etc. Τηθύς, Tethys, uxor Oceani, ut Amphitrite pro mari saepius accipitur, lib. Spect. epigr. 3.

5. *Trientes.* Calices quatuor cyathorum. — *Candida Setini.* Hoc est, quum trientes vini Setini, de quo saepius dictum, calore suo rumpant pocula crystallina, vel splendore suo crystallum quodammodo findere videantur.

6. *In pluma nec meliore.* In pluma autem olorina dormit Venus. Nam olores illi sacri.

7. *Ad nocturna.* Is enim mos usitatissimus Veteribus. Persius sat. v: 164: *An rem patriam rumore sinistro Limen ad obscoenum frangam, dum Chrysidis udas Ebrius ante fores exstincta cum face canto?* — Vnde Horatius lib. I, od. xxv, ad senescentem puellam: *Parcius iunctas quatiunt fenestras.... iuvenes protervi: Nec tibi somnos adimunt;... audis minus, et minus iam: Me tuo longas pereunte noctes, Lydia, dormis.*

10. *Bene est.* Atqui ita cruciaris nimia divitiarum abundantia.

14. — AD CRISPVM.

Cedere de nostris nulli te dicis amicis.
Sed, sit ut hoc verum, quid, rogo, Crispe, facis?
Mutua quum peterem sestertia quinque, negasti;

Non caperet nummos quum gravis arca tuos.
Quando fabae nobis modium farrisque dedisti,
Quum tua Niliacus rura colonus aret?
Quando brevis gelidae missa est toga tempore brumae?
Argenti venit quando selibra mihi?
Nil aliud video, quo te credamus amicum,
Quam quod me coram pedere, Crispe, soles.

6. *Niliacus.* Hoc est, quum habeas multos fundos in Aegypto.

10. *Quam quod, etc.* Animam impendere, sive, ut ait ille, aliquid animae amittere in honorem amici. Honeste parum, at satis familiariter, et pro comitate suilla: ubi arctioris amicitiae argumentum habetur, mutuis se officiis comitari ac deducere ad sellas Patroclianas, et dulcissimos conferre sermones in Cloacinae sacello.

15. — DE APRO.

Dotatae uxori cor arundine fixit acuta;
Sed dum ludit Aper, ludere novit Aper.

1. *Cor arundine fixit.* Fingens se ludere sagittis.

2. *Novit Aper.* Hoc sensu: per errorem uxorem interfecisse videtur Aper, quod forte nesciret ludere sagittis; immo novit optime ludere, occisa enim uxore factus est dives.

16. — IN CAIVM.

Si donare vocas promittere nec dare, Caï;
Vincam te donis, muneribusque meis.
Accipe Callaicis quidquid fodit Astur in arvis,
Aurea quidquid habet divitis unda Tagi;
Quidquid Erythraea niger invenit Indus in alga,

Sordidum et vanum promissorem reprehendit qui, ut ille Macedonum rex Antigonus Doson (δώσων graece est *daturus*), daturum se perpetuum profitebatur, at dabat nunquam. Eo.P.

2. *Vincam te donis.* Nam, ut canit Ovidius, *Pollicitis dives quilibet esse potest.*

3. *Callaicis.* Asturia, Hispaniae Tarraconensis provincia, in qua erant aurifodinae: Callaica vero arva dicuntur, a Gallaecia, quae regio est Asturibus proxima.

4. *Divitis unda Tagi.* In Tago Hispaniae fluvio aureae sunt arenae.

Quidquid et in nidis unica servat avis;
Quidquid Agenoreo Tyros improba cogit aheno;
Quidquid habent omnes, accipe, quomodo das.

6. *In nidis* Phoenix avis omne aromatum genus servat in suo nido, lib. V, epigr. 7. Confer. et Nasonis Metam. lib. XV, fab. 12; et Taciti Annales lib. VI, cap. 28.

7. *Quidquid Agenoreo.* Agenor condidit Tyrum, in qua inventus est modus conficiendae purpurae quae superbiae et luxui inservit, unde Tyrus illius inventrix *improba* dicitur. — Meo quidem iudicio, simplicius per *improba* intelligeretur, ut toties, callida, versuta; artifici enim qui mira invenit, mira quaedam inest improbitas, dum negata homini et supra naturam posita aggreditur. Ed. P.

17. — DE MACRO AD MVSAM.

Saturnalicio Macrum fraudare tributo,
Frustra, Musa, cupis: non licet, ipse petit;
Solennesque iocos, nec tristia carmina poscit;
Et queritur nugas obticuisse meas.
Mensorum longis sed nunc vacat ille libellis.
Appia, quid facies, si leget ista Macer?

Macer occupatus in via Appia sternenda, ergo et in legendis geometris, subinde Martialis epigrammata, quae Saturnalium tempore exspectabat, intermissa vero petebat. Respondet poëta, Si legeris mea, tuorum, viae sc. Appiae, incuriosus, quid de illa iam fiet? *Raderus.*

4. *Saturnalicio*, etc. Carmina mea, quae per Macri, in via Appia sternenda cui praeficiebatur ab Imperatore, occupationes intermissa sunt a me in Saturnalibus, en exigit Macer tamquam tributum statum et annuum.

5. *Mensorum*. Qui de spatiis itinerum et ratione viarum scripserunt: libros vero geometricos legere solebat iste Macer, quum in sternenda via Appia totus esset.

6. *Appia, quid*. Quasi dicat, Negligeris, o Appia! Vid. supra.

18. — DE MARIO.

Nec vocat ad coenam Marius, nec munera mittit,
Nec spondet, nec vult credere: sed nec habet.

Coli volunt a clientibus patroni, et nolunt colere donis clientes. Talem patronum esse ait Marium.

2. *Nec vult credere.* Hoc est, dare mutuam pecuniam. — *Sed.* Hic est pro *immo, quin etiam.* Vnde sensus: Immo non habet; ne habet quidem unde muneretur.

Turba tamen non deest, sterilem quae curet amicum.
Eheu quam fatuae sunt tibi, Roma, togae!

4. *Togae.* Toga sumitur hic pro togato quolibet: togati vero sunt clientes, quos ob id stolidos vocat, quod gratis serviant suis patronis.

19. — MITTIT LIBRVM SVVM AD PLINIVM (CAECILIVM SECVNDVM.)

Nec doctum satis, et parum severum,
Sed non rusticulum nimis libellum,
Facundo, mea, Plinio, Thalia,
I, perfer: brevis est labor peractae
Altum vincere tramitem Suburrae.
Illic Orphea protinus videbis
Udi vertice lubricum theatri,
Mirantesque feras, avemque regis,
Raptum quae Phryga pertulit Tonanti.
Illic parva tui domus Pedonis

Alloquitur Musam; mandat, ut domum Plinii in Exquiliis quaerat, adeatque reverenter. Tum et Plinium laudat ab eloquentia, cuius laude cum Cicerone contendit.

1. *Nec doctum satis, etc.* Super rumore defuncti Martialis in epistola ult. lib. III ad Priscum; gratatur Plinius, laudat et bene precatur Poetae de hoc epigr. cuius partem ibi referens, *Alloquitur Musam*, inquit de Martiali, *mandat, ut domum meam Esquiliis quaerat, adeatque reverenter, etc.*

2. *Sed non, etc.* Non tamen omnino inelegantem.

3. *Thalia.* Musa carminis mei iocosi praeses,

4. *Brevis est labor.* Sensus est: Facile proclivem Suburram vinces, quae non longe distat ab aedibus Plinii. —*Peractae.* Hoc est superatae Suburrae, lib. V, epigramm. 22: *Alta Suburrani vincenda est semita clivi.* Raderus explicat: Labor hic ad aedes Plinium facilis est, posteaquam, o Thalia, es absoluta et perfecta, atque adeo parata ut exeas.

6. *Illic Orphea.* Statuam Orphei intellige collocatam in cacumine theatri, perfusam nempe odoratis illis aspersionibus; de quibus lib. Spect. epigr. 3.

8. *Avemque regis* Videtur, ait Gronovius, scripsisse Martialis *avemque, regi Raptum, etc.* — *Mirantes.* Lyra canentem Orpheum. Horat. Od. II, XIII, 33: *Quid mirum, ubi illis carminibus stupens Demittit atras bellua centiceps Aures?* — *Avemque.* Aquilam quae rapuit Ganymedem, Troiani seu Phrygii regis filium. Vid. lib. V, epigr. 55. — *Regis.* Deorum nempe et orbis universi.

10. *Pedonis.* Poetae, de quo lib. V, epigr. 5. Nihil tamen venustiu-

Caelata est aquilae minore penna.
Sed ne tempore non tuo disertam
Pulses ebria ianuam, videto.
Totos dat tetricae dies Minervae,
Dum centum studet auribus virorum,
Hoc, quod saecula posterique possint
Arpinis quoque comparare chartis.
Seras tutior ibis ad lucernas:
Haec hora est tua, quum furit Lyaeus,
Quum regnat rosa, quum madent capilli;
Tunc me vel rigidi legant Catones.

cum fuisse constat ex Iuven. sat. VII, quem forte intelligit. Malim tamen ad poëtam referre, quum dicat *tui*, hoc est, qui te colit, in cuius scilicet domus fastigio caelata erat aquila minor quam illa quae Ganymedem rapuit.

12. *Tempore non tuo.* Tempus legendis suis versibus conveniens definit; vid. supr. lib. IV, epigr. 8.

14. *Tetricae.* Vacat rebus forensibus, a quibus ioci absunt.

15. *Centum auribus.* De centum virorum iudiciis lib. VII, epigr. 63.

17. *Arpinis quoque, etc.* M. Tullii Cic. Arpinatis, quem sibi imitandum proposuisse Plinius confitetur.

20. *Quum regnat rosa.* Rosis coronati et unguentis delibuti, genio indulgebant Veteres; hinc Horatii notissima haec carmina: *Huic vina et unguenta et nimium breves Flores amoenae ferre iube rosae*: *Coronatus nitentes Malobathro Syrio capillos*; *Tibi Non ante verso lene merum cado Cum flore, Maecenas, rosarum, et Pressa tuis balanus capillis, etc.* Item Iuv. sat. IX, 128: *Dum serta, unguenta, puellas Poscimus.* Ante hos Anacreon: Εμοὶ μέλει μύροισι Καταβρέχειν ὑπήνην· Εμοὶ μέλει ῥόδοισι Καταστέφειν καρήνην. Et sic centies. Ed. P.

21. *Tunc me vel, etc.* Namque hac hora, vel rigidi Catones deposita gravitate calent mero.

20. — AD MANIVM.

Ducit ad auriferas quod me Salo Celtiber oras,
Pendula quod patriae visere tecta libet;

Paulatim de patria cogitat Poëta, quod Traiano parum gratus esset, ob adulationes, credo, Domitiani: vel quia, ut Dio scribit, bonarum artium esset prorsus ignarus. Hic tamen Poëta, se in gratiam Manii reversurum ait. *Raderus.*

1. *Ducit ad auriferas.* Hoc est, Tu, o Mani, in causa es, cur redire velim in Hispaniam aurifodinis celebrem, epigr. 16 supra; et revisere Salonem fluvium, et Bilbilim.'

2. *Pendula, etc.* Bilbilim in edito loco et praecipiti sitam. Adi lib. I

Tu mihi simplicibus, Mani, dilectus ab annis,
Et praetextata cultus amicitia,
Tu facis, in terris quo non est alter Iberis
Dulcior, et vero dignus amore magis.
Tecum ego vel sicci Gaetula mapalia Poeni,
Et poteram Scythicas hospes amare casas.
Si tibi mens eadem, si nostri mutua cura est,
In quocumque loco Roma duobus erit.

epigr. 50: *Videbis altam, Liciniane, Bilbilim.*

3. *Simplicibus annis.* Simplices anni primae aetatis. Ergo sensus est: O quem a teneris colui et veneror! Cf. Persii insignia locus, sat. v, vs. 30 sqq.

4. *Praetextata.* Praetexta vestis erat, qua potissimum pueri ad annum usque septemdecimum utebantur.

5. *Terris Iberis.* Intellige eam regionem quae est ad Iberum Hispaniae fluvium satis notum.

7. *Gaetula mapalia.* Gaetulia Africae provincia est.—*Poeni sicci.* Poeni dicti sunt etiam Carthaginienses: hic autem sumuntur pro ipsa Africa sicca et arida. Sensus est: Tecum, o Mani, vel in Africa, vel in Scythia inhospitali lubens habitarem.

21. — AD SEXTVM.

Scribere te, quae vix intelligat ipse Modestus,
Et vix Claranus, quid rogo, Sexte, iuvat?
Non lectore tuis opus est, sed Apolline, libris;
Iudice te maior Cinna Marone fuit.
Sic tua laudentur: sane mea carmina, Sexte,
Grammaticis placeant, et sine Grammaticis.

Sextum, aut, ut alii scribunt, Crispum, obscuritatem affectantem irridet, quod sane vitium multi hodie in laude ponunt, qui κακόζηλοι et antiquarii videri volunt.

1. *Modestus.* Grammaticus nempe, item A. Gellius et Macrobius.

3. *Apolline.* Cuius est explicare res obscuras. Vnde Virgilius Ecloga III: *Dic quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo, Tres pateat caeli spatium non amplius ulnas.*

4. *Cinna.* Poëta egregius quidem, sed cuius obscura sane erant poëmata.

5. *Sic tua laudentur.* Nimirum propter obscuritatem.

6. *Et sine grammaticis.* Hoc est, Lector non indigeat interpretibus ad intelligenda mea epigrammata.

22. — IN PHILAENIM.

Cur spleniato saepe prodeam mento,
Albave pictus sana labra cerussa,
Philaeni, quaeris? Basiare te nolo.

1. *Spleniato.* Splenia erant emplastra, de quibus vide lib. II, epigr. 29. Vnde dicitur *spleniatus*.

2. *Pictus labra.* Hellenismus est.

3. *Basiare te nolo.* Quia et calva, et rufa, et lusca erat; lib. II, ep. 33, et lib. VII, ep. 67; non autem cum labris, loricae loco, armatis cerussa et spleniis.

23. — DE M. ANTONIO.

Iam numerat placido felix Antonius aevo
Quindecies actas Primus Olympiadas;
Praeteritosque dies, et tutos respicit annos,
Nec metuit Lethes iam propioris aquas.
Nulla recordanti lux est ingrata, gravisque;
Nulla subit, cuius non meminisse velit.
Ampliat aetatis spatium sibi vir bonus: hoc est
Vivere bis, vita posse priore frui.

1. *Antonius primus.* De hoc eodem dictum lib. IX, epigr. 101, ubi patriam et studia eius intelliges: hic iam agit de aetate et felicitate Antonii. Quem autem hic *Primum*, supra *Marcum* appellavit.

4. *Nec metuit Lethes.* Hoc est, nec timet mortem imminentem, ep. 2 supra.

8. *Vita posse priore frui.* Hoc est, voluptatem percipere ex vita probe acta.

24. — AD KALEND. MARTIAS.

Natales mihi Martiae Kalendae
(Lux formosior omnibus Kalendis,
Qua mittunt mihi munus et puellae),

In celebrando suo natali, annos praeteritos numerat 57, et futuros optat 18.

1. *Martiae kalendae.* In quibus et ab ipsis puellis mittuntur mihi ob diei natalis reditum munera. Natalis item celebrari solebat missis muneribus.

3. *Qua mittunt.* Munera mittebantur ad eum qui natalem diem celebraret.

Quinquagesima liba, septimamque
Vestris addimus hanc focis acerram.
His vos (si tamen expedit roganti)
Annos addite bis precor novenos,
Vt nondum nimia piger senecta,
Sed vitae tribus areis peractis
Lucos Elysiae petam puellae.
Post hunc Nestora, nec diem rogabo.

4. *Quinquagesima liba, etc.* Hoc est: iam quinquagies septies sacrificiis celebro natales Kalendas: quae autem huiusmodi sacrificiis adhiberentur explicuit, lib. IX, epigr. iam cit. ubi de placentis, seu libis et thure dixímus. *Acerra* vas est, quo thus cremabatur.

5. *Vestris focis.* Id est, vestris aris.

7. *Bis precor novenos.* Octodecim annos addite quinquaginta septem, et erunt 75.

9. *Tribus areis*, i. e. tria vitae spatia, pueritiam nempe, iuventutem, et senectam. — Quidam volent forsan hic esse aream vitae 25 annos, quis nempe illud est fere humanae vitae quod vocant spatium medium (*durée moyenne*). Et sic tres hominum aetates viderat Nestor; nam vixisse illum annis CCC absurdum nimis foret. Et hunc sensum nos, si non primi indicamus, certe probamus et amplectimur. Caeterum iudicet lector. Ed. P. — Quod si cum Pulmanno, Flosculo et edd. vett. *aureis* legas pro *areis*, intelliges quoque de septuaginta quinque annis peractis: aureus enim Romae aestimabatur viginti quinque denariis; tres vero aurei efficiunt 75 denarios, numerum scilicet annorum quos optat Poëta. Ita Raderus et Farnabius. Sed id minus elegans.

10. *Elysiae puellae.* Proserpinae, id est, moriar.

11. *Post hunc Nestora*, significat, Post hoc aevi Nestorei spatium. Sic Iuv. sat. 12; 128: *Vivat Pacuvius vel Nestora totum.* Martialis lib. XI, ep. 12, *qui Mentora frangis*; id est, Mentoreum toreuma. Post istas tres areas, tria quasi secula Nestorea, nec diem, inquit, rogabo. Eodem pertinet, quod est infra epigr. 48, *immodico sexta Nerone calet*; pro thermis Neronianis. *Gronovius.*

25. — DE MVCIO.

In matutina nuper spectatus arena

Lib. I, epigr. 22, et lib. VIII, epigramm. 30 descripsit spectaculum Scaevolae in arena datum: hoc loco, quod ibi laudavit, elevat; fortioremque fuisse affirmat, si imperanti dixisset, *Non facio*: tum enim non manus, sed totum corpus fuisset ustulatum et concrematum. *Rader.*

1. *In matutina.* Duplex uno die exhibebatur spectaculum: mane cum

Mucius, imposuit qui sua membra focis,
Si patiens fortisque tibi durusque videtur,
Abderitanae pectora plebis habes.
Nam quum dicatur tunica praesente molesta,
Vre manum: plus est dicere, Non facio.

bestiis pugnabant gladiatores, post meridiem vero ii qui superfuerant inter se dimicabant.

4. *Abderitanae.* Hoc est, stolidus es: Abdera urbs Thraciae, cuius incolae caeli vitio, ad insaniam propensi sunt: illic autem natus Democritus.

5. Erat ergo pice, resina, caeterisque flammarum alimentis imbuta haec tunica; quam induere coactus fuisset, si manum comburere iussus noluisset.

26. — DE MORTE VARI.

Vare, Paraetonias Latia modo vite per urbes
Nobilis, et centum dux memorande viris;
At nunc Ausonio frustra promisse Quirino,
Hospita Lagaei litoris umbra iaces.
Spargere non licuit frigentia fletibus ora,
Pinguia nec maestis addere thura rogis.
Sed datur aeterno victurum carmine nomen.
Numquid et hoc, fallax Nile, negare potes?

Deflet mortem Vari centurionis in Aegypto defuncti.

1. *Paraetonias.* Paraetonium et Pelusium duo cornua Aegypti vocat Florus: ut refert Ortelius. Paraetonium dicitur hodie secundum aliquos *Porto Rassa*, secundum alios *Berton.* — *Latia vite.* Quae erat insigne Centurionum, qua nempe castigabantur milites.

2. *Et centum.* Ex Livio et Polybio constat sexaginta tantum militibus praefuisse centurionem; sed sane Poëta rationem habet legionis a Romulo institutae, quae tribus hominum millibus constabat, et distributa erat in triginta manipulos, quibusque praeerant triginta centuriones.

3. *Ausonio Quirino.* Romulus dictus est Quirinus, et sumitur hic pro populo Romano, ad quem rediturum se promiserat Varus.

4. *Lagaei.* Hoc est, Aegyptii, a Lago patre Ptolemaei cui nomen additum Soteris sive Magoi. Cuius posteri hac in regione annos 255 (scil. ab ann. 281 ad 29 ante Chr. natum) imperaverunt. Ed. P.

7. *Munus* cod. Pulmanni. Non male Britan. codex *munus.* Schrevel. Codex Iunii habuit *munus:* recte. *Herald.* — *Sed datur aeterno.* Vide lib. VI, epigr. 85. Hoc est: Saltem licebit versibus non perituris Vari nomen celebrare, nec Aegyptus quae Varo reditum negavit, poterit hoc mihi negare: Aegyptii vero fallaces habiti sunt, pro quibus sumitur Nilus.

27. — AD DIODORVM.

Natali, Diodore, tuo conviva senatus
Accubat, et rarus non adhibetur eques;
Et tua tricenos largitur sportula nummos;
Nemo tamen natum te, Diodore, putat.

Diodorum aut obscurum aut spurium dicit; qui tamen arte soa ad magnas opes veoerat, gratus quondam Vespasiano. *Rader.*

1. *Natali.* Quem conviviis celebrabat.

3. *Et tua tricenos.* Triginta pro uoo; nam alias decem taotum nummi sestertii dabantur pro sportula; qui singuli valebant decem quadrantes, unde sportula erat centum quadrantum, epigr. 70 infra.

4. *Nemo tamen.* Hoc est, Omnes tamen te terrae filium, seu ignobilem, et obscurissimo genere ita natum sciunt, quasi natus non esses, et te natalitiis muneribus indigoum existimant.

28. — AD IANVM.

Annorum, nitidique sator pulcherrime mundi,
Publica quem primum vota precesque vocant,
Pervius exiguos habitabas ante Penates,
Plurima qua medium Roma terebat iter.
Nunc tua Caesareis cinguntur limina donis;

Laudat Ianum et forum Transitorium Nervae; Iani enim templum quatuor portarum in Transitorio foro fuisse Servius osteudit, et Iani olim *Transitiones* dictae, quod passim transeuntibus paterent. *Rader.*

2. *Publica quem.* Lib. VIII, epigr. 8: *Te primum pia thura rogent*, etc. Sic Ov. Fast. I, 119: *Me penes est unum vasti custodia mundi: Et ius vertendi cardinis omne meum est.*

3. *Pervius.* Quia, ut iam supra notavimus collegisse Raderum ex Servio, Iani templum quatuor portas habebat in foro Transitorio, et Iani olim transitiones dictae sunt, quod passim transeuntibus paterent. Cicero lib. II, de Natura Deorum sit: *Quumque in omnibus rebus vim haberent maximam prima et extrema, principem in sacrificando Ianum esse voluerunt, quod ab eundo nomen est ductum: ex quo transitiones perviae Iani, foresque in liminibus profanarum aedium Ianuae nominantur.*

4. *Plurima, etc.* Hoc est, quo loco multitudo Romanorum viam mediam terebat; namque in Vrbis frequentissima et media parte olim templum Iani.

5. *Nunc tua Caesareis.* Nempe donis Domitiani et Nervae: templum enim inchoavit Domitianus, quod Nerva absolvit.

Et fora tot numeras, Iane, quot ora geris.
At tu, sancte pater, tanto pro munere gratus,
Ferrea perpetua claustra tuere sera.

6. *Et fora tot numeras, etc.* Nempe quatuor, velus Romanum, Iulium, Augustum, Transitorium.
8. *Ferrea perpetua.* Hoc est, nobis concilia pacem aeternam. Iani enim templum tempore belli apertum, pacis tempore clausum fuit.

29. — AD SEXTILIANVM.

Quam mihi mittebas Saturni tempore lancem,
Misisti dominae, Sextiliane, tuae;
Et quam donabas dictis a Marte Kalendis,
De nostra prasina est synthesis empta toga.
Iam constare tibi gratis coepere puellae;
Muneribus futuis, Sextiliane, meis.

3. *Dictis a Marte Kalendis.* Qui Veneris natalis, quo munera mittebantur feminis ab amatoribus.
4. *Synthesis empta.* Tuae puellae (hanc enim dominam supra vocat) emisti synthesim, vestem nempe coenatoriam, lib. II, epigr. 46.
5. *Constare tibi gratis.* Quia muneribus, quae ad me mittenda essent, illas tibi concilias. Cicero VII in Verrem, *Navis tibi constat gratis*, hoc est, navem comparasti gratis.

30. — DE APOLLINARIS LITTORE FORMIANO.

O temperatae dulce Formiae litus!
Vos, quum severi fugit oppidum Martis,
Et inquietas fessus exuit curas,

Laudat Apollinaris praetorium Formianum, illudque tam graphice describit, ut nec Formiae sint tam formosae et amoenae, quam hoc epigramma. Quod ut capias facilius, ipsas Formias adumbrabimus ex melioris notae scriptoribus. Formiae Latii oppidum, prius Hormiae dictum, a Laconibus conditum, nomen a commoditate portus (ὅρμον), ut auctor est Strabo, accepit. Fuit ad viam Appiam, loco Molae propinquo, ut verus Leander in descriptione Latii. Laestrygonum aedem fuisse Cic. lib. II ad Attic. epist. 13, et Solinus affirmant; ubi olim Antiphates rex Laestrygonum imperitavit. *Rader.*

2. *Oppidum Martis.* Romam intellige, conditam a Romulo, Martis filio. — Notandum vero *oppidum Martis* de Roma dictum, quum *oppida* parvae tantum urbes nominentur.

Apollinaris omnibus locis praefert.
Non ille sanctae dulce Tibur uxoris,
Nec Tusculanos, Algidosve secessus,
Praeneste nec sic, Antiumve miratur.
Non blanda Circe, Dardanisve Caieta
Desiderantur, nec Marica, nec Liris,
Nec in Lucrina lota Salmacis vena,
Hic summa leni stringitur Thetis vento;
Nec languet aequor; viva sed quies Ponti
Pictam phaselon adiuvante fert aura;
Sicut puellae non amantis aestatem
Mota salubre purpura venit frigus.

5. *Non ille, etc.* Temperato caelo et amoenitati Formiarum non praefert Tibur, pudicae suae uxoris solum natale, seu villam, non Tusculum, non Algidos recessus, nec Praeneste, nec Anxur. — *Sanctae uxoris.* Pudicae. Dicamne uxorem Tiburtinam, an agrum habuisse Tiburtinum, an utrumque? Vxoris, credo, villa Tibure fuit. *Rad.*

6. *Nec Tusculanos.* Tusculanus ager, unus ex Latii amoenissimis et pulcherrimis.

7. *Autumique* cod. Beverl. — *Praeneste.* Latii oppidum, in prospectu Vrbis; ut et Tusculum et Tibur. — *Antium.* Oppid. etiam Latii, centum octoginta octo stadiis ab Vrbe. Nobilis fuit oraculo Fortunae, de quo Horat. lib. I, od. 35: *O diva, gratum quae regis Antium.*

8. *Non blanda Circe.* Promontorium amoenum lib. VIII, epigr. 36. — *Dardanisve Caieta.* Quia a Troianis, qui Dardanidae dicti sunt, condita: hodie *Gaeta.* Virgil. Aeneid. VII, vs. 1 et 2: *Tu quoque litoribus nostris, Aeneia nutrix, Aeternam moriens famam, Caieta, dedisti.*

9. *Nec Marica.* Quae Lirim, alii Lyrim, amnem Campaniae incolebat, et Regi Fauno nupsit, eique Latinum peperit. Ad illius amnis ripas lucum Maricae sacrum fuisse testatur lib. XIII, epigr. 83.

10. *Nec in Lucrina, etc.* Nec lacum Lucrinum in Campania, cuius aqua, ut et Baiarum, aeque delicata et mollis, ac Salmacis in Caria, cuius fons effeminare viros dicitur a poëtis.

11. *Hic summa.* Hactenus Formianum contulit cum aliis locorum amoenitatibus, praetulitque cunctis: nunc ipsum locum describit. — *Thetis.* Aequor.

12. *Nec languet aequor, etc.* Nec quamvis placidum et γαληνιῶν, tamen stagnat, sed leni aura portat naviculas.

13. *Phaselon pictam.* Gyraldus, doctore Nonio, phaselum ait navigium esse Campanum. Sunt qui putent sic dici a leguminis specie. Sunt qui a Phaseli urbe deduci opinentur. Virgil. Georg. IV, 289: *Et circum pictis vehitur sua rura phaselis.*

15. *Mota.* Hoc est, aeque grata est Formiani litoris aura, ac illa quam

Nec seta longo quaerit in mari praedam,
Sed a cubili lectuloque iactatam
Spectatus alte lineam trahit piscis.
Si quando Nereus sentit Aeoli regnum,
Ridet procellas tuta de suo mensa:
Piscina rhombum pascit, et lupos vernas;
Natat ad magistrum delicata muraena;
Nomenculator mugilem citat notum,
Et adesse iussi prodeunt senes mulli.
Frui sed istis quando Roma permittit?
Quot Formianos imputat dies annus
Negotiosis rebus urbis haerenti?

puellae excitant mola veste purpurea, vel flabello.

16. *Nec seta.* Lineam piscatoriam interpretare.

18. *Spectatus*, etc. Per aquam pellucidam. — *Alte.* Alte sublatus lineam curvabat pondere, quo magnitudo piscis ostenditur. — *Spectatus alte.* Hoc est in profundo, quia aqua maris illic pellucida.

19. *Si quando Nereus.* Deus maris, Nympharum pater, et pro ipso mari sumitur. *Aeolus* rex ventorum: hoc est, si mare tempestatibus horrescit.

20. *Ridet procellas.* Quia in piscina servantur pisces.

21. *Piscina.* Piscinas passim habebant in villis suis suburbanis.

23. *Nomenculator, etc.* Is ei titulus qui pisces nominatim citet evocetque: non secus ac nomenclatores solebant in foro et campo Martio citare reos convivasque, et suggerere nomina civium dominis suis in ambitu et petitione magistratus salutandorum. Quod autem *Nomenculator* pro *nomenclator*, ne mireris; sic scripserunt Antiqui, Suet. Cl. 34, etc. ut et *tempulum*, pro templum. — *Mugil*, seu capito, Graece γόμφος, nobis *mulet* nominatur. Ed. P.

24. *Senes mulli.* In piscinis consenescentes; tales enim animi potius, quam mensae gratia alebant.

25. *Permittis* edd. vett. cum Delph. Farnab. et *Barbou*: nec id ineptum censet Schrevel. — *Permittit?* Per tot curas urbanas.

26. *Formianos.* « Farnabius sic explicat: Quot dies, quos iucundissime agere liceret Formiis, possunt imputari quasi perditi urbanis curis? Non est hic sensus Martialis. Dicit enim: Quam paucos dies Formiis, vel ut apud Formias, degendos concedit annus? » — *Imputare nobis* a Seneca, Suetonio et huius saeculi auctoribus dicitur, quod quisquam beneficii nobis tribuit et concessit, quasi expensum ferre, nostris rationibus adscribere (Gallice, *mettre en ligne de compte*), et inde venditare. Item pro beneficio vindicet. Sic *annus imputat nobis dies iucundos*, quos, tempore anni ita ferente et concedente, iucunde egimus. — *Imputat annus.* Clarius dixisset *per annum dii imputant*, vel *fata imputant.* Sed audacius fin-

O ianitores, villicique felices!
Dominis parantur ista; serviunt vobis.

xit sibi annum denm quodammodo esse, et dies nobis ipsum imputare. *Gronov.*

28. *Vinitores* edd. vett. et Delph. quod aeque bonum Gronovius evincit.

29. *Dominis parantur ista, etc.* Domini raro, furtim et per otium, civilis quasi emissi vinculis, has voluptates carpunt: vos, o villici, semper, libere et ad satietatem iis fruimini.

31. — IN CALLIODORVM.

Addixti servum nummis here mille trecentis,
Vt bene coenares, Calliodore, semel:
Nec bene coenasti; mullus tibi quatuor emptus
Librarum coenae pompa caputque fuit.
Exclamare libet, Non est hic, improbe, non est
Piscis: homo est: hominem, Calliodore, voras.

In gulosum et helluonem hoc scriptum, euiusmodi tune plurimi Romae, et notat in hoc Calliodoro luxum et gulam Romanorum.

1. *Addixti*. Addicere verbum est solenne in iudiciis, hoc est, adiudicare pluris licitanti: significat etiam simpliciter vendere, ut hic.

4. *Coenae pompa.* Coena dividebatur in tres partes, in antecoenam, ut aiunt interpretes, coenae caput, et secundas mensas: pompa vero et caput coenae idem est.

6. *Hominem voras.* Hoc est, servum quem vendidisti, ut emeres mullum.

32. — DE IMAGINE M. ANTONII, AD CAEDITIANVM.

Haec mihi quae colitur violis pictura, rosisque,
Quos referat vultus, Caeditiane, rogas?
Talis erat Marcus mediis Antonius annis
Primus: in hoc iuvenem se videt ore senex.
Ars utinam mores, animumque effingere posset!
Pulchrior in terris nulla tabella foret.

Nobilitavit hoc epigrammate Antonium illum Primum Tolosanum; et corporis effigiem, et animi virtutes expressit.

4. *Primus.* Cognomen M. Antonii, qui omnino alienus fuit a familia Antoniorum Romanorum. Eo. P.

5. *Ars utinam.* Virtus enim, si pingi posset, vehementissimos sui amores excitaret.

33. — AD MVNATIVM GALLVM.

Simplicior priscis, Munati Galle, Sabinis,
Cecropium superas qui bonitate senem;
Sic tibi consoceri claros retinere Penates
Perpetua natae det face casta Venus;
Vt tu, si viridi tinctos aerugine versus
Forte malus livor dixerit esse meos,
Vt facis, a nobis abigas: nec scribere quemquam
Talia contendas carmina, qui legitur.
Hunc servare modum nostri novere libelli,
Parcere personis, dicere de vitiis.

Vt suorum carminum patronum invocat Paullum lib. VII, ep. 72, 7, sic rogat hic Munatium, vel ut alii legunt Numacium, ut infames versus, suo nomine vulgatos, suos esse neget. *Rader.*

1. *Priscis Sabinis.* Qui morum simplicitate, et animi candore excelluerunt.

2. *Cecropium senem.* Alii Socratem, qui Aquinati Satirico dictus *Senex vicinus Hymetto*; alii Epicurum intelligunt.

3. *Consoceri.* Ita explicat Raderus: Sic tibi det casta Venus perpetua face natae, consoceri claros Penates retinere: hoc est, Venus tibi connubium natae tuae, cum consoceri filio initum, in aedibus generi et soceri aeternum firmet, ubi concordes gener, et nurus, consocerique simul vivatis. Consocer est quorum alter filium alterius filiae in matrimonium dedit. Iudicet lector.

4. *Perpetua natae.* Nempe tuae uxoris: hoc est, tuum matrimonium non solvatur, at semper vivas cum tua uxore in aedibus tui soceri.

5. *Tinctos aerugine.* Quae rubigo est: sed hic sumitur pro maledicentia, quam atrum venenum dixit lib. VII, epigr. 72, et Horatius I, 4, 100, *nigrae succum loliginis.*

6. *Lector dixeris* exhibet codex Beverlandi.

8. *Qui legitur.* Cui fama favet et lector, hoc est, qui legitur.

10. *Parcere personis.* Nominet tamen saepe, non veris idcirco nominibus; et istis quidem abstinere se iam dixit epistola lib. I.

34. — AD CAESAREM TRAIANVM.

Di tibi dent quidquid, princeps Traiane, mereris,
Et rata perpetuo, quae tribuere, velint;

Ius patronorum ab imp. Traiano Romanis redditum, laudat Martialis.

2. *Et rata perpetuo... velint.* Et ratum velint Dii, quod tibi contulere, imperium.

Qui sua restituis spoliato iura patrono;
Libertis exsul non erit ille suis.
Dignus es, ut possis totum servare clientem;
Vt liceat tantum, vera probare potes.

3. *Qui sua iura.* Quae praecipue consistunt in operis et successione libertorum: Domitianus vero patronos hoc iure spoliaverat.

4. *Exsul non erit ille suis.* Iure sub spoliatus tanquam proscriptus et exsul. Proscribebantur vero patroni, quum illis ius patronatus eriperetur, ut ex libertorum bonis semissem ne acciperent: ita improprie vocat hic exsulem. De clientibus et patronis hic non ago; alia enim sunt iura patronorum in clientes, alia in libertos: non omnis cliens libertus, omnis tamen libertus cliens. *Rader.*

5. *Totum clientem.* Hoc est, civem Romanum integrae suae dignitati restituere, quem nuncupat clientem ipsius Imperatoris.

6. *Vt liceat.* Hoc est, Potes quidem servare, dummodo possit probare se esse patronum. Lectionis autem quam praetulit Farnab. hic est sensus: Modo detur occasio, potest probare vera esse quae dixi.

35. — DE SVLPICIA.

Omnes Sulpiciam legant puellae,
Vni quae cupiunt viro placere.
Omnes Sulpiciam legant mariti;
Vni qui cupiunt placere nuptae.
Non haec Colchidos asserit furorem,
Diri prandia nec refert Thyestae;
Scyllam, Byblida nec fuisse credit:
Sed castos docet, et pios amores;
Lusus; delicias; facetiasque.
Cuius carmina qui bene aestimarit;
Nullam dixerit esse nequiorem;

Poëtriam laudat Sulpiciam, quae Martiali aequalis, scripsit poëmata de amore coniugis sui, et temporibus Domitiani, aliaque nonnulla. Exstat eius una Satira quae ad calcem Iuvenalis vulgo editur. Est infra ad Calenum eiusdem mentio. *Rader.*

5. *Non haec Colchidos.* Medeae amores et scelera intelligit, quae vera esse sane negabat Sulpicia.

7. *Byblida.* Quae fratris sui Cauni amore arsit, et tandem in fontem conversa fuit. Sulpicia vero non credit exstitisse talia monstra, quia ipsa pudica est.

11. *Nequiam* et *improbus* indicant semper fere lasciviam simul et acuminis quiddam, Sic et apud nos *me-*

Nullam dixerit esse sanctiorem.
Tales Aegeriae iocos fuisse
Vdo crediderim Numae sub antro.
Hac condiscipula, vel hac magistra
Esses doctior et pudica, Sappho.
Sed tecum pariter simulque visam
Durus Sulpiciam Phaon amaret.
Frustra: namque ea nec Tonantis uxor,
Nec Bacchi, nec Apollinis puella
Erepto sibi viveret Caleno.

chant et praesertim *malin*, quamvis multo minus significent.

14. *Vdo autem.* Aricino, fontibus atque aquaeductibus madenti, vide Iuvenal. Sat. III, vs. 11.

15. *Hac condiscipula, etc.* Si Sulpicia usa fuisses magistra vel condiscipula, o Sappho.

16. *Sappho.* Poëtria celebris, de qua lib. VII, epigr. 69, quae Phaonem perdite amavit, a quo fuit contempta; at, inquit Poëta, Sulpiciam arsisset.

18. *Durus.* Qui te, Sappho, sprevit, neque amore suo dignatus est. En. P.

19. *Namque, etc.* Neque enim Bacchi, Apollinis, ipsiusve Iovis thalamos praeferret thalamo coniugis sui Caleni, ad quem mox epigr. 38.

20. *Nec Bacchi.* Ariadne nempe. Daphne vero ab Apolline adamata. Horum omnium nota historia. — *Puella*, hoc est, domina, *amasia*. Et apponitur τῷ *uxor*, quod in proximo versiculo.

36. — IN MVNNAM.

Improba Massiliae quidquid fumaria cogunt,
Accipit aetatem quisquis ab igne cadus,
A te, Munna, venit: miseris tu mittis amicis
Per freta, per longas toxica saeva vias;
Nec facili pretio, sed quo contenta Falerni

Munnae vinum Massiliense Romam missum vituperat. Massiliense vinum fumatum lib. XIII, 123, exponitur.

1. *Colant* MS. Beverl. qui sic esse legend. monet. *Cogunt* improbat de *Rooy*, et impense vult *condunt*. — *Improba Massiliae.* Fumaria loca erant, ubi fumo vina coquebantur. *Improba* dixit, quia corrumpebant vinum. Forsan *fallacia*. Vide lib. III, epigr. 81. *Vel cocta fumis musta Massilianis.*

4. *Toxica saeva.* Hoc est, vina pessima.

Testa sit, aut cellis Setia cara suis.
Non venias quare tam longo tempore Romam,
Haec puto causa tibi est, ne tua vina bibas.

6. *Setia cara.* Hoc est, vina Setina generosa; de quibus saepius dictum.

8. *Ne tua vina.* Hoc est: Ne vina tam aspera ad nos missa nobiscum bibere tu quoque cogaris.

37. — AD MATERNVM.

Iuris, et aequarum cultor sanctissime legum,
Veridico Latium qui regis ore forum,
Municipi, Materne, tuo, veterique sodali
Callaicum mandas si quid ad Oceanum;
An Laurentino turpes in littore ranas,
Et satius tenues ducere credis acos?
Ad sua captivum quam saxa remittere mullum,
Visus erit libris qui minor esse tribus?
Et fatuam summa coenare pelorida mensa,
Quosque tegit levi cortice concha brevis?
Ostrea Baianis quam non liventia testis,

Poëta patriam revisere cogitans, rogat Maternum iurisperitum, municipem suum, an aliquid velit mandati dare ad suos.

2. *Latium.* Hoc est, qui Romae de iure respondes.

3. *Municipi, etc.* Mihi concivi tuo et συμπατριώτῃ meditanti patriam, et Bilbilim meam mox visuro (ut supra epigr. 20) si quid est quod mandatum velis, maodabis nuncio.

4. *Callaicum.* Hoc est, Hispanum. Hic oratio deficit, nec addit Poëta quod rediturus esset in suam et Materni patriam.

5. *An Laurentino.* Quod distat ab urbe Roma decem et septem millibus passuum.

6. *Acos.* Vilissimos pisces intellige.

7. *Ad sua, etc.* Quam in Hispania captos mullos, nisi trilibres, in mare reiicere. — *Sua saxa mullum.* Quibus vivuot, unde extrahuntur. Pisces vero saxatiles fluviatilibus meliores.

9. *Fatuum* MS. Palat. et ed. *Barbou* — *Summa mensa.* Hoc est, lautissima, inquit Domitius, cui suffragatur Farnabius. An ultimam intelligit Poëta, an locum forte excelsum in mensa, ubi ponerentur pisces? — *Pelorida.* Vilissimum quoque piscem.

10. *Quosque tegit.* Inclusos conchia mitulos pisciculos intelligunt interpretes. Horatius lib. II, Sat. IV, 28 *Mitulus, et viles pellent obstantia conchae.*

11. *Ostrea Baianis.* Hoc est, quae non cedunt ostreis natis in lacu Lucrino prope Baias, quae sunt optimi saporis.

Quae pueri domino non prohibente vorent?
Hic olidam clamosus ages in retia vulpem,
Mordebitque tuos sordida praeda canes.
Illic piscoso modo vix educta profundo
Impedient lepores humida lina meos.
Dum loquor, ecce redit sporta piscator inani;
Venator capta mele superbus adest.
Omnis ab urbano venit ad mare coena macello;
Callaicum mandas si quid ad Oceanum.

12. *Quae domino.* In Hispaniae littoribus ostreorum optimorum magna est copia.

13. *Hic olidam.* Dum enim a canibus urgetur vulpes, lotium emittit pessime olens.

16. *Lepores meos.* Quia sunt in meis agris.

17. *Dum loquor, etc.* Steriles omnes Italiae dicit, et sine pingui fera sylvas. Piscator missus ad ducendos pisces, nihil extraxit. Venator quia martem, vel, ut alii legunt, *melem* cepit, putat se opimam praedam adeptum, quam superbus ostentat. — *Sporta.* Est canistrum vimineum.

18. *Mele* autem est gallice *blaireau, chat sauvage, fouine.*

19. *Omnis ab urbano, etc.* Ad villas in Italia maritimas, pisces ex urbe feruntur ad mensas instruendas.

38. — AD CALENVM.

O molles tibi quindecim, Calene,
Quos cum Sulpicia tua iugales
Indulsit Deus et peregit annos;
O nox omnis et hora, quae notata est
Caris litoris Indici lapillis!
O quae praelia, quas utrimque pugnas
Felix lectulus, et lucerna vidit
Nimbis ebria Nicerotianis!

Felix coniugium Sulpiciae et Caleni praedicat, et omnia ad Sulpiciae refert gratiam.

4. *Molles.* Iucundos, felices, laetos.

5. *Caris litoris.* Hoc est, gemmis in mari Indico natis.

6 *Pugnas.* Τῆς κλινοπάλης. Quas colluctationes venereas Apuleius dicit.

8. *Nimbis ebria.* Hoc est, madens aspersionibus odoratis quas confecerat Niceros unguentarius: lib. VI, epigr. 55.

Vixisti tribus, o Calene, lustris.
Aetas haec tibi tota computatur,
Et solos numeras dies mariti.
Ex illis tibi si diu rogatam
Lucem redderet Atropos vel unam,
Malles, quam Pyliam quater senectam.

9. *Vixisti tribus lustris.* Veram egisti vitam solos hosce quindecim annos quibus fuisti uxoratus.

10. *Aetas haec tota.* Tu existimas tria haec lustra implevisse totam tuam aetatem.

13. *Atropos.* Vna e Parcis.

14. *Malles, quam, etc.* Vnum eiusmodi diem tibi a fatis redditum praeferres quatuor aetatibus Nestoreis, id est, quater nonaginta annis, vide lib. IX, epigr. 30, vs. 1, aetas enim humana triginta annorum est communiter, ut iam l. l. notavimus.

39. — IN LESBIAM.

Consule te Bruto quid iuras, Lesbia, natam?
Mentiris: nata es, Lesbia, rege Numa.
Sic quoque mentiris: namque, ut tua saecula narrant,
Ficta Prometheo diceris esse luto.

Lesbiam quae se anum et annosam fatebatur, annosissimam dicit. Non iam puella ego, illa aiebat; nata sum Bruto consule. Immo, subiungit Noster, rege Numa. Ed. P.

2. *Mentiris, etc.* Antiquior es omnibus Consulibus. — *Numa.* Qui fuit secundus Romanorum rex, et regnavit 207 annos ante institutum Romae a Iunio Bruto consulatum.

3. *Tua saecula narrant.* Tua longaevitas testatur. Ed. P.

4. *Ficta Prometheo, etc.* Hoc est; Tam annosa et turpis es, ut videaris ficta fuisse ex luto Promethei.

40. — AD LVPVM DE POLLA.

Semper quum mihi diceretur esse
Secreto mea Polla cum cinaedo,
Irrupi, Lupe: non erat cinaedus.

3. *Non erat cinaedus.* Alius erat a cinaedo. Quod autem fuerit hoc flagitium, videtur innuere paronomasia τοῦ *Irrupi.* Lib. II, epigramm. 47, vs. 3.

41. — IN PROCVLEIAM.

Mense novo Iani veterem, Proculeia, maritum
Deseris, atque iubes res sibi habere suas.
Quid, rogo, quid factum est? subiti quae causa dolo-
Nil mihi respondes? dicam ego, Praetor erat. (ris?
Constatura fuit Megalensis purpura centum
Millibus, ut nimium munera parca dares;
Et populare sacrum bis millia dena tulisset.
Discidium non est hoc, Proculeia: lucrum est.

Avaritiae caussa, avara Proculeia a viro divertit.

1. *Mense novo, etc.* Ianuario, et τὸ *novo mense* ἀντίθεται τῷ *veterem maritum*.

2. *Res sibi. Res* apud Latinos saepe usurpatur pro fortunis et quidquid opum possidetur. Sic Gallice *biens*. In repudiis vero comprobata sunt baee verba, *Tuas res tibi habeto*; item haec, *Tuas res tibi agito*.

4. *Praetor erat.* Atque ita ornatus purpura, ludos Megalenses in honorem Cybelea suis impensis exhibere debuit: quum autem pauper esset, peeuniam illi suppeditare coacta fuisset Proculeia. Megalenses vero ludi sie dieti sunt a templo Megalesio Pessinunte in urbe Phrygiae, uode Romam advecta fuit Dea: de quibus fuse agit Ov. Fast. lib. IV, 179 aqq. Lege Rosinum, lib. V Antiquitatum Romanarum, cap. 12. Alexsoder ab Alexandro, Genialium dierum lib. VI, cap. 19, ait: Praetores et magistratus purpurati in toga et praetexta, atque in ornatu maximo celebraverunt, nempe ludos Megaleoses; quare et purpura Megalensis in vulgi proverbium venit.

7. *Et populare sacrum.* Florales ludos intelligit Merula, in quibus missio fiebat in populum ab iis qui gratiam plebis quaererent. Persius Sat. V, 177: *Vigila, et cicer insere large Rixanti populo, nostra ut Floralia possint Aprici meminisse senes.*

42. — AD DINDYMVM.

Tam dubia est lanugo tibi, tam mollis, ut illam
Halitus, et soles, et levis aura terat.
Celantur simili ventura Cydonia lana,
Pollice virgineo quae spoliata nitent.

2. *Halitus..... aura terat.* Pro, in eam vehementius et fortius agat.

3. *Celantur simili, etc.* Hoc est, id mollitiae, id teoerrimae levitatis inest lanae, qua induuntur opera quae e Cydone Romam adveluntur.

Fortius impressi quoties tibi basia quinque,
Barbatus labris, Dindyme, fio tuis.

5. *Quinque* pro *pauca*; pariter nempe vel quatuor dixisset vel sex, si vel rhythmo aptum id fuisset, vel sic in mentem incidisset.

6. *Barbatus labris*, *etc.* Nempe quod barba fortius basiato tibi exsilit, et in labra mihi vel genas ita cadit, ut lanugine ego tua subito barbatus fiam.

43. — AD PHILEROTEM.

Septima iam, Phileros, tibi conditur uxor in agro.
Plus nulli, Phileros, quam tibi reddit ager.

Veneficii accusat Philerotem cui iam conditae septem uxores in agello. Sepulcris consecrari agellum moris fuit, ut dictum lib. I, ep. 115 et 117.

1. *Septima.* A te nempe veneno sublata, ut intelligere videtur Poëta. Vide lib. IX, epigr. 16. — *In agro.*

2. *Reddit ager.* Dotes nempe mortuarum uxorum, qui sunt amplissimi fructus.

44. — AD Q. OVIDIVM.

Quinte Caledonios Ovidi visure Britannos,
Et viridem Tethyn, Oceanumque patrem;
Ergo Numae colles, et Nomentana relinques

1. *Quinte.* Clarissimus vir et magni faciendus, de quo meminit iam Martialis lib. I, epigr 106, et dein lib. VII, epigr. 44, qui Caesonium a Nerone damnatum in exsilium comitatus, vitae anteposuit amicitiam. Iuxta Nomentum praedia habuit. Hic Martialis eum ait, amici causa profectum in Britanniam, et vovet illi reditum, quietamque tandem vitam. —*Caledonios Britannos.* Caledoniam, quae pars fuit imperii, si pars fuit, remotissima; et vocatur hodiernis temporibus Scotia, *Écosse.*

2. *Et viridem Tethyn.* Quae apud antiquos et poëtas in primis sumebatur pro ipso mari (ut Iupiter pro aëre splendido et sereno, ut Minerva pro aëris parte summa et splendidissima, ut Iuno pro inferiore et crassiore Ed. P.) Tethyos vero maritum Oceanum fluviorum fontiumque patrem fingunt poëtae.—*Viridem.* Nam caeruleus maris color, et fere viridis. Et sic vocat Horatius, Odarum lib. III, XXVIII, 10: *Neptunum, et virides Nereidum comas.* Ed. P.

3. *Numae colles.* Sabinorum regionem montanam, unde oriundus Numa, Curibus scilicet, et in qua praedium Ovidii Nomentanum. Alii exponunt Romam, a Numa secundo rege auctam. — *Nomentana otia.* Praedii tui Nomentani literatum otium. Nomentum vero Vmbriae oppidum, Albanorum colonia a Tarquinio expugnata.

Otia? nec retinet rusque focusque senem?
Gaudia tu differs: at non et stamina differt
Atropos, atque omnis scribitur hora tibi.
Praestiteris caro (quis non hoc laudet?) amico,
Vt potior vita sit tibi sancta fides.
Sed reddare tuis tandem mansure Sabinis,
Teque tuas numeres inter amicitias.

5. *Gaudia*. Sed, ut dixit Poëta lib. I, epigr. 16, *Gaudia non remanent, sed fugitiva volant*.

6. *Atropos*, una e tribus Parcis et asperrima, quippe quae stamen secaret; unde illius nomen *Atropos* Graecis (ἀ privativ. et τρέπειν, *vertere*) idem sonat ac *flecti*, *verti* ad preces *nescia*. Ed. P. — *Omnis scribitur*. Hoc est, diem, horam, minutulum temporis articulum tibi imputat, nec veniae aliquid dabit. Ed. P.

9. *Tuis Sabinis*. Popularibus tuis; quorum e regione tu oriundus.

10. *Teque tuas*, etc. Tibi carus sis, te quoque respicias: nam ut Terentius recte: *Proximus sum egomet mihi*. Et quidem virum probum et alios amantem, et se amare decet, etc. Arist. Magn. Mor. lib. II, cap. 13 et 14. *Qui sibi amicus est, hunc scito amicum omnibus esse*, Sen. epis. 6.

45. — IN DELICATVM LECTOREM.

Si quid lene mei dicunt et dulce libelli,
Si quid honorificum pagina blanda sonat;
Hoc tu pingue putas, et costam rodere mavis,
Ilia Laurentis quum tibi demus apri.
Vaticana bibas, si delectaris aceto;
Non facit ad stomachum nostra lagena tuum.

Encomiastica, nuptialia, natalitia, amatoria et similia; quae ut materia blanda et lenis, ita numeros quoque lenes, et blanda verba desiderant. Si tibi haec velut minus acria displicent, abi hinc, et rodas ossa, bibas acetum, legas maledica, etc. Mibi placet, subinde etiam lenia et dulcia miscere amaris.

1. *Lene... dulce libelli*. Amatorium, nuptiale, salutatorium, etc.

2. *Honorificum*, etc. Encomiasticum.

3. *Costam rodere*. Metaphora est, cuius est hic sensus: Carmen maledicum tibi potius placeret, quam tenerum et blandum.

5. *Vaticana*. Vina scilicet acerbi saporis.

6. *Nostra lagena*. Hoc est, nostri versus (lenes, dulces, amatorii, etc.) tibi non conveniunt.

46. — IN MATHONEM.

Omnia vis belle, Matho, dicere: dic aliquando
Et bene: dic neutrum: dic aliquando male.

Mathonis caussidici studium dicendi videtur carpere, quod eò Matho referebat, non ut bene, sed ut belle diceret.

1. *Belle, Matho, dicere.* Placenter et ad voluptatem audientium, vel ex regulis rhetorices et grammaticea et artis lenociniis. Erat Matho quod nos vocamus *un puriste.*

2. *Et bene.* Hoc est, ad rem propositam. — *Aliquando male.* Hoc est, Neglige interdum rhetoricae praecepta, et nudam veritatem expone: vel, ut ait Farnabius: Interdum, vel potentissimo vitia exprobra, nec semper dicas omnia ad assentationem divitum. — Ita omnes fere, quos quidem legi, explicant. Mallim tamen sic intelligi quasi Noster innuat, nil sibi gravius quam putida haec bella verba affectantium et venantium elocutio; qui si quid, immo si multa eleganter et lepide efferant, ob id tamen minus placent, quia elegantiae laudem aucupari videantur, et quidquid locuturi sunt diu meditentur. Ergo, ait Poëta, non optime omnia dic, sed bene, id satis est; immo et male. Et ad id faciunt, quae supra toties iteravit paululum variata: *Sunt bona, sunt quaedam mediocria, sunt mala multa, Quae legis hic: aliter non fit, Avite, liber.* Et lib. VII, LXXXI, ad Lausum: *Triginta toto mala sunt epigrammata libro; Si totidem bona sunt, Lause, liber bonus est.* Ed. P.

47. — AD IVLIVM MARTIALEM.

Vitam quae faciunt beatiorem,
Iucundissime Martialis, haec sunt:
Res non parta labore, sed relicta:
Non ingratus ager; focus perennis;
Lis nunquam; toga rara; mens quieta;

Hoc est illud πολυθρύλλητον epigramma; lippis, ut aiunt, et tonsoribus decantatum: quod pueri norunt, antequam discant; tenent antequam intelligant. Totum est ad beatae vitae tranquillitatem compositum. Conf. Horatium, Epod. lib. od. II, et Senec. de beata vita, cap. 23.

3. *Non parta labore.* Parce enim, duriter et anxie quaesita, anxie et plurimis cum curis tenentur. — *Relicta.* A patre seu maioribus. Πατρῷ' ἔχειν δεῖ τὸν καλῶς εὐδαίμονα. « *Paterna* rura bobus exercet *suis.* » — *Sed relicta.* Testamento nempe, aut alio modo.

4. *Non ingratus ager.* Qui semina reddit cum largo foenore; qui spem non mentitur. Horat. Odar. lib. III: *Et segetis certa fides meae.* — *Focus perennis.* Metonymia est, et focum pro victu posuit, inquit Raderus.

5. *Lis.* Contentiones forenses intellige. Horat. Epod. II, *Forumque*

Vires ingenuae; salubre corpus;
Prudens simplicitas; pares amici;
Convictus facilis; sine arte mensa;
Nox non ebria, sed soluta curis;
Non tristis torus, et tamen pudicus;
Somnus qui faciat breves tenebras;
Quod sis, esse velis, nihilque malis;
Summum nec metuas diem, nec optes.

vitat, et superba.....etc. — *Toga rara.* Hoc est, rara officia urbana: clientes enim togati comitabantur suos patronos. Et binc lepidissime ipse, libri huius epigr. LI, vs. 6: *O tunicata quies!*

6. *Vires ingenuae.* Ex bis, quae omnia notant significare τὸ *ingenuum*, nihil ad hunc rhombum. *Nativum* dicunt simplex, incorruptum, praestans, elegans. Immo *ingenuae vires* sunt temperatae, non nimiae, quae deceant hominem animo magis quam membris aestimandum. Sic supra: *Invalidum est nobis ingenuumque latus.* Et Ovidio, *Invalidae vires ingenuaeque mihi*; cui propterea indignum, *Ingenuum dura ponere corpus humo.* Sic Ammian. lib. XIX, *quum ire protinus pergeremus, et incedendi nimietate superares, ut insuetus ingenuus.* Eodem pertinet Nostri l. XII epigr. 4; *Tu das ingenuae ius mihi pigritiae.* — *Salubre corpus.* Quo modo lib. I, od. XXXI, vs. 17, Horatius: *Frui paratis et valido mihi, Latoë, dones etc.* Namque ut in vulgatissimo hoc Graeci cuiusdam senario: Οὐκ ἔσθ' ὑγείας κρεῖττον οὐδὲν ἐν βίῳ.

7. *Prudens simplicitas.* Optime congruit hoc ex Bibliis sacris Nov. Testam. *Estote prudentes sicut serpentes; simplices sicut columbae.* — *Pares amici.* Ne igitur finxeris tibi amicos vere fore optimates, divites, et qui te quoquomodo antecellunt, quod Romanis nuncupatum fuit *magni amici.* Impares enim genere et fortuna raro mutua se complectuntur amicitia.

8. *Convictus facilis.* Sic Horatius lib. I, od. XXXVIII, *Persicos odi, puer, apparatus*, etc. et lib. III, od. XXIX: *Plerumque.....parvo sub lare pauperum Coenae, sine aulaeis et ostro, etc.* En. P.

9. *Solutus curis.* « O quid solutis est beatius curis! » Catull.

10. *Torus.* Tori socia, uxor.

11. *Somnus, etc.* Somnus facilis, suavis, quietus.

12. *Quod sis, esse velis.* Contentus sis omnimodo tua sorte, conditione, fortuna, valetudine.—*Nihilque malis.* Nec prae te alios iudices beatos. Δεῖ γὰρ τὸ παρὸν εὖ ποιεῖν. Id vero difficillimum et rarissimum. Vid. Hor. lib. I, sat. 1, vs. 1, 2 et 3: *Qui fit, Maecenas, ut nemo quam sibi sortem, Seu ratio dederit, seu fors obiecerit, illa Contentus vivat?* et quae sequuntur.

13. *Summum, etc.* Mortis non cupido, non fuga. Senecae Epist. 24, 70, 78, de Beata Vita cap. 5, etc.

48. — PARAT POETA CONVIVIVM.

Nuntiat octavam Phariae sua turba iuvencae,
Et pilata redit, iamque subitque cohors.
Temperat haec thermas, nimios prior hora vapores
Halat, et immodico sexta Nerone calet.

Inscriptio contioet argumentum, ut alias iam vidimus.

1. *Nuntiat*, etc. Isidis sacerdotes reversi ab indagatione filii amissi (quam quotidie repraesentabant) indicant testanturque esse horam octavam, id est, secundam a meridie — *Phariae iuvencae*. Isidi, quae Romae colebatur sacris ex Aegypto petitis. De illa agitur lib. II, epigr. 14: *Assidet et cathedris, moesta iuvenca, tuis.* Moesta nempe propter amissum Osirim maritum, quem diu quaesivit: hanc vero indagationem quotidie repraesentabant eius sacerdotes, ut modo dictum, et hora absolvebant a meridie secunda.

2. *Et pilata redit.* Locus mire vexatus, quem sic interpretor. *Pilatam cohortem* accipio cohortem praetorianorum militum pilis armatorum, quae ad Palatium illo die excubias egerat. Suetonius, Othonis cap. 6: *Tulerat animus post adoptionem statim castra occupare, coenantemque in Palatio Galbam aggredi: sed obstitit respectus cohortis, quae tunc excubabat, ne oneraretur invidia, quod eiusdem statione et Caius fuerat occisus, et desertus Nero.* Illa igitur *pilata cohors iamque rediit*, nempe in castra praetoriana, *et subiit*, nempe altera, illius vices excipiens. Non quidem confirmare possum circa octavam diei horam, ut illis computabatur, fuisse stationes mutatas: satis tamen vero simile est, quum vel occupatissimis nona esset hora coenae, et tum dies operosus pro exacto haberetur. *Et pilata cohors iam et rediit et subiit*, ut appareat hoc sensu nec in repetitis particulis copulativis aliquid duri haerere. *Gron.* At Raderus: « *Redit*, etc. Ad templum deae Isidis in campo Martio. Tum et observandum, Isidi bis in die laudes ab Isiacis dictas. Prima nempe hora, qua sacerdotes Isidis templum aperiebant (idque *Apertio* vocabatur) et Deam salutabant, quod *Salutationem* et *Excitationem* appellabant. Post, totum diem stipem emendicabant. Inde ad octavam redibant, et Deam componebant, et templum claudebant. Has geminas Isidis laudes Tibul. intelligit, quum ita lib. I, III, 32, canit: *Bisque die resoluta comas, tibi dicere laudes Insignis turba debeat in Pharia.* — *Iamque subitque.* Hoc est: Iam ingreditur templum Deae Isidis in campo Martio. — Caeterum videtur unum *que* redundare: quare dubitat Raderus num scribendum sit, *statque subitque cohors.* Nam reversi illi sacerdotes stantes Deam adorabant: lib. XII, epigr. 29: *Inter adorantes quum stetit Hermogenes.* Videat lector,

3. *Prior hora*, etc. Septima, id est, prima pomeridiana, octava prior. — *Temperat haec.* Scilicet hora octava, qua lavabant antiqui.

4. *Et immodico.* Hoc est, immodice aestuantibus thermis Neronianis,

Stella, Nepos, Cani, Cerealis, Flacce, venitis?
Septem sigma capit, sex sumus, adde Lupum.
Exoneraturas ventrem mihi villica malvas
Attulit, et varias, quas habet hortus, opes.
In quibus est lactuca sedens, et sectile porrum;
Nec deest ructatrix mentha, nec herba salax.
Secta coronabunt rutatos ova lacertos,
Et madidum thynni de sale sumen erit.
Gustus in his; una ponetur coenula mensa,
Haedus, inhumani raptus ab ore lupi.
Et, quae non egeant ferro structoris, ofellae,

5. *Stella, Nepos, etc.* Amici convivaeque Martialis.

6. *Sigma capit.* Lectus ad mensam accommodatus, qui referebat imaginem Graecorum Σ, quod olim formabatur ut Latinum C. Vide lib. XIV, epigr. 87. Brodaeus mensam interpretatur, cui contra Lips. adstipulatur Savaro ad Sidonium, lib. II, epigr. 2, vs. 2.

7. *Exoneraturas, etc.* Lib. III, epig. 88. — *Malvas.* Simplex sane et rusticantis poëtae convivium. Haud absimilia Flaccus: *me pascunt olivae; Me cichorea levesque malvae.* Ed. P.

9. *Recens* pro *sedens* MS. Beverl. *Tonsile* pro *sectile* codd. Thuan. et Pulmanni. Caeterum consule Var. not. — *Sedens.* Sessilis. Lib. III, epigr. 47; de lactuca Athenaeus lib. II, cap. 27.

10. *Destupratrix* Vaticanus pro *Deest ructatrix*. Codicem antiquum habere *stupratrix* notat Calderinus. Pulmannus sic scribit: *Et destupratrix m.* Sed vetusti cod. mei manifesta scriptura est, *Et destupr. m. sed*, etc. *Menta* Ald. Iunt. Colin. — *Ructatrix mentha.* Quae ructus ciet. — *Herba salax.* Eruca, qua salaci appellata, ot et bulbis interdicit Ovid. Rem. Amor. 799.

11. *Ructatos* MS. Beverlandi. — *Secta ova lacertos.* Lib. V, epigr. 78, vs. 5. *Lacertus.* Lacertus enim reptilis genus vocatus ita, quod brachia habeat. Genera lacertorum plura, ut botrax, salamandra, saura, stellio. Est et lacertus piscis. — *Rutatos.* Hoc est ruta herba conditos lacertos.

12. *Tenu* Vat. — *Et madidum.* Hoc est, ut ait Farnabius: Papillae suis primiparae sumen salso thynni liquore imbutum: l. XIII, ep. 56.

13. *Una coenula mensa.* Hoc est, haedus apponetur, qui totus una mensa comedetur.

14. *Inhumani, etc.* Quem lupo raptori obnoxium nos nostrum faciemus, experturi teneriorem: rationem vide apud Plut. l. I Symp. Quaest. 9. Cf. et Tibull. eleg. 1.

15. *Structoris.* Hic *structorem* appellat Martialis, quem *cibicidam* Veteres. Notum enim, antiquis fuisse servos, qui obsonium scinderent; quin et magistros, qui obsonii carpendi artem docerent ac profiterentur. Iuvenal. Satir. V, 120: *Structorem interea (ne qua indignatio desit) Saltantem spectes, et chironomonta volanti Cultello*, etc. Cognoscis ex hoc loco,

Et faba fabrorum, prototomique rudes.
Pullus ad haec, coenisque tribus iam perna superstes
Addetur: saturis mitia poma dabo.
De Nomentana vinum sine faece lagena,
Quae bis Frontino consule plena fuit.
Accedent sine felle ioci, nec mane timenda
Libertas, et nil, quod tacuisse velis.
De Prasino conviva meus, Venetoque loquatur;
Nec facient quemquam pocula nostra reum.

certis gestibus solitos structores illos obsonia scindere. *Herald.* — Immo et ad cytharistriae aut tibicinis sonos numerum servantes. Ed. P.—*Ofellae*. Carnes sunt aut partes carnium assatae vel elixae, dein conditae, concisae, atque instar globi accumulatae: sic non opus est ut illas scindat is structor seu cibicida, qui ordinat et componit fercula.

16. *Et faba fabrorum*. Quibusdam herbis condita faba dicebatur fabrilis. — *Prototomi*. Hoc est, primi caules qui succiduntur.

17. *Perna superstes*. Quae nempe iam tribus coenis inserviit.

18. *Saturis*. Hoc est, secundis mensis apponam poma.

19. *De Nomentana*, etc. Nomentanum vinum, quo recentius, hoc deterius; quo vetustius, hoc generosius.

20. *Plena*. Qua sane reconditum Frontino iterum cos. vinum. Plenae autem id temporis, senectute aliquid deraditur et vanescit.

21. *Nec mane*, etc. Libertas loquendi, cuius nos non poeniteat proximo mane, vel propter difficilem aliquem convivam, vel qui dicta foria eliminet, reumque poculorum faciat.

23. *De Prasino*. De factionibus aurigarum, et studiis Principis et Populi. Iam fusius supra dictum lib. VI, epigr. 46. Periculosum quidem fuit iis non favere, quibus favebant Caesares; periculosum vero maxime sub Nerone, Vitellio et Domitiano. Prasinae autem et Venetae maxime favebant. A colore ergo ita appellati sunt Veneti, Prasini, Rosei, Albi. *Prasini* enim habebant viridem cultum: Veneti, caeruleum. *Gruter.*

49. — IN COTTAM.

Quum potes amethystinos trientes,

Convivatorem sordidum sed liberalitatis gloriam aucupantem carpit, qui bibebat Falernum, et convivis in auro propinabat Sabinum, vinum deterrimum.

1. *Amethystinos*. Scyphos gemmis ornatos, vel vitreos, et pellucidos instar amethysti. Suspicio quibusdam incidit designari hic per τό *amethystinos* vini colorem. Vix ferebam, nondum lectis quae sequuntur; plane nego, qui nunc video in proximo versu *nigro Opimiano*. Ed. P. — *Trientes*. Triens erat tertia sextarii

Et nigro madeas Opimiano;
Propinas modo conditum Sabinum,
Et dicis mihi, Cotta, Vis in auro?
Quisquam plumbea vina vult in auro?

pars, et quatuor cyathos seu uncias continebat.

2. *Opimiano*. De vino Opimiano dictum lib. I, ep. 27. — *Nigro*. Id est fusco, purpureo, hoc ism ἐπίθετον saepe vidimus Nostro in usu esse, ubi de Falerno canit.

3. *Modo conditum Sabinum*. Quod tamen ante annum sextum non est potabile.

5. *Plumbea*, etc. Pessima et vilissima, ut inter metalla plumbum, aureo poculo indigna. — *Plumbea vina*. Vilissima quidem intellige. Neque, ut quibusdam forte obvium videbitur, quae plumbeis mixtionibus vitiata et adulterata sint. Eo. P.

50. — DE SCORPO.

Frangat Idumaeas tristis Victoria palmas;
Plange, Favor, saeva pectora nuda manu.
Mutet Honor cultus, et iniquis munera flammis;
Mitte coronatas, Gloria moesta, comas.

Deplorat Poëta fatum Scorpi aurigatoris, populo principibusque gratissimi. De quo et mox agel epigramm. 53.

1. *Frangat*. Respicit ad publicum luctum, quo *Consul init fractis maerentem fascibus urbem*, Ovid. ad Liviam. Incitat ad luctus, numina quondam Scorpo nobilissimo aurigatori faventia, Victoriam, Favorem, Honorem, Gloriam. — *Palmas*. Signum victoriae in certaminibus donabatur palma, quod depressa ea arbor non cedat, sed adversus pondus renitatur ac resurgat. Aristot. Probl. Plutarch. Sympos. Horat. lib. I, od. 1: *Palmaque nobilis Terrarum dominos evehit ad deos*; et lib. IV, od. 2, *quos Elaea donum reducit Palma victores*. — *Frangat Idumaeas*. Idumaea regio ab occidua parte Iordanis, abundans palmis, quae sunt insignia Victoriae, quam Poëta hortatur, et illi consortia numina, semper Scorpo propitia, ut eius mortem defleant.

2. *Plange*. Qui solebas plaudere, plausum in planctum converte. — *Favor*. Favor hic proprie, ut et favere. De factionibus modo dicebamus. Inde favere et favor, in circo et theatris. *Herald*.

3. *Mutet Honor*. In luctu enim, ut hodie, vestem mutare solebant Veteres, et depositis quae ad ornatum et εὐμενείας insignia pertinebant, atrati, sordidati, pullatique incedebant. — *Munera flammis*. Nam praeter thus et caeteros odores, quaecumque poterant, coniiciebant in eorum rogum, quos honoratos volebant. Vestes quandoque iniiciebant, et certe defunctorum vestes simul cremabant.

4. *Mitte coronatas*. Quae enim coronae in conviviis aut ludis gaudium testabantur, eas in luctu protinus abiiciebant.

Heu facinus! prima fraudatus, Scorpe, iuventa
Occidis, et nigros tam cito iungis equos.
Curribus illa tuis semper properata, brevisque,
Cur fuit et vitae tam prope meta tuae?

5. *Prima fraudatus, etc.* Anno aetatis 27, infra epigr. 53.

6. *Et nigros.* Hoc est, Plutonis equos: Veteres enim existimabant eodem munere mortuos fungi apud manes, quod et obiissent viventes.

8. *Et vitae tam prope.* In circo currus ducens, ut victoriae saepissime, cur et vitae metam attingere properasti

51. — AD FAVSTINVM.

Sidera iam Tyrius Phryxei respicit agni
Taurus, et alternum Castora fugit hiems.
Ridet ager, vestitur humus, vestitur et arbos;
Ismarium pellex Attica plorat Ityn.
Quos, Faustine, dies, qualem tibi Roma Ravennam
Abstulit? o soles! o tunicata quies!
O nemus, o fontes, solidumque madentis arenae

Faustinus in Campania amoenos quosdam locos et villas circa Tarracinam habebat. Martialis recte carpit amicum, quod verno tempore, rure suo nec otio fruatur; sed Romae patiatur se honoribus et magistratibus implicari. *Raderus.*

1. *Sidera iam Tyrius.* Taurus vector Europes Tyriae, lib. II, epigr. 14, praeest mensi Aprili: respicit vero arietem mensi Martio praefectum, qui vexit Hellen et Phryxum, lib. IX, epigr. 72: *Quid meruit terror Nemeei, quid proditor Helles, Vt niteant celsi lucida signa poli?*

2. *Et alternum Castora.* Geminos intellige qui Maio tribuuntur.

4. *Ismarium pellex Attica, etc.* Philomela regis Atheniensium filia deflet Ityn Ismarium, id est Thracium, quem interfecit Procne Terei uxor. Dicitur *pellex*, quod illam Tereus Thraciae rex stuprasset. — Ad hanc quoque fabulam respicit Horatius Od. lib. IV, dicens: *Nidum ponit Ityn flebiliter gemens Infelix avis et Cecropiae domus Aeternum opprobrium*; et ad hanc sexcenti alii: at optima et primus omnium Aeschylus apud quem Agamemnonis vicem et suam deflens Cassandra: Οἷά τις ξουθὰ Ἀκόρετος βοᾶς φιλοίκτοις Ταλαίναις φρεσὶν Ἴτυν, Ἴτυν στένουσ' ἀμφιθαλῆ κακοῖς Ἀηδὼν βίον. Ed. P.

5. *Qualem tibi.* Veris amoenitate in Ravennati agro frui posses, nisi romanis curis esses impeditus.

6. *O tunicata quies.* In villa quippe tunica utebantur Romani, in Vrbe toga, quod patronos colerent togati: epigr. 47 supra: *Lis nunquam; toga rara; mens quieta.*

7. *Madentis arenae.* Maris nempe fluctibus.

Litus, et aequoreis splendidus Anxur aquis;
Et non unius spectator lectulus undae,
Qui videt hinc puppes fluminis, inde maris!
Sed nec Marcelli, Pompeianumque, neo illic
Sunt triplices thermae, nec fora iuncta quater;
Nec Capitolini summum penetrale Tonantis,
Quaeque nitent caelo proxima templa suo.
Dicere te lassum quoties ego credo Quirino :
Quae tua sunt, tibi habe; quae mea, redde mihi!

8. *Splendidus Anxur*. Nam *Impositum saxis late candentibus Anxur* (Horat. lib. I, sat. v, 26); ita ut lata splendescat. Et Noster lib. V, epigr. 1, 6 : *Sive salutiferis candidus Anxur aquis.*

9. *Et non unius*. Sensus est : Ex ipso lectulo, vel cubiculari, vel triclinari licet prospicere hinc mare, illinc flumen.

11. *Sed neque*. Sed obiiciet quispiam fortasse; non esse hic, ut Romae, theatra, balnea, templa. — *Marcelli*. Theatrum Marcelli filii Octaviae sororia Augusti ab Augusto exstructum. *Pompeianumque*. Theatrum Pompeii.

12. *Triplices thermae*. Thermae Agrippinae, Titianae, Neronianae. Radero videntur triplices cellae in balneis a Poëta signari, caldariae, tepidariae, frigidariae; quas uno et communi nomine thermas vocat: et triplices, propter trina labra et cellas in quibua natabant, lavabant, corpora adstringebant. Vide Plin. lib. V, epist. vi, 25. — *Fora*. Vetus Romanum, Iulium, Augustum, Transitorium. Ed. P.

14. *Quaeque nitent*. Hoc eat, templa Flaviae gentis.

15. *Quirino*. Conditorem Vrbis pro ipsa urbe ponit : hoc est, O Roma, serva tibi tuos honores, et permitte, ut fruar meis villis.

52. — DE SPADONE.

Thelin viderat in toga spadonem,
Damnatam Numa dixit esse moecham.

Thelin carpit solitum pati muliebria, et feminam videri asseverat. — Qui feminam? aliquis roget: togatus incedit (toga autem viri induebantur, feminae stola). — Feminam adulterii manifestam; iis enim stola interdictum, et toga uti iussum fuit. Lib. II, 39. Ed. P.

1. *Thelyn* forsan rescribendum est, ut mollem hominem et effeminatum nomen arguat. Apud Graecos enim θῆλυς *femina* est. Ed. P.

2. *Damnatam moecham*. Hoc est, matronam adulterii damnatam. Vid. supra, notam primam.

53. — EPITAPHIVM SCORPI.

Ille ego sum Scorpus, clamosi gloria Circi,
Plausus, Roma, tui, deliciaeque breves:
Invida quem Lachesis raptum trieteride nona,
Dum numerat palmas, credidit esse senem.

1. *Clamosi.* Solemne ἐπίθετον Circi apud P. ëtas. Cui enim favebant, eum clamoribus stimulare et hortari solebant.

2. *Plausus*, pro, cui plaudebant. Sic in hoc versu: « Taotus in Ausonia fremuit modo terror arena, » *Terror* est pro *leo quem timebant omnes.*

3. *Lachesis.* Secunda Parcarum, cuius nomen a λαγχάνω. Et pro *Atropos* hic ponitur, quae stamen nostrum secat; ergo in Styga nos rapit. — *Trieteride nona.* Hoc est, natum viginti et septem annis: trieteris euim triennium est.

4. *Dum numerat palmas, etc.* Propter victoriarum Circensium numerum posset Scorpus videri senex. Quippe alii senes ad summam aetatem provecti, tot palmas non rapuere, quot iuvenis Scorpus: ita victoriis multis, paucos aevi annos compensavit.

54. — IN OLVM.

Mensas, Ole, bonas ponis: sed ponis opertas.
Ridiculum est: possum sic ego habere bonas.

Olus laudabat cibos quos apponebat, sed ita tectos ut a convivis sumi nequirent, unde festive illum irridet Poëta: sic enim posse se lautum esse iocatur.

— Toïv *Olum* et *Ole* scripturam ego miror; equidem potius videretur *Aulum*, *Aule.* Sed membranae non variant. — Exstant alia *ad Olum* epigrammata, libro IV, ep. 36, et lib. VII, ep. 10. Fortasse est idem, de quo in epigr. 48 libri tertii. Scribitur ibi duplici *ll* Ollus. *T.*

1. *Mensas.* Frequentissime haec vox pro *epulae*, *dapes*, Latinis sumitur.

2. *Possum sic ego.* Licet pauperrimus et vilia edens.

55. — IN MARVLLAM.

Arrectum quoties Marulla penem
Pensavit digitis, diuque mensa est;
Libras, scriptula, sextulasque dicit.
Idem post opus, et suas palaestras,

3. *Sextulas.* Sextula est sexta pars unciae. Facete Poëta stateram dicit libidinosae Marullae manum, quae tam accurate tale quid pensaret, et metiretur, etc.

4. *Opus, etc.* Eadem voce idem si-

Loro quum similis iacet remisso,
Quanto sit levior Marulla dicit.
Non ergo est manus ista, sed statera.

gnificat Naso, Amor. lib. III: *Nunc opus exposcunt militiamque suam.* Et hic *militium* addidit, sicut Noster *palaestras.* — *Palaestras.* Τὴν κλινοπάλην.

5. *Loro quum similis*, etc. Iisdem fere verbis supra: *Madidoque simillima loro*, etc.

6. *Dicit.* Nempe rursus digitis metiens, et manu pensans, et, ut prius, quot librae, scriptula, sextulae numerans diligenter.

7. *Statera* a *stando* dicta; instrumentum quo res ponderantur. Ed. P.

56. — IN GALLVM.

Totis, Galle, iubes tibi me servire diebus,
Et per Aventinum ter quater ire tuum.
Eximit, aut reficit dentem Cascellius aegrum:
Infestos oculis uris, Higine, pilos.
Non secat, et tollit stillantem Fannius uvam:
Tristia servorum stigmata delet Eros.
Enterocelarum fertur Podalirius Hermes:
Qui sanet ruptos, dic mihi, Galle, quis est?

De patronorum avaritia queritur, qui officia et labores clientum ne minimis quidem beneficiis compensent.

1. *Me servire diebus.* Functum munere clientis, salutando, deducendo, comitando, sequendo, etc.

2. *Aventinum tuum.* Scil. collem Aventinum, in quo nempe ille habitabat Gallus.

3. *Cascellius.* Chirurgus.

4. Scribendum forsan *Hygine* quod Graecum et medico designando aptum nomen; nam ὑγίεια, *sanitas.* — *Higine.* Qui oculorum morbo medebatur.

5. *Stillantem uvam.* Tuberculum nempe in faucibus a similitudine uvae sic dictum. Celsus l. V, c. 14.

7. *Enterocelarum.* Hoc est, herniarum, quum intestina in scrotum delabuntur. — *Podalirius.* Frater Machaonis, et Aesculapii filius, hic sumitur pro medico: hoc est, Hermes curat hernias.

8. *Qui sanet ruptos.* Non herniosos intelligit, sed officiis patronorum defatigatos, et quorum vestes sunt attritae et lacerae: quasi diceret, Omni morborum generi remedium quidem invenitur; at clientibus defatigatis et laceris nullus patronus fert opem. — Nonne et hic iocatur in sensu ambiguo? Duplex enim ibi sensus; siquidem *ruptus* perinde sonat ac fessus, lassus, anhelans (gallice *rompu*); nec minus tamen *rumpi* significet dissilientibus et crepantibus ilibus mori (gallice *crever*). Sciscitatur ergo Noster, an sit uspiam qui mortuos in vitam restituat, an qui ruptos exsuscitet; intelligens se iam lassitudine ruptum. Ed. P.

57. — AD SEXTVM.

Argenti libram mittebas: facta selibra est,
Sed piperis: tanti non emo, Sexte, piper.

1. *Argenti.* O Sexte, quum antea mitteres mihi munus libram argenti, iam mittis tantum dimidiam libram, at eam ne argenti quidem, sed piperis.

2. *Tanti non emo, Sexte, piper.* Hoc est, selibram piperis non mos mihi redimere argenti libra. Quod tamen nunc facio: quum enim libram argenti acciperem, nunc selibram piperis, hanc videor illa mutasse.

58. — AD FRONTINVM.

Anxuris aequorei placidos, Frontine, recessus,
Et propius Baias, litoreamque domum,
Et quod inhumanae Cancro fervente cicadae
Non novere nemus, flumineosque lacus,
Dum colui, doctas tecum celebrare vacabat
Pieridas: nunc nos maxima Roma terit.
Hic mihi quando dies meus est? iactamur in alto

Excusat neglectum a se erga Frontinum salutandi officium. *Rader.*

1. *Anxuris.* Ordo est. Dum colui Anxur, Baias, Rhegium, etc. — *Aequorei placidos.* Anxur et Tarracina eadem civitas.

2. *Et propius Baias.* Baias propiores Vrbi; Tarracina enim (sive Anxur) ultra Baias. *Litoreamque domum.* Centum Cellas, vel palatia Baiis ad mare exstructa.

3. *Et quod, etc.* Sylvam, et agrum Rheginum, de quo Plinius lib. II, cap. 27: *At in Rhegino silent omnes cicadae, ultra flumen in Locrensi canunt.* — *Cancro fervente.* Hoc est, mense Iulio.

4. *Flumineosque lacus.* Alicem amnem hic designari credit Raderus ex Leandro, qui in magna Graecia, versus meridiem, ubi Locri et Rhegium.

6. *Maxima.* Επιθετόν solemne ad Romam. Sic fere lib. I, sat. v, Horatius: *Egressum magna me accepit Aricia Roma.* — *Terit.* Officiis urbanis.

7. *Dies meus est.* Legunt alii sine interrogatione, et hunc accommodant sensum: Quando liber sum ab officiis patronorum, habito in alta semita, nempe in monte Quirinali, etc. Videat lector. Illa interpretatio minus bona mihi videtur. Caeterum si cui illa placuerit, meminerit haud solum punctum delendum quod interrogat, sed praeterea comma inserendum vel post *Hic*, vel post *mihi.* Ed. P. — *Iactamur in alto.* Metaphora est; et sensus; Officiis, curis,

Vrbis, et in sterili vita labore perit;
Dura suburbani dum iugera pascimus agri,
Vicinosque tibi, sancte Quirine, Lares.
Sed non solus amat, qui nocte dieque frequentat
Limina; nec vatem talia damna decent.
Per veneranda mihi Musarum sacra, per omnes
Iuro Deos, Et non officiosus amo.

et negotiis occupamur, et vita consumitur in officiis praestandis, ex quibus nullum fructum percipimus.

8. *Sterili labore.* Comitandi, deducendi patronos, etc. Vel *labore*, ut Raderus exponit, quem in hortum suum suburbanum frustra collocat, quum fructus nullos prope reddat. Videtur et simul poëticum studium notare, quod idem ut alibi, queritur sterile et inane. Et ad id vide Iuvenalis sat. VII, qua de eorum qui se rei litterariae studio, sive poëtae, sive rhetores et grammatici, addicunt, paupertate conqueritur.

9. *Dura suburbani.* Infra videatur epigr. 72.

10. *Vicinosque tibi.* Nempe in monte Quirinali.

11. *Sed non solus amat.* Excusat hic officium suum intermissum; et affirmat, a se non minus amari Frontinum, quamvis non toties revisum, salutatum et deductum; quam ab officiosis aliis clientibus, qui dies noctesque illius limina terunt: amicitiam enim et amorem non in externo, sed intimo penetrali consistere. *Rader.*

12. *Nec vatem.* Lib. I, epigr. 71: *Si dicet (Proculus nempe): Quare non tamen ipse venit? Sic licet excuses: Quia qualiacumque leguntur Ista salutator scribere non potuit.*

14. *Et non officiosus.* Hoc est: Licet quotidie domum tuam non adeam salutem tibi dicturus, tamen te amo.

59. — IN DELICATVM LECTOREM.

Consumpta est uno si lemmate pagina, transis;
Et breviora tibi, non meliora placent.
Dives, et ex omni posita est instructa macello
Coena tibi, sed te mattea sola iuvant.

Excusat longiora epigrammata.

1. *Vno si, etc.* Lemma est breve orationis vel poëmatis argumentum, seu inscriptio et titulus; lib. XIV, epigr. 2. Sumitur hic pro ipso epigrammate: hoc est, si unum epigramma tam longum sit, ut impleat totam paginam.

3. *Dives, et ex omni.* Sua epigrammata comparat coenae lautae et instructae omni ciborum genere. — *Macello.* Macellum generale primum. Sed postea in macello et delicatiora, quemadmodum pisces, vendebantur. Et sane *macellum* ἰχθυοπωλεῖον potius, quam κρεωπωλεῖον. Et pisces peculiariter ὄψα. *Herald.*

4. *Mattea sola iuvant.* Mattea, quae

Non opus est nobis nimium lectore guloso:
Hunc volo, qui fiat non sine pane satur.

Graecis ματτύα vel ματτύη, lautitiae, cupediae, dulciaria. Athenaeus, Deipnosophistarum libro XIV, ματτύην exponit πᾶν τὸ πολυτελὲς ἔδεσμα, sive sint pisces opipare parati, sive aves, sive olera aut alia, quae minutatim concisa aromatis condiuntur: et ea quae λιχνεύματα appellantur. — Caeterum, utrum *mattea* nom. plur. e *matteum*, an sing. *mattea* (tum vero cum Schrev. rescrib. *iuvat*), ambigitur. Nam Suetonius in Calig. cap. 38: *Et multis matteas venenatas misit.*

5. *Non opus est:* Eamdem continuat metaphoram. Sensus est: Mihi placet lector ille, qui non solis iocis et nugis, sed delectatur etiam gravibus carminibus. Sic conviva placet, qui non solis cupediis expleri vult, sed pane etiam vescitur. — *Guloso.* Gulosus ille est qui delicatioribus tantum et exquisitissimis ferculis vescitur, non qui crassioribus et multis; quod Gallice *friand*, non *gourmand*.

60. — DE MVNNA.

Iura trium petiit a Caesare discipulorum,
Assuetus semper Munna docere duos.

In misellum literatorem, cui, quum duos tantum vulgo trahenti discipulos, tres tandem contigissent, visum petere a Caesare ius trium discipulorum. Iocus a iure trium liberorum, lib. II, epigr. 91 et 92. Nullum vero ius trium discipulorum exstitisse cuique obvium est. Ed. P.

61. — EPITAPHIVM EROTII.

Hic festinata requiescit Erotion umbra,
Crimine quam fati sexta peregit hiems.
Quisquis eris nostri post me regnator agelli,
Manibus exiguis annua iusta dato.

Discessurus in patriam Martialis, commendat futuro agelli domino, tumulum Erotii, puellae vernulae.

1. *Hic, etc.* Vide lib. V, epigr. 35 et 38; unde huic lux. — *Festinata, etc.* Immatura, praepropera. — *Requiescit Erotion.* De qua puella dictum lib. V, epigr. 34 et 37; quae nondum sex annos integros nata interiit. — Feminis autem nomina data quorum terminatione vulgo neutra indicantur; ne mireris; nulli enim illa data nisi mancipiis et scortis; mancipium vero et scortum neutri generis Latini habuere. Ed. P.

2. *Sexta hiems.* Nondum absolverat sextum annum.

3. *Regnator agelli.* Dominus agri huius, post discessum meum in patriam, seu mortem.

4. *Manibus exiguis.* H. e. umbrae Erotii puellulae, quae data, ut ait Iuvenalis, sat. xv, *ignibus infant Et minor igne rogi.*

Sic Lare perpetuo, sic turba sospite, solus
Flebilis in terra sit lapis iste tua.

5. *Sic Lare perpetuo, etc.* Hoc est, domo perpetua, in qua nimirum nullus moriatur. Sensus ergo: Sic facienti precor tibi domum cum familia incolumem, nec habeas alium quempiam e tuis quem fleas. Sic lib. VI, epigr. 28, vs. 10. *Qui fles talia, nil fleas, viator.*

62. — AD MAGISTRVM LVDI.

Ludi magister, parce simplici turbae:
Sic te frequentes audiant capillati,
Et delicatae diligat chorus mensae:
Nec calculator, nec notarius velox
Maiore quisquam circulo coronetur.
Albae Leone flammeo calent luces,
Tostamque fervens Iulius coquit messem.
Cirrata loris horridis Scythae pellis,
Qua vapulavit Marsyas Celaeneus,

Aestivas vacationes Poëta proclamat, monetque ludi moderatores, ut desinant saevire. Nam a Iulio ad Octobrem usque scholae cessabant, uti et Saturnalibus, Minervalibus, et aliis per annum feriis. *Rader.*

2. *Capillati.* Romani enim pueri ingenui nobiles comas alebant, donec pubescerent genae.

3. *Chorus Musae* legit Lips. 4, epist. 5. quaest. et exponit pueros deditos Musis. Sic etiam legend. censet Dempst. — *Chorus mensae.* Hoc est, ameris a delicatis tuis discipulis, qui circum mensam tibi assident. Prior lectio mihi melior videtur, ut sequentes versus satis docent.

4. *Nec calculator.* Qui arithmeticam docet; notarius vero is est, qui notis quibusdam dicentis verba breviter excipere docet. Lib. XIV, epigramm. 208 de Notario: *Currant verba licet, manus est velocior illis: Nondum lingua suum, dextra peregit opus.*

6. *Albae.* Dies scilicet longi et sole perpetuo clari. *Rader.* — Vel sereni. Horat. lib. I, od. VII: *Albus ut obscuro deterget nubila caelo Saepe Notus.* — *Leone flammeo.* Leo stella est Zodiaci quam mense Iulio sol init, unde *flammeus* dicitur.

7. *Coquit messem.* Maturat segetem.

8. *Cirrata.* Flagellum ex loris corii. *Scythae pellis*, hoc est, Scythicae: Scythae vero ex pellibus conficiebant scuticas, quibus servos delinquentes castigarent; cirrataque pellis, ipsa est scutica multorum lororum, dependentium nexu.

9. *Marsyas* Phrygius, insignis musicus, at nimia tumens artis suae superbia, quum ad cantus et tibiarum certamen Apollinem provocasset, ab eo victus et saeve castigatus est. Ovid. Metam. VI, sic de Marsya

Ferulaeque tristes, sceptra paedagogorum,
Cessent et Idus dormiant in Octobres:
Aestate pueri si valent, satis discunt.

a Ah piget! ah non est, clamabat, tibia tanti! Clamanti cutis est summos direpta per artus. a *Celaeneus.* A Celaenis oppido Phrygiae, ubi certavit Marsyas cum Apolline.

10. *Ferulae*, a feriendo: nam paedagogi olim et nostris diebus puerorum pigrorum manus ferula caedebant; unde regnare in scholis dicebantur. Iuven. Sat. I, 15: Columel. X, Carm. 21 et 118. Ed. P.

11. *Cessent.* Vsque dum deferbuerit aestatis calor, defervescat scuticae ferulaeque saevitia. — *Idus in Octobres.* Quibus iam fractus calor, et temperatum caelum.

63. — EPITAPHIVM NOBILIS MATRONAE.

Marmora parva quidem, sed non cessura, viator,
Mausoli saxis Pyramidumque legis.
Bis mea Romano spectata est vita Terento,
Et nihil extremos perdidit ante rogos.
Quinque dedit pueros, totidem mihi Iuno puellas:
Clauserunt omnes lumina nostra manus.
Contigit et thalami mihi gloria rara, fuitque
Vna pudicitiae mentula nota meae.

Elegans epitaphium, quo Poëta, uxorem cuiusdam, felicem a liberis, tempore coniugii, μονογαμίᾳ, morte, celebrat.

1. *Marmora.* Sensus est: Parvum quidem spectabis marmoreum tumulum, sed facta leges aeternae memoriae consecrata.

2. *Mausoli saxis.* Lib. Spectacul. epigr. 1, vs 5.

3. *Vita.* Lipsius legit *vitta*, et refert ad coniugium, hoc est, binos Saeculares, inquit, vidi nupta. — *Bis mea Romano.* Hoc est, ut interpretatur Raderus ex Politiano: Bis ludis Saecularibus interfui, Claudii Imperatoris, qui sunt celebrati ab Vrbe condita 800 annis, et Domitiani, ab Vrbe condita 841. Suetonius in Claudio cap. 21. *Fecit et Saeculares, quasi anticipatos ab Augusto, nec legitimo tempori reservatos, etc.* In Domitiano vero cap. 4. a Fecit et ludos Saeculares, computata ratione temporum, ab anno, non quo Claudius proxime, sed quo olim Augustus ediderat. a *Terentus* autem, de quo iam lib. I, epigr. 70, locus erat in campo Martio insignis templo Ditis, ad cuius aram ludis Saecularibus immolabantur victimae.

4. *Et nihil, etc.* Et vita mihi permansit sincere felix ad exitum usque, amore mariti natorumque.

5. *Iuno.* Quae praesidet puerperiis, Lucina.

6. *Clauserunt, etc.* Omnes illi mihi morienti, superstites clauserunt oculos: quod erat maxime propinquorum officium. Plin. lib. XI, cap. 37.

7. *Fuitque Vna.* Vnici mariti pudica et sancta fui coniux.

64. — AD POLLAM.

Contigeris regina meos si Polla libellos,
  Non tetrica nostros excipe fronte iocos.
Ille tuus vates, Heliconis gloria nostri,
  Pieria caneret quum fera bella tuba,
Non tamen erubuit lascivo dicere versu,
  Si nec paedicor, Cotta, quid hic facio?

1. *Polla* De qua et Lucano dictum lib. VII, epigr. 21 et 22. Reginam vocat eo sensu, quo clientes suos patronos appellabant reges.

3. *Heliconis nostri*. Hoc est, Latinae poëseos decus.

4. *Fera bella*. Ea nempe quae tot et historiis et poëmatibus celebrata sunt, inter Pompeium et Iulium Caesarem: *Bella per Aemathios plusquam civilia campos, Certatum et totis concussi viribus orbis In commune nefas, infestisque obvia signis Signa, pares Aquilas et Pila minantia Pilis*. Lucan.

5. *Non tamen*, etc. Scripsit etiam lasciva carmina et epigrammata.

6. *Si nec paedicor*. Versus iste, ut divinare est, Lucanianus fuit.

65. — IN CARMENIONEM.

Quum te municipem Corinthiorum
Iactes, Carmenion, negante nullo,
Cur frater tibi dicor, ex Iberis,
Et Celtis genitus, Tagique civis?
An vultu similes videmur esse?
Tu flexa nitidus coma vagaris;

In Carmenionem effeminatum scribit, quem, quum ille se poëtae fratrem diceret, salse vocat ille suam sororem. Cf. supr. epigr. 52, quo eamdem ob mollitiem, sed alio modo. Thelin reprehendit.

1. *Municipem*. Gellius lib. XVI, cap. 13, fuse explicat quid sit municipium, et quomodo differat a colonia: Corinthii vero molles, voluptatibusque dediti et scortorum suorum pulchritudine et frequentia inter Graecos celeberrimi.

2. *Negante nullo*. Quum perditi tui mores te Corinthium probent.

4. *Ex Iberis*, *Et Celtis genitus*. Scilicet ex Celtiberis. Celtiberi enim gens una ex fortissimis et celeberrimis Hispaniae Tarraconensis; cuius oppidum Bilbilis fuit. Vide lib. I, epigr. 62: *Nec me tacebit Bilbilis*.— *Tagique civis*. Vid. lib. I, epigr. 50, et passim.

6. *Tu flexa*, etc. Tu arte calamistratos habes capillos: ego Neglecta coma et inculta horridus. Iuven. sat. IX, 12: *horrida siccae Silva comae*. Ed. P.

Hispanis ego contumax capillis.
Levis dropace tu quotidiano:
Hirsutis ego cruribus, genisque.
Os blaesum tibi, debilisque lingua est:
Nobis filia fortius loquetur.
Tam dispar aquilae columba non est,
Nec dorcas rigido fugax leoni.
Quare desine me vocare fratrem,
Ne te, Carmenion, vocem sororem.

7. *Ego contumax*. Hic sumitur pro horrido et inculto, alias pro superbo: in bonam quoque partem sumitur pro constanti, et pro eo qui flecti nequit. — Verum quidem, sed qua dueli ratione hic id allegent non assequor. In hoc versiculo enim nihil significat nisi pertinaces, rebelles, qui et calamistro et calamistrarii solertiae reluctantur. Ed. P.

8. *Levis dropace*. De quo lib. III, epigr. 73, et lib. II, ep. 29. Vnguenti fuit genus quo utebantur effeminati ad evellendos pilos.

9. *Hirsutis ego cruribus*. Idem Iuvenalis sat. IX: *Fruticante pilo neglecta et squalida crura*. Ed. P.

10. *Os blaesum*. Quo vitio ut plurimum laborant molliores, et pinguiores. — Imo caplant vulgo hoc vitium et hoc temporis captaverunt. Vnde Persius, optime omnium explicans quid sit *blaesum*: *Rancidulum quiddam balba de nare locutus, Phyllidas, Hypsipylas, vatum et plorabile si quid Eliquat, et tenero supplantat verba palato*. Ed. P.

11. *Nobis, etc.* *D'Orleans* legend. censet: *Non nobis lea fortius loquetur*. Ponit *loqui* pro *rugire*: nam rugitus vox et loquela leonis. Anteponenda omnino est vulgo recepta lectio. — *Nobis filia*. Quamquam, velut puellae omnes, acuto magis et debili vocis sono esse debeat.

13. *Dorcas*. Quae inter sylvestres capras numeratur.

14. *Me vocare fratrem*. Hoc est, mollem et effeminatum: quo sensu saepe reperitur apud Petronium.

15. *Sororem*. Tu enim magis femina, quam vir videris.

66. — DE THEOPOMPO.

Quis, rogo, tam durus, quis tam fuit ille superbus,
Qui iussit fieri te, Theopompe, coquum?
Hanc aliquis faciem nigra violare culina

2. *Te, Theopompe, coquum?* Emphatice, te tam eximie formosum.

3. *Coquina* MSS. quod legend. censet Beverland. — *Violare*. Proprie dicitur de rebus sacris Et sic intelligit Noster; neque enim scelus est, sed nefas et piaculum in culina exsulare tantae pulchritudinis iuvenem.

Sustinet? has uncto polluit igne comas?
Quis potius cyathos, aut quis crystalla tenebit?
Qua sapient melius mixta Falerna manu?
Si tam sidereos manet exitus iste ministros,
Iupiter utatur iam Ganymede coquo.

4. *Polluit igne.* Culinae scilicet. Vt supra violare *Igne.* — *Vncto* capiunt de *nidore culinae* commentatores, quorum Gruterus; ita tamen ut addat *foculum flammantem*, ideoque una et *fumum eius* et *fuliginem*.

5. *Quis potius cyathos, etc.* Quis esset magis idoneus minister miscendis poculis? Mos enim antiquus adolescentulos adhuc et pulcherrimos epulantibus cyathos porrigere, vina ministrare. Ed. P.

7. *Sidereos.* Hoc est, pulchros. Sic Claudianus de Venere: *spissaque sidereos per gramina fudorat artus.* Vid. lib. IX, epigr. 37.

67. — EPITAPHIVM VETVLAE.

Pyrrhae filia, Nestoris noverca,
Quam vidit Niobe puella canam,
Laërtes aviam senex vocavit,
Nutricem Priamus, socrum Thyestes;
Iam cornicibus omnibus superstes,
Hoc tandem sita prurit in sepulcro
Calvo Plotia cum Melanthione.

Anus libidinosae, in tumuli inscriptione, carpit et senectutem ultra vitae humanae limites prorogatam, et lasciviam; utrumque ὑπερβολικῶς. Ed. P.

1. *Pyrrhae filia.* Epigr. 39 supra, quod est etiam in vetulam: Pyrrha vero Deucalionis uxor fuit, cuius historia satis nota, sicut et eorum omnium quorum hic mentionem facit Poëta.

5. *Iam cornicibus.* Hyperbolen continuat Poëta: cornices diutissime vivunt. Plin. lib. VII, cap. 48.

6. *Prurit.* Vetulam tam libidinosam fuisse dicit, ut etiam mortua pruriat. — Immo, ut senem iuxta et deformem consepulta, non conquiescat, et libidini non imperet, quanquam cui misellae libidinis sensus excitarit Melanthio? Innuit forte praeterea adulterum Plotiae Melanthionem, vetulae senem, calvae calvum. Ed. P.

68. — IN LAELIAM.

Quum tibi non Ephesos, nec sit Rhodos, aut Mitylene,
Sed domus in vico, Laelia, patricio;
Deque coloratis nunquam lita mater Etruscis,
Durus Aricina de regione pater;
Ζωὴ καὶ ψυχὴ lascivum congeris usque,
Pro pudor! Hersiliae civis, et Aegeriae.
Lectulus has voces, nec lectulus audiat omnis;
Sed quem lascivo stravit amica viro.
Scire cupis quo casta modo matrona loquaris;
Numquid quum crissas, blandior esse potes?
Tu licet ediscas totam, referasque Corinthon,

Scomma in rancidulam mulierculam quae *de Tusca Graecula facta*, *De Sulmonensi mera Cecropis* (Iuv. sat. VI), Graecorum lingua non modo iram, metum, cupidinem enuntiat, sed et in concubitu Graeca gannit. Ed. P.

1. *Quum tibi, etc.* Quum non sis ex aliqua insula vel parte Graeciae oriunda, sed media nata Roma. Vide sat. VI Iuvenalis versum 186 et seqq. unde huic lux.

3. *Deque coloratis, etc.* Et mater tua ex Etruria, nunquam fucata, immo, sole offuscata. — *Nunquam lita.* Lini autem moris erat istos delicatos, vel ad candorem nitoremque cutis conciliandum, vel ne cito barbati essent. *Coloratos* vero *Etruscos* vocat ἡλιοκαύστους, et mulierem nunquam litam, quae faciem medicamentis nunquam induxerit, ad candorem servandum et solem cuti defendendum, ne coloraretur. Huiusmodi autem medicamina, quae praestabant, ne sole facies laederetur, θερινὰ προφυλακτικὰ προσώπων vocabant, easque omnia erant ἐπίχριστα. *Salmasius.*

4. *Aricina, etc.* Aricia oppidum Latii, ad cuius clivum sedebant mendici.

5. *Ζωὴ καὶ ψυχὴ, etc.* Vide vers. 195, sat. VI Iuven. et quae nos ad illum. Gronovius valde extollit Thuanaei codicis praestantiam, et scriptorem eius fidelem asserit; ut quae non assecutus fuerit, imitatione tamen characterum expresserit; et quum caetera minutis literis exarata sint, hunc unum versum maiusculis expresserit: KVRIE MV MELI MV PSICI MV CONGERIS VSQVE. Hinc colligit Martialem scripsisse, Κύριέ μου, μέλι μου, ψυχή μου: *congeris usque*. Agnoscis enim amatoria vocabula Graecis et Latinis satis familiaria.

6. *Hersiliae civis, etc.* Tu Romana. Hersilia autem Romulo cessit coniux e Sabinis raptis una.

10. *Crissas, etc.* Κιγκλίζῃ, quod in maribus *cevere* dicitur.

11. *Corinthon.* Linguam graecam: vel magis proprie blanditias et sermones nequam Corinthi; qua in urbe, Graeciae et insularum emporio, et ob id divitiis et deliciis asiaticis ultra quam par est affluente, pulcher-

Non tamen omnino, Laelia, Lais eris.

rimarum meretricium multitudinem exstitisse omnes sciunt. Vnde Horatianum illud: *Non cuivis homini contingit adire Corinthum, etc.* Vid. lib. hui. epigr. 65. Ed. P.

12. *Non tamen omnino, etc.* Nunquam tamen ex deformi et clauda Laelia fies pulchra et elegans Lais; Lais enim Corinthi domum habebat. —Acutum quiddam in *omnino*, quasi diceret: Lascivia quidem Lais eris, sed non pulchritudine corporis et formae venustate. Ed. P.

69. — DE POLLA.

Custodes das, Polla, viro; non accipis ipsa.
Hoc est uxorem ducere, Polla, virum.

1. *Custodes.* Viros nempe qui eum sequantur et quidquid agit videant, ad dominam nempe relaturi. Solebant Romae mariti tales imponere coniugibus suis. Ovid. Amor.: *Dure vir imposito tenerae custode puellae.* — *Das Polla.* Alia sane est a Polla Argentaria uxore Lucani, de qua epigr. 64 supra. — *Non accipis.* Et ita promissam marito fidem violas.— An violet, nec scio nec interest; hic enim Noster virum reprehendit pusilli et mancipati animi, feminam superbiae, lasciviae neutrum; et acumen omne in eo quod ductum a muliere virum dicat, quum proprium viri sit *ducere*: sic lib. VIII, epigr. 12: *Vxori nolo nubere, Paule, meae.* Et in lib. I, epigr. 25, vitiosius quiddam innuens: *Aspicis incomptis illum, Deciane, capillis!... Nolito fronti credere, nupsit heri.* Ed. P.

2. *Hoc est uxorem.* Hoc non est nubere viro, sed potius virum nubere uxori, seu servire. Amphibologia vero, vel proximum quiddam amphibologiae phrasi inest, sed facile extricabile.

70. — AD POTITVM.

Quod mihi vix unus toto liber exeat anno,
Desidiae tibi sum, docte Potite, reus.
Iustius at quanto mirere, quod exeat unus;
Labantur toti quum mihi saepe dies.
Nunc resalutantes video nocturnus amicos:

Excusat scriptorum tarditatem, caussamque in urbicas occupationes confert.

1. *Quod mihi.* Ita fere Horat. lib. II, sat. III, vs. 1: *Sic raro scribis, ut toto non quater anno Membranam poscas.* Ed. P.

4. *Labantur.* Nempe *Musis et Apolline nullo*, intento me inanibus negotiis, et poësens oestro nihil faventibus; quae plurima sequentibus versiculis commemorat. Ed. P.

5. *Nunc resalutantes.* Quos mane salutaverat Poëta, et quibus dixerat

Gratulor et multis; nemo, Potite, mihi.
Nunc ad Luciferam signat mea gemma Dianam:
Nunc me prima sibi, nunc sibi quinta rapit.
Nunc consul, praetorve tenet, reducesque choreae:
Auditur toto saepe poëta die.
Sed nec caussidico possis impune negare,
Nec si te rhetor, grammaticusve rogent:
Balnea post decimam lasso, centumque petuntur
Quadrantes. Fiet quando, Potite, liber?

Ave, vesperi pro more Romanorum illum resalutabant, ipsique Vale dicebant.

6. *Gratulor et multis.* Aut adeptis honores, aut meliorem fortunam nactis; at nullus mihi gratulatur. An quia non, ut illi, divitiis et amplissimis magistratibus censendus sit? an quod mediocris notae se fingat poëtam? Vtrumque credo, quasi diceret: Nihil ego gratulatione dignum adipiscor.

7. *Nunc, etc.* Ego rogatus annuli mei gemma signo testamenta, aut alias tabulas, in monte Aventino, ubi Lucina, seu Diana colitur, quae Lucifera dicebatur, quod nascentibus praeesset, vel quod illic una cum Lucifero coleretur, ut ait Domitius.

9. *Nunc consul.* Quem comitor, et domum deduco. Vel intellige caussas forenses et iudicia, quibus aliquando forte occupabatur Poëta. — *Reducesque choreae.* Reducentium patronos? An sacerdotum Isidis, ut supra epigr. 48? An histrionum vel saltatricularum? Sic Farnabius. Statuat de obscuro lector.

10. *Auditur saepe.* Iuvenalis sat. 1: *Impune diem consumpserit ingens Telephus, et summi plena iam margine libri Scriptus, et in tergo, necdum finitus Orestes!* Ed. P.

11. *Nec caussidico.* Caussidici, ut et rhetores et grammatici, recitabant. Plinius lib. V, epist. 3.

13. *Balnea post.* Quum tamen hora octava aut nona lavare solerent Romani; sed Martialis negotiis et officiis urbanis impeditus non lavabat nisi decima, qua et sportulam petebat. Vid. lib. I, epigr. 60, quo: *Dat Baiana mihi quadrantes sportula centum.*

71. — DE RABIRIO.

Quisquis laeta tuis et sera parentibus optas
Fata, brevem titulum marmoris huius ama.

Rabirius hic architectus erat Domitiani, de quo iam lib. VII, ep. 54. Hic parentum eius funus describit, et Rabirii seu veras, seu fictas lacrymas.

1. *Quisquis, etc.* Poëta viatorem alloquitur: Quisquis optas, ut tui parentes diu vivant, et feliciter diem suum obeant, ut parentes huius Rabirii, sta et lege hoc epitaphium.

Condidit hac caras tellure Rabirius umbras:
Nulli sorte iacent candidiore senes.
Bis sex lustra tori nox mitis et ultima clusit,
Arserunt uno funera bina rogo.
Hos tamen ut primis raptos sibi quaerit in annis:
Improbius nihil his fletibus esse potest.

Quamquam festinas, non est mora longa; licebit Perlecto tibi carmine *curras*. Raderus.

3. *Rabirius*. Vid. not. primam. — *Vmbras*. Vtriusque parentis sui.

4. *Candidiore senes*. Feliciore.

5. *Bis sex lustra*. Sexaginta scilicet iam anni effluxerant ex hoc quo nuptias celebraverant felicissimi senes.

6. *Funera bina*. Pater et mater eadem nocte mortui, et simul cremati sunt.

8. *Improbius nihil*. Quum defleat parentes longa felicique vita functos. Incusat nempe Deos difficilis filius, neque ullam nisi plus quam humanam, nisi immortalem vitae longitudinem parentibus satis esse credit.

72. — ADVLATORIVM DE CAESARE TRAIANO.

Frustra blanditiae venitis ad me
Attritis miserabiles labellis.
Dicturus Dominum, Deumque non sum:
Iam non est locus hac in urbe vobis.
Ad Parthos procul ite pileatos,
Et turpes, humilesque, supplicesque

Blanditur Traiano, dum nullum blanditiis apud eum ait esse locum; simul ex vituperatione prioris, praesentem Imperatorem laudat, quod et Plinius in Panegyrico fecit. — Caeterum nota principi optimo maximo minus placuisse callidas quidem, sed putidas et in imperantem quemvis aperte decurrentes adulationes. Nec iniustum sane nec mirum fuisset si, quo modo a cunctis fere pictoribus vetuit Alexander effigiem suam deturpari, vetuisset edicto ille laudes suas eodem ore cani quo Domitiani tyrannidem. Ed. P.

2. *Attritis miserabiles*. Loquitur Poëta de suis et Romanorum assentationibus, quae in usu erant temporibus Domitiani, qui Deum appellari se iussit, lib. V, epigr. 8, vs. 1, quasi homines attriverint labra, vel pedes eius osculando, vel ipsi assidue blandiendo.

3. *Dicturus dominum, etc.* Non blanditurus Traiano, ut Domitiano quondam.

5. *Ad Parthos*. Nempe natos ad servitutem: pileatos dicit, quod praeter Romanorum morem pileati incederent. Quidam volunt dictum a similitudine servorum, qui libertatem adepti pileum sumebant, ut ostendat Poëta Parthos esse conditionis servilis.

Pictorum sola basiate regum.
Non est hic Dominus, sed imperator,
Sed iustissimus omnium senator:
Per quem de Stygia domo reducta est
Siccis rustica Veritas capillis.
Hoc sub principe, si sapis, caveto
Verbis, Roma, prioribus loquaris.

7. *Pictorum.* Picta veste seu soccis pictis utentium. — *Sola.* Soleas, calceos, soccos. Lucret. *Avia Pieridum peragro loca, nullius ante Trita solo.* Quaedam exemplaria habent, *Pictos soccos*, et fortasse bene. Vnde *picti reges* hoc loco. His enim verbis innuit Martialis serviles istas venerationes a Parthis ad Romanos manasse. *Herald.*

8. *Non est hic.* Traianus nimirum, de cuius modestia agit Plinius iunior in suo panegyrico.

10. *De Stygia domo....* *Veritas.* Nondum enim id temporis finxerant poëtae latere veritatem in puteo, quod apud recentiores prolatum perpetuo. Ed. P.

11. *Siccis.* Nullo unguento delibutis et madentibus. Veritas enim nihil ornamenti sibi addit.

13. *Verbis prioribus.* Hoc est, servilibus atque adulatoriis, quibus nempe Romani utebantur sub Domitiano.

73. — AD MARCVM.

Litera facundi gratum mihi pignus amici
Pertulit, Ausoniae dona severa togae:
Qua non Fabricius, sed vellet Apicius uti;
Vellet Maecenas Caesarianus eques.
Vilior haec nobis alio mittente fuisset:
Non quacumque manu victima caesa litat.

Marco Antonio Primo Tolosano, gratias agit de literis et toga missa.

1. *Litera facundi.* Marci nempe Antonii Primi, de quo lib. IX, ep. 100, et 32 supra. — *Pignus.* Scilicet togam, quam sic per appositionem vocat.

2. *Dona severa.* Quod toga uterentur, quum reges suos colerent; synthesi autem quum rebus laetis operam darent: lib. XIV, epigr. 5.

3. *Fabricius.* Ille nempe paupertatis cultor, cuius meminit lib. VII, epigr. 68. De luxurioso Apicio dictum lib. II, epigr. 69.

4. *Maecenas.* Satis notus ex Horatio. Iuvenalis sat. 12: *Vestem Purpuream teneris quoque Maecenatibus aptam.* — *Caesarianus.* Nam a partibus Caesaris Augusti stetit, cuius fuit familiarissimus.

6. *Non litat.* Non sacrificat, non

A te missa venit: possem nisi munus amare,
Marce, tuum, poteram nomen amare meum.
Munere sed plus est, et nomine gratius ipso,
Officium docti iudiciumque viri.

impetrat: non cuiusvis hostia Deo grata. *Litare* enim est rite sacrificare et impetrare; ita donum ab omni missum aeque non placet.

8. *Nomen amare meum.* Marci, nempe quod mihi tecum commune. Quasi dicat, Gratum fuit mihi tuum munus; gratius ob commune utrique nomen; gratissimum officium et iudicium tuum de meis carminibus.— *Nomen amare.* Poëta enim Marcus quoque vocatur.

74. — AD ROMAM.

Iam parce lasso, Roma, gratulatori,
Lasso clienti; quamdiu salutator
Anteambulones et togatulos inter
Centum merebor plumbeos die toto?
Quum Scorpus una quindecim graves hora
Ferventis auri victor auferat saccos:
Non ego meorum praemium libellorum
(Quid enim merentur?), Apulos velim campos:
Non Hybla, non me spicifer capit Nilus;
Nec quae paludes delicata Pomptinas
Ex arce clivi spectat uva Setini.

Damnat inofficiosa officia salutandi, quae clienti praeter sterilem sportulam nihil adferant, quum infima e plebe homines et vilissimam artem exercentes, v. g., aurigatores auri saccos ingentes auferant.

3. *Anteambulones.* De quibus, et togatis saepius dictum.

4. *Centum merebor.* Hoc est, sportulam centum quadrantum, quos tacite cogitans de *aureis*, per contemptum *plumbeos* vocat, quum tamen essent ex aere.

5. *Quum Scorpus.* Auriga, de quo epigr. 50 supra; aurigae vero victores in certamine circi praemia summi pretii referebant.

6. *Ferventis auri.* Hoc est, radiantis colore rutilo, inquit Farnabius.

8. *Apulos velim campos.* Non posco armenta gregesque in campis Apuliae, non Hyblae Siculae mellificia, non fruges fertilis Aegypti; non vineas Setiae quae monte sita despectat paludem Pomptinam.

9. *Hybla.* Mons Siciliae melle abundans delicatissimo.

11. *Uva Setini.* Setia urbs Latii iuxta Pomptinas paludes, ubi vinum optimum.

Quid concupiscam quaeris ergo? Dormire.

12. *Dormire.* Iuvenalis, sat. III, v. 58 sq.: *Tanti tibi non sit opaci Omnis arena Tagi, quodque in mare volvitur aurum, Ut somno careas.*

75. — DE GALLA.

Millia viginti quondam me Galla poposcit;
Et, fateor, magni non erat illa nimis.
Annus abit: bis quina dabis sestertia, dixit:
Poscere plus visa est, quam prius, illa mihi.
Iam duo poscenti post sextum millia mensem,
Mille dabam nummos: noluit accipere.
Transierant binae forsan, trinaeve Kalendae,
Aureolos ultro quatuor ipsa petit;
Non dedimus: centum iussit me mittere nummos;
Sed visa est nobis haec quoque summa gravis.
Sportula nos iunxit quadrantibus arida centum:
Hanc voluit: puero diximus esse datam.
Inferius numquid potuit descendere? fecit.
Dat gratis, ultro dat mihi Galla: nego.

Forma bonum fragile est. Quod vulgo dictum effectu firmat, feminam inducens cui minus et minus in dies dare vult.

2. *Magni non, etc.* Nitebat enim tum flore iuventae.

3. *Bis quina.* Dena sestertiorum millia: dimidium iam scilicet pecuniae prioris.

4. *Poscere, etc.* Minus quippe formosa est facta, atque hinc gravius visum est pretium.

5. *Duo millia.* Decimam partem.

8. *Aureolos ultro, etc.* Deflorente iam in dies forma, et ipsa vilescit, contempta invicem.

11. *Nos iunxit, etc.* Habuit nos in officio, id est, officio meritus fueram sportulam tenuem. Hanc concupivit et petivit.

14. *Dat gratis, etc.* Subaudi, aut copiam; quae locutio usitatissima hisce quidem temporibus fuit. Ed. P.

76. — DE MAEVIO.

Hoc, Fortuna, tibi videtur aequum?

Queritur poëtas negligi, muliones locupletari: artes enim nobiles iacebant; viles colebantur. Cf. Iuvenalis sat. VII, quia eorum sortem deflet qui literas colunt. Ed. P.

Civis non Syriaeve, Parthiaeve,
Nec de Cappadocis eques catastis,
Sed de plebe Remi, Numaeque verna,
Iucundus, probus, innocens, amicus,
Lingua doctus utraque, cuius unum est,
Sed magnum vitium, quod est poëta,
Pullo Maevius alget in cucullo:
Cocco mulio fulget Incitatus.

2. *Civis non Syriae.* Hoc est, non ex Syro aut Partho factus civis Romanus, nec ex servo Cappadociae factus eques: de catasta, machina nempe ubi esponerentur servi venales, dictum lib. IX, ep. 60.

4. *Sed de plebe.* Sed Maevius poëta, liber et Romanus: verna enim non hic sumitur pro servo, sed pro eo qui Romae natus est.

6. *Vtraque.* Graeca et Latina.

8. *Pullo Maevius, etc.* Querela haec et indignatio ipsius Martialis videtur, sed per modestiam sibi adsciscit nomen Maevii, mali scilicet poëtae. — Non hoc credo: Maevli vicem dolet poëta, et poëtarum omnium, et suam; at non suam sub personam Maevii. Ed. P. — *Pullo.* Pullus color pauperum proprius fuit. *Cucullus,* quo tegitur caput. Hodie *cape* vulgo vocant.

9. *Cocco mulio, etc.* Purpureus splendet agaso, ad summom mulio Incitatus. Quem tamen tanquam aurigam Scorpo coniungit, lib. II, ep. 4. Potest etiam legi, *Cocco mulio fulget Incitati*, equi scilicet Caligulae, de quo Dio in Calig. quum inquit: *Vnum vero ex equis suis, quem Incitatum nominabat, invitabat ad coenam, ita ut ei hordeum ex auro apponeret, funderetque vinum, etc., ac per salutem eius et fortunam iuraret; seque eum consulem facturum polliceretur, etc.* Si hic *Incitati* legas, ne equum Caligulae intelligas, sed nobilem alium quemdam, cui ob pedum pernicitatem id nominis datum.

77. — DE CARO MEDICO.

Nequius a Caro nihil unquam, Maxime, factum est,
Quam quod febre perit: fecit et illa nefas.
Saeva nocens febris saltem quartana fuisses!
Servari medico debuit ille suo.

Dolet Carum medicum, quem diu cruciatum cupiebat, subita febri esstinctum.

2. *Quamquod, etc.* Nam crucem illi, nun tam lene fatum, optat Poëta. —*Fecit et illa.* Quae tam cito sustulit Carum.

4. *Servari medico.* Carus nempe, qui multos imperitia necaverat, quartanae medicum se profitebatur, qua diu cruciandus erat, priusquam moreretur.

78. — AD MACRVM.

Ibis litoreas, Macer, Salonas:
Ibit rara fides, amorque recti,
Et secum comitem trahet pudorem.
Semper pauperior redit potestas.
Felix auriferae colone terrae,
Rectorem vacuo sinu remittes,
Optabisque moras, et exeuntem
Vdo Dalmata gaudio sequeris.
Nos Celtas, Macer, et truces Iberos
Cum desiderio tui petemus.
Sed quaecumque tamen feretur illic
Piscosi calamo Tagi notata,
Macrum pagina nostra nominabit.
Sic inter veteres legar poëtas;
Nec multos mihi praeferas priores,
Vno sed tibi sim minor Catullo.

Macrum laudat, et ex eo Salonas coloniam felicem praedicat, quod mox Macrum esset habitura praefectum.

1. *Litoreas.* Quid hic legendum, *litoreas Salonas* an *litoreum Salona*, ambigitur. Sic alii: *Macrum hunc Hispaniae et Dalmatiae diversis annis praefuisse volunt, propter Salonas, quae Dalmatiae oppidum est. De praefectura eius Dalmatiae non constat, neque omnia hic conveniunt: praefuisse illum Hispaniae summa cum integritate apparet ex lib. XII, epigr.* 100. Me iudice constat et Dalmatiae et Tarraconensi hunc praefectum; sed huic posterius. Legam ergo libentius cum Schrevelio *litoreum, Macer, Salona.* ED. P. — Salo vero fluvius Hispaniae iuxta Bilbilim. Lib. I, epigr. 50, vs. 12. Suidas in verbo Διοκλητιανὸς Salonas esse Illyrici urbem dicit, quod in id recidit quod diximus; Dalmatia enim est Illyrici pars.

4. *Semper pauperior.* Hoc est, magistratus integer ex provincia quam administravit semper pauperior redit.

5. *Felix auriferae.* De Dalmatiae aurifodinis Plinius lib. XXXIII, c. 4.

6. *Vacuo sinu.* Sensus est: Macer Romam redibit nihil in Dalmatia praedatus.

8. *Vdo gaudio.* Hoc est, Dalmata erit laetus, quod bonis suis spoliatus non fuerit; flebit autem quod te abeuntem viderit.

9. *Nos Celtas.* Ego vero inquit Poëta, petens Celtiberorum agros, sum rediturus in patriam cum summo tui desiderio.

11. *Sed quaecumque.* Hoc est quaecumque ad ripas Tagi componam carmina, sonabunt tuum nomen.

16. *Sum idem.*

79. — DE TORQVATO ET OTACILIO

Ad lapidem Torquatus habet praetoria quartum:
Ad quartum breve rus emit Otacilius.
Torquatus nitidas vario de marmore thermas
Exstruxit: cucumam fecit Otacilius.
Disposuit daphnona suo Torquatus in agro:
Castaneas centum sevit Otacilius.
Consule Torquato vici fuit ille magister;
Nec minor in tanto visus honore sibi.
Grandis ut exiguam bos ranam ruperat olim,
Sic puto Torquatus rumpet Otacilium.

Irridetur a poëta Otacilius pauper, qui Torquatum divitem et magnificum, nequidquam aemulabatur. Perstringit interim eos, qui quum sint longe inferiores, tamen potentiores student aequare.

1. *Praetoria.* Hoc est, villas magnificas. Suetonius in Augusto, cap. 72: *Alias praetorium significat ducum et imperatorum in castris tabernaculum.*

3. *Vario de marmore thermas.* Non *vario*, ut obvium est, quod multiplex hic marmorum in exstruendis thermis genus, sed maculosum, ποίκιλον.

4. *Cucumam.* Hoc est, vas aquae calefaciendae aptum, gallice *coquemar*, et sumitur hic pro balneolo.

5. *Daphnona.* Vox graeca, latine lauretum.

7. *Vici fuit ille.* Vici Romae erant 424 ut refert Casaubonus in Augusto, quibus praeerant vico magistri, qui etiam vicocuri dicti sunt.

8. *Nec minor.* Per irrisionem hoc dicit Poëta.

9. *Grandis ut exiguam.* Fabulam totam vide apud Horatium lib. II, sat. III; cf. quoque Phaedri l. I, fab. 24. Sensus est: Prius Otacilius rumpetur, quam Torquatum aequare possit.

80. — DE EROTE.

Plorat Eros, quoties maculosae pocula myrrhae
Inspicit, aut pueros, nobiliusve citrum:

Notat hic Erotem, qui aperte flebat, quum venales thesauros, inani marsupio, frustra dolentibusque oculis spectaret, nec inopiam, nec affectum dissimularet: cum quo, alios aeque egentes ac Eros erat, sed ridentes in speciem et mendicitatem risu tegentes, componit.

1. *Maculosae.* Hoc est, maculis distinctas: lib. IX, epigr. 60, in Mamurram, qui omnia in septis exposita, quasi empturus agebat.

2. *Citrum.* Mensam citream.

Et gemitus imo ducit de pectore, quod non
Tota miser coëmat septa, feratque domum.
Quam multi faciunt, quod Eros, sed lumine sicco!
Pars maior lacrymas ridet, et intus habet.

3. *Promit* in Ald. Iunt. Colin. Delph. Langil, et plerisque edd. vett.

4. *Tota Septa, etc.* Omnia quae fori mercatorii septis venumdantur.

6. *Pars maior.* Hoc est multi quidem in speciem rident, qui acerbo animi dolore excruciantur, quod ipsos pariter pecunia deficiat. Mira constructio, posito ante verbum utrumque τῷ *lacrymas*, quod ad posterius solum refertur. Quod si te offendit, intellige: lacrymas aliorum irridet, intus ipse dolens. Ed. P.

81. — DE PHYLLIDE.

Quum duo venissent ad Phyllida mane fututum,
Et nudam cuperet sumere uterque prior:
Promisit pariter se Phyllis utrique daturam,
Et dedit: ille pedem sustulit, hic tunicam.

2. *Sumere.* Hoc est, quod rarum satis, *potiri*; Gallice, *avoir*.

4. *Et dedit, etc.* Et utrique se praestitit Phyllis, seu Iana gemina, ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω λεύσσουσα. « Ego potius intelligo, inquit Domitius, locum esse in verbo *sustulit*, quod quidem saepe significat *in altum tulit*, at identidem *surripuit.* Alter igitur surripuit tunicam, alter potius est puella, et ita utrique dedit, alteri coitum, et alteri tunicam. » — Vt modestissime, ita optime hic; at potuisset ad sententiam comprobandam suam subiungere, hic Nostro, ut toties, placuisse iure suo loqui usitatam apud Romanos pro re venerea metaphoram. Iuven. sat. VI: *Lenonum ancillas posita Laufeia corona Provocat, et tollit pendentis praemia coxae.* Item fere Apuleius, Asini aurei lib. II: *Pendulae Veneris fructu me satiavit.* Ed. P.

82. — AD GALLVM.

Si quid nostra tuis adicit vexatio rebus,
Mane, vel a media nocte togatus ero:

Deprecatur in hoc Noster officium anteambulonis, quod ait sibi nocere, amico nil prodesse. Ed. P.

1. *Si quid nostra, etc.* Si cui tibi usui et emolumento esse possint praestita officia a me cliente, cui submolesta haec servitus.

2. *Togatus.* Officiosus cliens, qui patronum togatus comitatur. De togatorum atque anteambulonum officiis saepius sive dixit sive questus est lib. III, epigr. 46, et lib. II, ep. 74, et ipso hoc lib. ep. 74.

Stridentesque feram flatus Aquilonis iniqui,
Et patiar nimbos, excipiamque nives.
Sed si non fias quadrante beatior uno,
Per gemitus nostros, ingenuasque cruces,
Parce, precor, lasso; vanosque remitte labores,
Qui tibi non prosunt, et mihi, Galle, nocent.

3. *Stridentesque, etc.* Iuv. sat. V. vs. 76: *Relicta Coniuge, per montem adversum, gelidasque cucurri Esquilias, fremeret saeva quum grandine vernus Iupiter, et multo stillaret paenula nimbo.*

5. *Beatior. Beatum* iam saepe pro *divitem* notavimus. Sic fere apud Graecos ὄλβιος.

6. *Ingenuasque cruces.* Id est, tormenta ingenuorum seu liberorum hominum. Sic appellat officia et concursationes, quae liberi homines tenuiores opulentioribus praestabant. *Gronovius.* — *Innumerasque* pro *Ingenuasque* habent quidam. Non ita bene. Crux erat supplicium servorum; ita isti labores erant cruces ingenuorum anteambulonum, et poëtice ergo: *cruces ingenuae.*

7. *Remitte.* Sine ego quiescam, solve me eo labore, qui insuper nihil affert utilitatis.

83. — AD MARINVM.

Raros colligis hinc et hinc capillos,
Et latum nitidae, Marine, calvae
Campum temporibus tegis comatis:
Sed moti redeunt iubente vento,
Redduntarque sibi, caputque nudum
Cirris grandibus hinc et inde cingunt.
Inter Spendophorum, Telesphorumque,

Calvum irridet Marinum.

1. *Raros colligis.* Comas a fronte et temporibus utrinque reiicis et disponis ad legendam calvitiem.

3. *Campum, etc.* Calvam, quam supra alleg. epigr. vs. 7, dixerat *aream.*

4. *Redeunt, etc.* Stabant nempe manu modo dispositi crines, et sic verticem nudum occulebant. At ubi venti quid spiraverat, immo et pondere ipsi suo, revolvebantur et in suum locum defluebant.

5. *Redduntarque sibi.* Idem quod ante dixit, *redeunt.*—*Caputque nudum.* Lib. V, epigr. citato: *Sunt illinc tibi, sunt et hinc capilli: Nudum est in medio caput*, etc.

6. *Cirris grandibus.* Cirri capillamenta velut in nodum collecta.

7. *Inter Spendophorum, etc.* Ita calva tua utrimque cirrata, videtur esse caput calvi Hermerotae, inter capita cirrata duorum puerorum Spendophori et Telesphori, qui Domitiani pulcherrimi. Spendophori autem No-

Cydae stare putabis Hermeroten.
Vis tu simplicius senem fateri?
Vt tandem videaris unus esse,
Tonsor iam reliquos metat capillos.
Galvo turpius est nihil comato.

stee mentionem fecit lib. IX, epigr. 57. Telesphori lib. XI, epigr. 26. Sensus totius loci est: Credes stare *Halmyroten*, latine Marinum (vel forsan Hermerotem leg. ut not. ad vs. 8), inter duos pueros comatos: ita lib. V, ep. 49, Labienum calvum Geryoni tricipiti comparavit.

8. *Cydae stare putabis*, etc. Cydae nescio cuius filium, Hermerotem quidam voluere, alii dominum, utrique male: *Cydam* aut pictorem, vel statuarium intellige. Flosculus Statii auctoritate fretus, peobat Cydam artificem fuisse atque effinxisse Halmyroten aut Hermeroten. Vterque nempe Deus: sed eos quis novit? Dein Compositus Hermeros ex Mercurio et Amore an calvus erat? Denique Heraldus emendat hunc versum, et legit: *Sic astare putabis Halmyroten.* Et ad id interrogantibus: Quid si legas cum Heraldo, *Sic adstare putabis*, etc. et sequenti versu, *Vis tu simplicius? senem fatere*, respondet Gronovius: Male fecerim. Nam *Cydae* vocabulum non esse mutandum satis probat Scriverius: illud autem, *vis tu fateri*, eleganter dictum ostendimus ad Senecam de Ira 3, 38, et epist. 58.

12. *Comato.* Calvitiem dissimulante, ut comatus videatur.

84. — DE AFRO, AD CAEDITIANVM.

Miraris, quare dormitum non eat Afer?
Accumbat cum qua, Caeditiane, vides.

2. *Accumbat* Saepius dicta vox de epulantibus et in toro ad convivandum recumbentibus. Sed hic de concubitu uxoris et mariti. Simile apud Graecos παρακοίτης et παράκοιτις — *Caeditiane. Caeciliane* in his qui in lemmate Caecilianum exhibent. *Cum qua.* Nimirum uxore defoemi, sine qua satius est vigilare, quam cum illa dormire. — *Vides*, quidam *vide*.

85. — DE LADONTE NAVTA.

Iam senior Ladon Tiberinae nauta carinae
Proxima dilectis rura paravit aquis.

Elegans et venustum epigramma ab eventu natum; quum demersa nave servatus sit nauta, qui eadem salva periisset.

1. *Tiberinae.* Ladon ille nempe non erat marinus, sed fluviatilis nauta.

2. *Dilectis aquis.* Tiberim enim

Quae quum saepe vagus premeret torrentibus undis
Tibris, et hiberno rumperet arva lacu,
Emeritam puppim, ripa quae stabat in alta,
Implevit saxis, opposuitque vadis.
Sic nimias avertit aquas: quis credere posset?
Auxilium domino mersa carina tulit.

amabat, in cuius undis pecuniam sibi paraverat Ladon, unde emeret fundum.

5. *Emeritam.* Hoc est, quae iam erat otiosa, quum a duro nautae labore cessasset Ladon; emeritus proprie dicitur, qui legitimum stipendiorum tempus confecit: vel fatiscentem iam et cariosam. — Vtrumque Ed. P.

6. *Opposuitque vadis.* Molem ad cohibendum inundationis impetum.

8. *Mersa carina.* In eo iocus est, quod demersa haec navis Ladontem servavit, aut potius eius fundum, quum alias demersa navis domino afferat mortem.

86. — DE LAVRO.

Nemo nova caluit sic inflammatus amica,
Flagravit quanto Laurus amore pilae.
Sed qui primus erat lusor, dum floruit aetas,
Nunc postquam desit ludere, prima pila est.

3. Qui inventutem pilae ludo elusit, senex iam pannosus est instar pilae compitalis; et eleganter locatur inquiens, qui *primus erat lusor pilae*, iam factus est *prima pila.* Alludit ergo in pilae lusorem, qui quum florente aetate primus esset in arte pilae, postquam desiit per senectutem ludere, factus est *prima pila*; id est, contemptui habetur, ut illa pila, quae prima obiicitur tauris iratis, quam discerpunt et lacerant cornibus. Sic Mart. lib. II, epigr. 43: *At me quae passa est furiati cornua tauri, Noluerit dici quam pila prima suam. Pilae taurariae* vocantur in veteribus glossis, et exponuntur ταυροκαθάπται. *Salmasius.*

87. — DE NATALI RESTITVTI.

Octobres age sentiat Kalendas
Facundi pia Roma Restituti.

Multa clientum et ampla munera Restituto precatur in natali die: se pro muneribus carmen, quod munus est pollae, mittere.

2. *Restituti.* Caussidici qui id temporis nomen inseruit famae, et de quo Plin. iun. lib. VI, epist. 17, et lib. VII, epist. 1.

Linguis omnibus et favete votis.
Natalem colimus, tacete lites.
Absit cereus aridi clientis,
Et vani triplices, brevesque mappae
Exspectent gelidi iocos Decembris.
Certent muneribus beatiores.
Agrippae tumidus negotiator
Cadmi municipes ferat lacernas.
Pugnorum reus, ebriaeque noctis
Coenatoria mittat advocato.
Infamata virum puella vicit?
Veros sardonychas, sed ipsa, tradat.
Mirator veterum senex avorum
Donet Phidiaci toreuma caeli.
Venator leporem, colonus haedum,
Piscator ferat aequorum rapinas.

3. *Linguis.* Favere linguis est tacere, votis vero favere est accedere ad vota sacerdotum. Ferias celebrantes a litibus abstinebant antiqui, et sacris publicis vacabant. Ovidius Fastorum lib. I.

5. *Absit cereus.* Munera mittere solebant ad eum, cuius natalem celebrabant antiqui, lib. VIII, epigr. 64. Sensus est: Ad Restitutum ne mittantur vilia munera, cerei nempe, pugillares, et mappae, quae mittebantur Saturnaliorum tempore. Alias praeterea caussas affert. *Triplices* pugillares sunt trium paginarum.

8. *Certent muneribus.* Hoc est, ditiores clientes et amici munera certatim mittant ad Restitutum.

9. *Agrippae.* Hoc est, inquit Farnabius, qui in Agrippae porticu, et septis, de quibus lib. IX, epigr. 60, superbas et pretiosas merces vendebat.

10. *Cadmi municipes.* Tyrias, nam Agenoris Tyrii filius Cadmus; ergo purpureas, ut lib. II, epigr. 43.

11. *Pugnorum reus.* Hoc est, reus de vi, quam ebrius alicui intulit, coenatorias vestes mittat Restituto a quo defendi possit.

12. *Caenatoria mittat.* Laenas, vestes quibus in coena antiqui utebantur; δειπνιχίδας. Sic et *forensia* dixerunt, vestes quibus utebantur in foro. *Lugubria* quoque dixit Seneca vestes lugubres. *Advocato.* Tibi.

13. *Infamata* Adulterii rea.

15. *Mirator.* In hoc versu credam meminisse Nostrum Horatii, qui in Arte Poëtica, 173, senis mores describens, ait: *Laudator temporis acti Se puero.* Ed. P.

16. *Phidiaci toreuma caeli.* Crateras et statuas a Phidia, nobili toreuta, torno ac caelo affabre factas.

18. *Aequorum rapinas.* Hoc est

Si mittit sua quisque, quid poëtam
Missurum tibi, Restitute, credis?

pisces, qui praeda sunt rapta ex aequore.

19. *Quid poëtam, etc.* Carmina nempe mittet Poëta.

88. — AD COTTAM.

Omnes persequeris praetorum, Cotta, locellos,
Accipis et ceras: officiosus homo es.

1. *Omnes persequeris.* Ambiguus, vel potius difficilis sensus quem sic vulgo statuunt: Velut officiosus comitaris praetores, et cupis gestare locellos, seu crumenam, aut marsupium, in quibus forte nomina litigantium erant, ut ea subduceret, simul et ceras seu tabulas corrumperet, corruptus ipse pecunia.

2. *Accipis et ceras.* Ut scilicet illas feras, et corrumpas. Vid. not. sup. — *Officiosus.* Ironia est.

89. — DE STATVA IVNONIS.

Iuno labor, Polyclete, tuus, et gloria felix,
Phidiacae cuperent quam meruisse manus,
Ore nitet tanto, quanto superasset in Ida
Iudice convictas non dubitante Deas.
Iunonem, Polyclete, suam nisi frater amaret,
Iunonem poterat frater amare tuam.

Laudat statuam Iunonis a Polycleto claro artifice factam.

3. *In Ida.* Phrygiae monte, ubi Paris Iunoni, Minervae, et Veneri de pulchritudine contendentibus iudex datus est.

5. *Nisi frater.* Iupiter nempe Iunonis frater.

90. — IN LIGELLAM.

Quid vellis vetulum, Ligella, cunnum?
Quid busti cineres tui lacessis?
Tales munditiae decent puellas:

In Ligellam. Palat. legit *Ligeia*, ut forsan eadem sit cum illa, cuius meminit lib. XII, epigr. 7.

1. *Vellis vetulum, Ligella, etc.* Expilas, ut tenerior iuniorque videare.

2. *Quid busti, etc.* Quid suscitas cineres et sopitos ignes demortuae et

Nam tu iam nec anus potes videri.
Istud, crede mihi, Ligella, belle
Non mater facit Hectoris, sed uxor.
Erras, si tib icunnus hic videtur,
Ad quem mentula pertinere desit.
Quare si pudor est, Ligella, noli
Barbam vellere mortuo leoni.

acpultae libidinis tuae? Ἀλληγορικῶς dictum, ut vs. 10, ad quem vid. not.

6. *Non mater, etc.* Non anus ut Hecuba, sed firmae atque floridae aetatis mulier, sicut Andromache.

10. *Barbam vellere.* Vt modo, Ἀλληγορία. Alludit nempe ad proverbium, *tondere leonem*, et *vellere barbam leoni*. Hoc est, provocare ad iras. Quod periculosae plenum opus est aleae. Sensus ergo: frustra vetulam vulvam ad libidinem stimulas; est enim mortua.

91. — DE ALMONE.

Omnes eunuchos habet Almo, nec arrigit ipse,
Et queritur, pariat quod sua Polla nihil.

1. *Omnes eunuchos.* Vid. epigr. 6, 67. Iuv. VI, 366: *Sunt, quas eunuchi imbelles, ac mollia semper Oscula delectent, et desperatio barbae, Et quod abortivo non est opus.* — Apte satis; non tamen quidquid in hoc acuminis et nequitiae est assequutus. Non enim curat Noster an spadones Pollae in deliciis; sed innuit potuisse maritum, quantulacumque vi praeditus sit ad gigoendum, sobolem sibi parare, si nimirum inter aut servos aut clientes robustum virum habuisset; quod ut nefarium, sic tamen ob saeculi corruptelam frequentissimum apud proceres tunc exstitit. Vid. Iuven. Sat. IX, passim, et quae fusius nos ad huius libri epigram. 102 infra, pag. 143. Eo. P.

92. — AD MARIVM.

Mari, quietae cultor et comes vitae,
Quo cive prisca gloriatur Atina,
Has tibi gemellas barbari decus luci

Relictum rusculum suum Poëta, rediturus in patriam, Mario commendat.

1. *Quietae cultor.* His verbis ostendit privatum hunc Marium vitae rusticae fuisse deditum.

2. *Atina.* In Sicilia fuit urbs huius nominis, et in Italia plures. Videndus Ortelius.

3. *Has tibi.... pinus..., Faunorum.*

Commendo pinus, ilicesque Faunorum,
Et semidocta villici manu structas
Tonantis aras, horridique Sylvani,
Quas tinxit agni saepe sanguis, aut haedi,
Dominamque sancti virginem Deam templi,
Et quem sororis hospitem vides castae
Martem mearum principem Kalendarum,
Et delicatae laureum nemus Florae,
In quod Priapo persequente confugit.
Hoc omne agelli mite parvuli numen
Seu tu cruore, sive thure placabis,
Vbicumque noster Martialis est, dices;
Hac, ecce, mecum dextera litat vobis
Absens sacerdos: vos putate praesentem,
Et date duobus, quicquid alter optarit.

Pinus atque ilices Faunis sacrae sunt; vid. lib. VIII, epigr. 50.

6. *Horridique Sylvani.* Qui nemorum Deus est, et pingitur ut Faunus, cornuta fronte, etc.

7. *Quas tinxit agni.* Horatius lib. I, Od. IV, 11: *Nunc et in umbrosis Fauno decet immolare lucis, Seu poscat agna, sive malit haedo.*

8. *Dominamque.* Hoc est, Dianam sylvarum Deam, cui dicatum erat ibi templum; et mox *sororis*, Diana enim et Mars ex Iove nati.

10. *Mearum principem.* Kalendis nempe Martiis natus est Martialis, epigr. 24 supra.

16. *Hac, ecce mecum.* Hoc est, Martialis licet absens manu mea vobis facit haec sacra.

18. *Date duobus, etc.* Omnia utrique fausta bonaque.

93. — AD CLEMENTEM.

Si prior Euganeas, Clemens, Helicaonis oras,
Pictaque pampineis videris arva iugis,
Perfer Atestinae nondum vulgata Sabinae
Carmina, purpurea sed modo suta toga.

Librum novum Sabinae, Clementis uxori, mittit; quem a novitate commendat.

1. *Si prior Euganeas.* Hoc est Patavinam regionem: *Helicaonis.* Qui fuit filius Antenoris, a quo conditum fuit Patavium.

Vt rosa delectat, metitur quae pollice primo,
Sic nova, nec mento sordida charta iuvat.

5. *Metitur quae.* Tunc enim pulcherrima; sed brevi manibus attrectata marcescit.

6. *Nec mento sordida.* Hoc est, quae nondum basiantium barba facta est sordida. Vid. supr. lib. I, epigr. 67, vs. 8: *Quae trita duro non inhorruit mento.*

94. — MVNVSCVLVM POMORVM.

Non mea Massylus servat pomaria serpens,
Regius Alcinoi nec mihi servit ager;
Sed Nomentana securus germinat hortus
Arbore, nec furem plumbea mala timent.
Haec igitur, media quae sunt mihi nata Suburra,
Mittimus, Autumni cerea poma mei.

1. *Non mea Massylus.* De aureis Hesperidum hortis in Massylia a serpente custoditis egimus lib. IX, epigr. 102, et lib. IV, epigr. 64, ubi et de hortis Alcinoi; et lib. VII, epigr. 42.

3. *Sed Nomentana.* Iam de Nomentano suo praedio egit Poëta lib. VI, ep. 43, in quo poma plumbea, hoc est, vilia et immitia, tuta erant a furibus.

5. *Media mihi nata Suburra.* Hoc est, empta Romae: Suburra quippe vicus erat ubi poma et herbae vendebantur.

6. *Autumni.* Id est matura Autumni tempore; vel potius *autumni mei* dicerem, *de ma récolte.*

95. — AD GALLAM.

Infantem tibi vir, tibi, Galla, remisit adulter.
Hi, puto, non dubie se futuisse negant.

Gallae obiicit impudicitiam, at marito et amanti vitiosius aut turpius quiddam.

1. *Infantem, etc.* Neuter agnoscit suam esse prolem, quamvis tecum rem habuerint. Quam rem ergo? Vide lib. IX, epigr. 5, et lib. III, epigr. 96.

96. — AD AVITVM.

Saepe loquar nimium gentes quod, Avite, remotas,

Caussas hic reddit, cur patriam cogitet; et solum Hispanum cum Romano confert.

1. *Remotas.* Hispanas, ad quas enhelare videor, quum eas usque loquar et tamen Romae consenescam. Romae

Miraris, Latia factus in urbe senex,
Auriferumque Tagum sitiam, patriumque Salonem,
Et repetam saturae sordida rura casae.
Illa placet tellus, in qua res parva beatum
Me facit, et tenues luxuriantur opes.
Pascitur hic, ibi pascit ager: tepet igne maligno
Hic focus, ingenti lumine lucet ibi.
Hic pretiosa fames, conturbatorque macellus,
Mensa ibi divitiis ruris operta sui.
Quatuor hic aestate togae, pluresve teruntur;
Autumnis ibi me quatuor una tegit.
I, cole nunc reges: quidquid non praestat amicus,
Quum praestare tibi possit, Avite, locus.

enim supra quatuor et triginta annos viaerat.

3. *Auriferumque*, etc. Patriae appetam fluvios et agros.

7. *Pascitur hic*. Ita epigr. 58 supra, cultura nimirum et stercoratione pascuntur agri: hoc est, Romana rura sterilia sunt, platanis tantum et lauria consita. — *Igne maligno*. Quia Romae emebantur ligna, et aere multo.

9. *Pretiosa fames*. Cui nempe non satisfacias, nisi multiplici pecunia et maximo pretio. — *Conturbaturque* edd. vett. Alios legere *conturbatrixque macelli Mensa, ibi* monent multi; id habet codex Polmanni, qui germanam esse lectionem recipiendamque censet. *Macelli* est et in cod. Beverl. — *Conturbatorque macellus*. Vbi venduntur omnia ciborum genera quae ad victum necessaria sunt. *Conturbator* eo sensu dicitur quo aper lib. VII, epigr. 27; hoc est: tanto pretio res ad victum necessariae Romae emuntur, ut facile decoquatur patrimonium, perturbetur res familiaris.

12. *Autumnis quatuor*. Hoc est, quatuor annis.

13. *Reges*. Regum nomine saepius vocabant patronos, deleta praesertim republica. Iuven. Sat. V, 14: *Imputat hoc rex, Et quamvis rarum tamen imputat*. Et ipse Noster: *Aspicias regina meos si Polla libellos*. Ed. P. — *Amicus*, patronus cultus.

14. *Locus*. Id est, patria.

97. — DE NVMA.

Dum levis arsura struitur Libitina papyro,

Suam infelicitatem dolet et Numae salutem, quod scriptus haeres, hero revalescente proscriptus sit.

4. *Libitina*. Dea funerum praeses, lib. VIII, epigr. 43; hic sumitur pro iis quae ad curandum funus perti-

Dum myrrham, et casiam flebilis uxor emit;
Iam scrobe, iam lecto, iam pollinctore parato
Haeredem scripsit me Numa: convaluit.

nent: hoc est, dum rogus paratur, in quo praeter arida ligna papyrus quoque ponebatur, ut facilius cremaretur corpus; lib. VIII, epigr. 44, 14: « Fartus papyro dum tibi torua crescit. » *Levis* dicitur: structus enim papyro rogus videtur esse levis; vel forte melius inconstantem Libitinam hic intelligas, quae pepercerit Numae.

2. *Dum myrrham.* Aromata quippe in rogum iniiciebantur.

3. *Scrobe.* Sepulcro, tumulo. — *Lecto* ferali, quo efferendus erat; et is, ut lectica, τετράφορος, ἑξάφορος vel ὀκτώφορος. — *Iam pollinctore parato.* Νεκραλείπτης. Qui corpus mortui lavat atque ungit, pollinctor dicitur, quasi pellis unctor. Vid. Turnebus lib. XXVIII, cap. 31. His omnibus quae exsequias indicant declarat Poëta, Numam iam conclamatum et humo conditum fuisse.

4. *Convaluit.* In hac voce iocus est, quasi dicat ideo convaluisse Numam, ut ipse infelix eius haereditatem non consequeretur.

98. — IN PVBLIVM.

Addat quum mihi Caecubum minister,
Idaeo resolutior cinaedo,
Quo nec filia cultior, nec uxor,
Nec mater tua, nec soror recumbit;
Vis spectem potius tuas lacernas,
Et citrum vetus, Indicosque dentes?
Suspectus tibi ne tamen recumbam,
Praesta de grege, sordidaque villa
Tonsos, horridulos, rudes, pusillos
Hircosi mihi filios subulci.
Perdet te pudor hic: habere, Publi,

1. *Addat quum mihi Caecubum.* Hoc est effundat. — *Addere* pro *dare* Latinis usitatissimum, praesertim ubi de vino agitur. Noster lib. IX, epigr. 94, vs. 1: *Addere quid cessas, puer, immortale Falernum*; et passim. Ed. Par.

2. *Idaeo cinaedo.* Hoc est, Ganymede. — Nonne servulo e Phrygia? Phrygum enim celebratam olim et pulchritudinem et mollitiem. Ed. P.

6. *Et citrum vetus.* Mensam citream operis antiqui, et dentes eburneos quibus fulta stat.

7. *Suspectus.* Ad epigr. supra cit.

8. *Praesta de grege, etc.* Praesta ministros incultos.

10. *Subulci.* Gallice, *porchers.*

11. *Pudor.* Alii *dolor*; recte, ut *Schrevel.* vult et *Barbou.* — *Perdet te*

Mores non potes hos, et hos ministros.

pudor. Quo sfficeris dum spectantur tui ministri. Hoc est, illa pudor nocebit tuae famae: pudor enim dicitur ob aliquam rem sordidam timor.

12. *Mores*. Castos mores habere nequis, et tam formosos pueros. *Adeo rara est concordia formae Atque pudicitiae*. Iuv. sat. X, 397.

99. — DE FIGVRA SOCRATIS.

Si Romana forent haec Socratis ora, fuissent
Iulius in Satyris qualia Rufus habet.

1. *Si Romana*. Hoc est: Si hic Socratis vultus Romano more esset formatus, similis foret severae fronti Iulii Rufi, qui gravitate Socratica in suis Satiris vitia carpit. Scriverius aliter explicat. Hic est, inquit, sensus: Si haec Socratis imago Romano cultu effingeretur, certe ad vivum exprimeret gravitatem Iulii Rufi, qualis deridetur a Satiricis, vel qui refert Satyrum. Namque et Socrates fuit naso simo, et oculis emissitiis, Sileno haud absimilis, uti describitur a Platone et Xenophonte. Vel: Si haec Socratis imago cultu Romano expressa esset, posset quidem haberi pro effigie Iulii Rufi, quae posita est in Satyris, loco quodam in octava regione urbis, Vbi spectantur quatuor Satyrorum imagines. Iudicet lector.

100. — IN COMMISCENTEM VERSVS OPERI SVO.

Quid, stulte, nostris versibus tuos misces?
Cum litigante quid tibi, miser, libro?
Quid congregare cum leonibus vulpes,
Aquilisque similes facere noctuas quaeris?
Habeas licebit alterum pedem Ladae,
Inepte, frustra crure ligneo curres.

2. *Cum litigante*. Qui tibi litem ipse intendit, et literarii latrocinii manifestum te declarat. Pariter lib. I, epigr. 54: *Stat contra, dicitque tibi tua pagina, Fur es*. Ed. P.

3. *Quid congregare*. Allegorice dictum. Sensus est: Quid nobilibus atque egregiis versibus meis, o insane, coniungis tuos ineptos et viles?

4. *Aquilisque*. Allegoriam continuans Poëta, aquilae noctuam, leoni vulpeculam substituit, comparans nempe, ut prius, his plagiarii versus, illis suos.

5. *Habeas licebit*. Hoc est, commiscens tua carmina cum meis, non magis eris bonus poëta, quam cursor egregius esses, si haberes alterum pedem Ladae cursoris velocissimi, lib. II, ep. 86, 8, quum aliunde ligneus alter tibi esset.

101. — DE CAPITOLINO.

Elysio redeat si forte remissus ab agro
Ille suo felix Caesare Galba vetus,
Qui Capitolinum pariter, Galbamque iocantes
Audierit; dicet, Rustice Galba, tace.

Si reviviscat Galba ille nobilis, et Caesari Augusto ob ingenii acumen et nativum sal dilectissimus, lib. I, ep. 42, vs. 17, et si iocis salibusque cum Capitolino contendat, rusticus et insulsus prae illo videretur.

2. *Galba vetus.* Scurra Caesaris Augusti, de quo iam Noster: *Qui Galbam salibus tuis*, etc. — *Felix.* Aliquando dicitur pro inclytus, nobilis, palmarius in re qualibet. Sic Horat. lib. IV, od. XIII: *Felix post Cynaram, notaque et artium Gratarum facies.* Et aptius de facetiis salibusque dicitur; qui quum acuti, *felices* nominantur. Quintilianus de Demosthene, Instit. Orat. lib. VI, III, § 2: *nec displicuisse illi iocos, sed non contigisse.* Quae autem *contigisse* potuerunt, felicia. Et gallice dicimus: *un mot, un trait heureux.* Ed. P.

3. *Qui*, etc. Si comparetur cum Capitolino, rusticus dicetur, neque ultra audietur.

102. — DE PHILENO.

Qua factus ratione sit requiris,
Qui nunquam futuit, pater Philenus?
Gaditanus, Avite, dicat istud,
Qui scribit nihil, et tamen poëta est.

Iocus est in Philenum et Gaditanum, quorum alter adulterio uxoris habebat filios, alter alieno carmine sibi vindicato volebat videri poëta.

3. *Gaditanus, etc.* Neque enim dolebat ille ψευδοπάτηρ coniugis sibi adulterio nasci filios: hoc scilicet pacto habiturus quod male salsorum facetiis et scommatibus responsum ingereret; dein iure trium liberorum ornandus, quod plurimis id temporis optatissimum fuit. Vnde sic apud Iuv. adulter mercenarius, sat. IX, 82: *Nullum ergo meritum est; ingrate ac perfide, nullum, quod tibi filiolus vel filia nascitur ex me!* et quae sequuntur; quae ingeniosissima quidem et amarissimo sale sparsa cuncta legas, auctor tibi ego vehementissimus sum. Ed. P.

103. — AD MVNICIPES SVOS BILBILITANOS.

Municipes, Augusta mihi quos Bilbilis acri

1. *Municipes.* Hoc est, O cives Bilbilitani, mei populares. — *Augusta*, etc. Lib. I, ep. 50, 3: *Videbis altam, Liciniane, Bilbilim;* ubi egimus etiam

Monte creat, rapidis quem Salo cingit aquis;
Ecquid laeta iuvat vestri vos gloria vatis?
Nam decus et nomen, famaque vestra sumus.
Nec sua plus debet tenui Verona Catullo,
Meque velit dici non minus illa suum.
Quatuor accessit trigesima messibus aetas,
Vt sine me Cereri rustica liba datis.
Moenia dum colimus dominae pulcherrima Romae,
Mutavere meas Itala regna comas.
Excipitis reducem placida si mente, venimus;
Aspera si geritis corda, redire licet.

de Salone fluvio. Colonia scil. Bilbilis et in aereo Tiberii nummo inscripta *Augusta*, teste Adelpho Occon. in Tiberio. Alii leg. *angusta*. Et ut Gruterus inquit, *angusta agri* vocabitur Bilbilis, cui fere nihil additum agri, ob montem in quo ponitur. — *Acri*; Alii legunt *alto*: alibi enim Bilbilim pendulam appellat, ut alto monte sitam fuisse intelligas; sic epigr. insequenti, et lib. I, epigr. 50, iam cit.

3. *Ecquid laeta.* Vide lib. I, epigramma 62. A claris poëtis multum illustrantur civitates.

5. *Tenui.* Nitido, culto. Volunt alii *tenuem* hic esse elegantem vel levem, λεπτόγραφον, quod versus leviores, teneros, et delicatissimos scripserit. — *Verona.* Sic fere lib. I, epigr. 63.

7. *Quatuor accessit, etc.* Iam per xxxiv autumnos, quibus vos sacra facitis Cereri, abfui a vobis, vixique Romae.

8. *Rustica liba.* Quae fiebant ex lacte, sesamo, et melle: Cererem vero ut frugum inventricem colebant rustici.

10. *Mutavere meas.* Hoc est, canae factae sunt meae comae.

12. *Aspera, etc.* Vt postea cum stomacho expertus est: si verus ipse in epistola lib. XII. Vltimum distichon vulgo abiudicant Martiali.

104. — AD LIBRVM.

I nostro comes, i libelle, Flacco
Longum per mare, sed faventis undae;
Et cursu facili, tuisque ventis

Mittit librum ad Flaccum amicum, quem in Hispaniam iturum monet, uti veteres amicos salutet.

1. *Flacco.* In Hispaniam ituro.

2. *Sed faventis undae.* Nota *mare* faventis undae, pro, placidum mare.

Hispanae pete Tarraconis arces.
Illinc te rota tollet, et citatus
Altam Bilbilin, et tuum Salonem
Quinto forsitan essedo videbis.
Quid mandem tibi, quaeris? ut sodales
Paucos, sed veteres, et ante brumas
Triginta mihi quatuorque visos
Ipsa protinus a via salutes,
Et nostrum admoneas subinde Flaccum,
Iucundos mihi nec laboriosos
Secessus pretio paret salubri,
Qui pigrum faciant tuum parentem.
Haec sunt: iam tumidus vocat magister,
Castigatque moras; et aura portum
Laxavit melior: vale, libelle;
Navem, scis puto, non moratur unus.

4. Sensus est: Tarraconem usque navigabis, unde Bilbilim essedo veheris.

7. *Quinto essedo*. Essedum genus vehiculi; quo vectus ait poëta quinto itineris die a Tarracone pervenies Bilbilim.

11. *Ipsa protinus a via*. Hoc est, statim a tuo adventu.

14. *Salubre pretium* est modicum, quod facias salva re familiari. Sic Plinius lib. I, epist. 24, 5: *Si praediolum istud, quod commendatur his dotibus, tam salubriter emerit, ut poenitentiae locum non relinquat*. Gronov.

15. *Qui pigrum*. Carmina sunt ingenii partus, quorum auctores parentes dicuntur: hoc est, Flaccus (sive Flavus, ut scribunt alii), mihi paret hospitium, ubi otiosus consenescam. — *Qui pigrum*, etc. Vbi rusticetur, otietur, consenescat parens tuus, id est, auctor libri, ego Martialis.

16. *Tumidus*. Hoc est, imperiosus navarchus. Similis est locus apud Iuvenalem, Sat. III, 317: *Nam mihi commota iamdudum mulio virga Adnuit*, etc. — *Haec sunt* quae tibi in Hispaniam meam proficienti parens ego tuus mandata velim.

18. *Aura portum Laxavit*. Facultatem dedit solvendi e portu navibus. *Melior*. Quibus e portu solvendum.

19. *Navem, etc*. Non licet navi exspectare unum, qui moram trahit, vectorem. Adagii species: *Vnum non exspectat navis*; nam in turba unus vir, nullus vir.

M. VAL. MARTIALIS

EPIGRAMMATVM

LIBER XI.

I. — AD LIBRVM.

Quo tu, quo, liber otiose, tendis,
Cultus sindone non quotidiana?
Numquid Parthenium videre? certe.
Vadas, et redeas inevolutus.
Libros non legit ille, sed libellos;
Nec Musis vacat, aut suis vacaret.

Librum undecimum domo exire gestientem, et palatis aulamque affectantem coërcet, satisque feliciter cum eo actum iri dicit, si in porticibus et circulis ab otiosis legatur. *Rader*.

1. *Liber otiose*. Qui absolutus erat, atque ita domi otiosus.

2. *Cultus sindone*. Eleganter cultus pumice, minio, cedro, velamine purpureo, etc. ut lib. III, epigr. 2. *Sindon* proprie amictus erat levis vel vestis ex tenui linteo, IV, XIX, 12; at hic est pro velamine libri.

3. *Videre? certe*. Sic Palat. Punctum ad fin. versus omittit *Barb*. edit. *Videre tentas?* edd. vett. et Faruab. — *Parthenium*. Egimus de Parthenio qui Domitiano erat a cubiculo. Quum autem, teste Aurelio Victore, Parthenius interfectus fuerit initio imperii Nervae, hic vero liber in lucem prodierit, imperante Traiano, dicendum mihi videtur, hunc librum vivo Parthenio inchoatum, et mortuo absolutum atque editum; nisi dicas rationem temporum in Epigrammatum libris a Poëta fuisse neglectam.

4. *Inevolutus*. Hoc est, non lectus.

5. *Libellos*. Supplicum libellos quos Imperatori a cubiculis exhibet.

6. *Nec Musis vacat*, etc. Quod si vacaret carminibus, certe vacaret suis pangendis, namque et ipse doctus et poëta; ut lib. V, epigr. 6, vs. 2, et lib. XII, epigr. 2.

Ecquid te satis aestimas beatum,
Contingunt tibi si manus minores?
Vicini pete porticum Quirini;
Turbam non habet otiosiorem
Pompeius, vel Agenoris puella,
Vel primae dominus levis carinae.
Sunt illic duo, tresve qui revolvant
Nostrarum tineas ineptiarum;
Sed quum sponsio, fabulaeque lassae
De Scorpo fuerint, et Incitato.

8. *Manus minores.* Vulgi nimirum, non aulicorum.

9. *Vicini pete.* De templo Quirini dictum lib. X, epigr. 58, vs. 10; ubi nempe erat porticus, ad quam multi conveniebant confabulaturi.

11. *Pompeius.* Hoc est, porticus Pompeiana, de qua lib. II, epigr. 14, ubi et de porticu Europes, quae filia fuit Agenoris.

12. *Vel primae dominus.* Iasonem intelligit, quem sumit pro porticu Argonautarum, lib. II, epigr. citat. et lib. III, ep. 20. Iason vero omnium primus navigasse fertur a poëtis. — *Levis.* Ad navem Argo referunt aliqui, quae levis dicta est a celeritate: ἀργὸς enim latine velox dicitur: sed ad Iasonem melius referas, qui desultor amorum, ab Hypsipyla transiit ad Medeam, ab hac ad Creusam, a Creusa rursus ad Medeam. Statius, lib. VI Theb.: *At levis et nondum miserae mihi notus Iason* Gronovius.

14. *Nostrarum, etc.* Nugas has meas, carmina haec mea quae tineis et blattis esca relinquenda. Scilicet per modestiam fictitiam sua extenuat.

15. *Sed quum sponsio, etc.* Nec tamen legent haec nisi a Circi spectaculis otiosi et lassi, ubi cessarint sponsiones et sermones de factionibus et aurigis. Quum ergo dicit *sponsionem populi*, depositis pignoribus aut pecunia, de alicuius agitatoris victoria factam intelligit. Gallice nunc vocitamus *un pari*. Ed. P. — *Fabulaeque lassae.* Fabula et fabella illa aetate non pro ficto et composito ad arbitrium sermone, ut priscis Latinitatis temporibus; sed pro sermone quolibet, vel narratione; seu ficta, seu vera, quae in ore populi versabatur, usurpata est. *Salmas.* — *Scorpus* autem nobilis agitator fuit; et *Incitatus* equus nobilissimus et velocissimus, Circensibus curriculis et palmarum frequentia celebratissimus. Vid. Sueton. in Caligula, cap. 55; Turneb. Adv. lib. VIII, c. 4; et l. XVIII, c. 30.

2. — AD LECTORES.

Triste supercilium, durique severa Catonis

1. *Triste supercilium, etc.* Procul, o procul este, facessite hinc, quotquot adestis tristis atque censorii supercilii, gravis tetricaeque frontis et compositi vultus.

Frons, et aratoris filia Fabricii,
Et personati fastus, et regula morum,
Quidquid et in tenebris non sumus, ite foras.
Clamant ecce mei, Io Saturnalia, versus:
Et licet; et sub te praeside, Nerva, libet.
Lectores tetrici, salebrosum ediscite Sanctram;
Nil mihi vobiscum est: iste liber meus est.

2. *Filia Fabricii.* Pudica et dura a patre duro. — *Aratoris filia.* Patris gravissimi mores referens.

3. *Personati fastus.* Larva induti, fuco dissimulati. — *Et regula morum*; censura.

4. *Quidquid*, *etc.* Castitas et luce gaudens pudicitia. Nos enim pudore vacat.

5. *Clamant ecce mei.* Saturnalium tempore, magna erat licentia.

6. *Sub te praeside.* Tunc enim magna libertate fruebantur Romani.

7, 8. *Lectores .. Nil.* Hos vss. faciunt edd. vett. Delph. Farnab. et Maitt. ut incipiant et terminent tertium Epigramma, cum eodem titulo qui coronat secundum. s Coniungit hoc distichon praecedenti epigr. ex auctoritate MSS. P. Scriverius. » *Farnab.* — *Sanctram.* Qui poëta nec lepidus nec numerosus fuit. Lib. VII, epigr. 20, Sanctrae cuiusdam gulosi meminit Poëta. — *Iste liber meus.* Nec vobis convenit propter iocos et facetias.

3. — DE SVIS LIBELLIS.

Non urbana mea tantum Pimpleide gaudent
Otia, nec vacuis auribus ista damus;
Sed meus in Geticis ad Martia signa pruinis
A rigido teritur centurione liber.
Dicitur et nostros cantare Britannia versus.

Legi se et ob ingenii acumina et facetias quidem ubique gentium in deliciis esse dicit; sed nihil se inde lucri percipere. Maiorem se vatem futurum, ubi maiores fuerint Maecenates.

1. *Non urbana.* Hoc est: Non soli cives romani, non soli otiosi delectantur meis versibus. Mox igitur de locis aget remotissimis, quae tamen libri ipsius epigrammatici attigere. — *Mea Pimpleide.* Hoc est, Musa mea. Musae dictae sunt Pimpleides a Pimplaeo Macedoniae fonte ipsis sacro.

2. *Vacuis.* Otiosis, inanium rerum et ineptiarum cupidis.

3. *In Geticis.* In Getas expeditionem suscepit Traianus, in cuius castris legebantur versus Martialis.

4. *Rigido centurione.* Probarat modo per illas voces *Geticis pruinis* non in Vrbe duntaxat sua perlegi. Per has nunc perspicuum facit non otiantibus tantum illa nota.

5. *Dicitur et...Britannia.* Quae limes fuit novissimus imperii ad septemtrio-

Quid prodest? nescit sacculus ista meus.
At quam victuras poteramus pangere chartas,
Quantaque Pieria praelia flare tuba;
Quum pia reddiderint Augustum numina terris,
Et Maecenatem si mihi Roma daret!

nem, et quae ab Agricola nuperrime debellata et edomita vix triumphantium romanorum mores, vix linguam recepisse, edidieisse, videbatur. Ed. P.

6. *Nescit sacculus.* Hoc est, inde non colligo pecuniam quam in saeculum congeram.

9. *Augustum.* Nervam alii. Melius intelligunt alii Traianum, alterum Augustum Romae reslilutum a Diis. At mihi, inquit Poëta, nullus Maecenas datur; cuius munificentia in Horatium nota est.

10. Lib. VIII, epigr. 56; »Sint *Maecenates*, non deerunt, Flacce, *Marones.*»

4. — PRECATVR DEOS PRO NERVA TRAIANO.

Sacra, Laresque Phrygum, quos Troiae maluit hae-
Quam rapere arsuras Laomedontis opes; (res,
Scriptus et aeterno nunc primum Iupiter auro,
Et soror, et summi filia tota patris;
Et qui purpureis iam tertia nomina fastis,
Iane, refers Nervae; vos precor ore pio:
Hunc omnes servate ducem, servate senatum;
Moribus hic vivat principis, ille suis.

1. *Sacra.* Vittae, Vestae et ignis, ἄσβεστε, aeterne, etc. *Laresque*, etc. Minerva, Iupiter, Iuno, quos recenset distieho seq. qui tres aëris regiones referant, unde et *penates* dicti, per quos penitus spiramus. — *Troiae haeres.* Hoc est, Aeneas. Legunt alii, *Troiae heros*, et forte melius: Aeneas enim non fuit filius Priami, atque ita nec successor, superstitibus nempe Priami filiis et nepotibus.

2. *Laomedontis opes.* Laomedon pater fuit Priami: a pietate Poëta laudat Aeneam, qui neglectis opibus Deos flammis eripuit.

3. *Aeterno auro.* Hoc est, aurea imagine nunquam peritura effictus es a Traiano.

4. *Et soror.* Iuno, et Minerva quae *tota* est patria Iovis, e cuius cerebro producta sine matre.

5. *Iam tertia.* De Iano lib. VIII, epigr. 2, cui sacer mensis Ianuarius, quo consulum nnmina referebantur in Fastos, adeoque Nervae, qui imperii anno gessit tertium consulatum cum Verg. Rufo: Iunius de tertio consulatu Traiani (Vlpiani Nervae) intelligit. —*Purpureis* etc. Lib. XII, ep. 26, v. 5.

6. *Nervae.* Traiani scilicet, qui adoptatus a Nerva Imperatore, eius nomen retinuit. Vid. supra notatum ad vers. 5.

8. *Hic*, Senatus; *Ille*, Imp. Nerva (i. e. Traianus). — *Suis.* Sanctissimis nempe.

5. — IN LAVDEM NERVAE TRAIANI.

Tanta tibi est recti reverentia, Caesar, et aequi,
Quanta Numae fuerat: sed Numa pauper erat.
Ardua res haec est, opibus non tradere mores,
Et quum tot Croesos viceris, esse Numam.
Si redeant veteres, ingentia nomina, patres,
Elysium liceat si vacuare nemus;
Te colet invictus pro libertate Camillus;
Aurum Fabricius, te tribuente, volet.
Te duce gaudebit Brutus; tibi Sylla cruentus
Imperium tradet, quum positurus erit.
Et te privato cum Caesare Magnus amabit;
Donabit totas et tibi Crassus opes.
Ipse quoque infernis revocatus Ditis ab umbris

2. *Sed Numa, etc.* Non itaque tam miranda atque ardua res haec in paupertate erat pietas et sanctitas.

3. *Opibus, etc.* Non efferri et corrumpi a divitiis. Non tradunt mores opibus, qui adepti imperium et opes, non abutuntur iis ad fastum, aliorum oppressionem et iniuriam, qui denique idem est dives, atque pauper erat.

4. *Croesos viceris.* Divites reges, Decebalum Dacorum, et Armeniae Parthiaeque reges. Xiphilinus in Trai. — Non credo ego hic innui coaevos reges. Ed. P. — *Tot Croesos.* Hoc est, tot divites. Croesus autem rex fuit ditissimus, cuius historia nota.

5. *Ingentia nomina.* Per appositionem, hoc est; quorum veterum nomina summa in admiratione sunt.

7. *Pro libertate.* Lips. lib. I. Epist. quaest. 5, legit *prae libertate.* quasi dicat, Camillus te principem malit, quam suam illam libertatem; vel adeo potior eris ipsa libertate.

8. *Fabricius, etc.* Qui senatus continentissimus in paupertate vivens, munera multa et splendissima sibi a Pyrrho, et aurum a Samnitibus missum repudiavit.

9. *Brutus.* Qui exactis Tarquiniis Romam in libertatem asseruit; aut alterum Brutum Caesaris percussorem intellige. — *Sylla.* Videantur Plutarch. et Sallustius et alii.

10. *Imperium tradet.* Vt quondam dictaturam deposuit, secessitque Puteolos. Et quem Caesar dixit, nescisse litteras, quod fasces abiecerit.

11. *Magnus.* Pompeius nempe, qui cum Iulio Caesare bellum civile gessit fuse descriptum a Lucano. — Namque hoc eum nomine saepissime designat auctor Pharsaliae, quem amicum alioquin et optime de se meritum imitatur Martialis.

Si Cato reddatur, Caesarianus erit,

14. *Cato.* Vticensis, qui se ipsum interfecit, ne in Iulii Caesaris manus incideret vivus. attamen licet Caesaria imperium occupantis inimicissimus, se tibi mitissimo principi ultro submitteret.

6. — AD ROMAM.

Vnctis falciferi senis diebus,
Regnator quibus imperat fritillus;
Versu ludere non laborioso
Permittis, puto, pileata Roma.
Risisti; licet ergo, nec vetamur.
Pallentes procul hinc abite curae;
Quidquid venerit obvium, loquamur,
Morosa sine cogitatione.
Misce dimidios, puer, trientes,
Quales Pythagoras dabat Neroni;
Misce, Dindyme, sed frequentiores.
Possum nil ego sobrius; bibenti
Succurrent mihi quindecim poëtae.
Da nunc basia, sed Catulliana;

1. *Vnctis falciferi, etc.* Feriis Saturni, falcem gerentis, quod tempus omnia metat: Saturnus enim idem ac tempus, et Κρόνος, quod illi apud Graecos nomen est, a χρόνῳ tempore perspicuum est derivari. Hoc tempore vero unctae coenae. Tum et festis diebus unguenti plurimus usus. Et in ipsa castra haec voluptatis lenocinia penetravere. Plin. lib. XIII, cap. 3: *Et quid Saturni feriis unctius? quando coenae unctiores et elegantiores?* Herald.

2. *Imperat fritillus.* Tunc alea impune ludebant omnes, quae aliis temporibus severissime interdictum: fritilli sunt turriculae ex quibus eiiciuntur aleae.

4. *Pileata Roma.* Saturnalium tempore servi velut domini pileati incedebant. Aliis diebus et hi et illi nudo capite erant, aut caput veste velabant. Itaque veteres nullae Romanorum statuae cum pileo visuntur, etc.

5. *Risisti.* Risu consentire visa es.

6. *Pallentes, etc.* Cf. ep. 2, cuius initium: *Triste supercilium*, etc.

10. *Pythagoras, etc.* Puer e contaminatorum grege, cui nupsit Nero.

11. *Dyndime, etc.* Puer, minister. Dindymi nomen iam notavimus pueris vel spadonibus proprium.

12. *Bibenti, etc.* Hoc est, inquit Farnabius, Calens mero fundam carmina, et exprimam ingenia vel quindecim simul poëtarum.

14. *Catulliana.* Quoad numerum; hoc est, 3300 (lib. VI, epigr. 34, vs.

Quae si tot fuerint, quot ille dixit,
Donabo tibi passerem Catulli.

7), vel infinita. Namque ut ille ait, *quum millia multa fecerimus, Conturbabimus illa, ne sciamus; Aut ne quis,* etc. Catull. ep. v.

16. *Donabo tibi.* Componam versus iis non minus gratos, quos de passere Lesbiae scripsit Catullus.

7. — AD PAVLLAM.

Iam certe stupido non dices, Paulla, marito,
Ad moechum quoties longius ire voles,
Caesar in Albanum iussit me mane venire,
Caesar Circeios: iam stropha talis abit.
Penelopae licet esse tibi sub principe Nerva;
Sed prohibet scabies, ingeniumque vetus.
Infelix, quid ages? aegram simulabis amicam?
Haerebit dominae vir comes ipse suae;
Ibit et ad fratrem tecum, matremque, patremque.
Quas igitur fraudes ingeniosa paras?
Dicet et hystericam se forsitan altera moecha
In Sinuessano velle sedere lacu.

1. *Iam certe.* Mortuo Domitiano, cuius imperium praetexebas adulteriis tuis. *Stupido*; etc. Dolos tuos non sentienti.

3. *Caesar.* Domitianus, cuius iussu in Albanum, ubi quinquatria celebrabantur, lib. IV, epigr. 1, ire se dicebat Paulla. Videntur enim iis temporibus principes mali ad arbitrium suum iussisse vel illustres feminas ad se venire; neque imperatoriam libidinem aut maritus morabatur aut pater: et id quoque Domitianus fecit, quanquam pudicitiae ut iam saepe vidimus simulator. Mortuo autem Domitiano, tale iussum iam Paulla praetexere nequibat.

4. *Circeios.* Promontorium Latii.— *Stropha.* Fallacia est et nos Gallica lingua vocamus *tour, détour*; derivatur vero a Graeco στρέφω, quod est *vertere.* Ed. P.

5. *Penelopae.* Cuius pudicitia a poëtis celebrata est.

6. *Scabies.* Pruritus, et vetus tua libido. Quod per has voces *scabies*, *ulcus*, et alia morbis simile aliquid designantia indicabant.

7. *Aegram simulabis, etc.* Num amicam ementieris acri morbo detineri et iam morituram iterum atque iterum rogitare se ut adeas?

8. *Haerebit,* etc. Maritus tuus te comitabitur.

11. Morbus vulvae intelligitur, qui libidine plerumque levatur: ὑστέρα enim extrema mulieris, vulva.

12. *Sinuessano,* etc. Sinuessanae

Quanto tu melius! quoties placet ire fututum,
Quae verum mavis dicere, Paulla, viro.

autem aquae in Campania feminarum sterilitati aliisque morbis medebantur.

14. *Quae verum mavis.* Quae mavis fateri libidinem, quam dolosa excusatione uti.

8. — DE BASIIS SVI PVERI.

Lassa quod externi spirant opobalsama drauci,
Vltima quod curvo quae cadit aura croco,
Poma quod hyberna maturescentia capsa,
Arbore quod verna luxuriosus ager,
De Pallatinis dominae quod serica praelis,
Succina virginea quod regelata manu,
Amphora quod nigri, sed longe fracta, Falerni,
Quod qui Sicanias detinet hortus apes,

1. *Externi.* Alii *hesterni*, id est eius qui nocte praeterita ἐκοίμησε. — *Lassa quod*, etc. »Nihil potest magis fatuum hac scriptura dari. *Draucus* non est puer delicatus, sed beoe et nimium vir. Quid autem suavius habent odores in aliquo Asiatico, Graeco, Aegyptio, quam Italico? Ergo sufficiunt *hesterni*. Nihilo melius: aut ait enim evanuisse illum odorem aut sudore aut spurco opere corruptum esse. Praeclare vero codex scriptus Pircheimeri vel Arondellianus: *Lapsa quod externis spirant opobalsama truncis.* Quod nihil est quam, illa peregrina et exotica opobalsama. Sic Seneca: *Dives Sabaeis colligit truncis Arabs.* Vid. Diatribeo.« *Gronov.* — *Lassa quod.* Quod olent trita et quasi fessa opobalsama delicati pueri ex Asia, Graecis, vel Aegypto Romam advecti. Vid. supra.

2. *Vlt. Corycio* edd. vett. Maitt. et Farnab. Gruterus ex optimo codice (Palatino) induxit *quod curvo*, probante Gronov. — *Curvo* i. e. marcescente et ultimas emittente vires. Ovidius: *Marcida demittant subito caput illa gravatum.*

3. *Poma quod, etc.* Adi rursus lib. III, epigr. 65. — *Capsa.* Qua poma hieme servantur.

5. *Dominae.* Augustae nempe vestimenta serica seu syntheses. Pallatiuis recondita praelis, lib. II, epigr. 46.

6. *Regelata.* Sic ut lib. III, epigr. 93, virgineae manus attritu quae legit aut diu tractavit calefacta, lib. V, epigr. 38. — Equidem crediderim incidisse hic Nostro in mentem de annulis qui e succino mulieribus usitatissimi et tanti fere aestimati quanti ex auro et gemmis ornati. Ed. P.

7. *Sed longe, etc.* Odora enim per aërem diffusa gratiora sunt: propius autem admota obstruunt sensorium.

8. *Sicanias, etc.* Siculas apes, mellificia Hyblaea, ex quibus nempe optimum mellis genus.

Quod Cosmi redolent alabastra, focique Deorum,
Quod modo divitibus lapsa corona comis;
Singula quid dicam? non sunt satis; omnia misce:
Hoc fragrant pueri basia mane mei.
Scire cupis nomen? nil praeter basia dicam;
Iurasti: nimium scire, Sabine, cupis.

9. *Cosmi redolent, etc.* Myropolae, hisce temporibus notissimi. — *Alabastra.* Pyxides unguentariae ex alabastro. — *Focique Deorum.* Sacella scilicet, araeque multo thure ardentes.

10. Solebant ante solennes aut magnificas epulas coronari et unguentis comam largius perfundere et Graeci et Romani. Ditiores autem patet delicatissimis et optimae notae unguentis qualia sunt nardus, amomum, malobathrus Syrius, etc. usos esse; servanda ergo religiose lectio vulgaris, et Antonii coniectio *qui modo dividuis* respuenda. — *Divitibus* nardo et unguento delibutis.

13. *Iurasti, nimium* scilicet. Sensus est: Si nomen tantummodo scire cupis basiorum causa, dicam: id ipsum confirmas iuramento; o Sabine, altius aliquid iuramentum istud premit: aliis verbis, hoc est, amore eius deperis; itaque absit dicam nomen.

14. *Nimium scire, etc.* Aliquid ultra basia cupis, qui de pueri nomine quaeris.

9. — DE STATVA MEMORIS.

Clarus fronde Iovis, Romani fama cothurni,
Spirat Apellea redditus arte Memor.

1. *Clarus fronde Iovis* Hoc est ornatus querna corona. Quae poëtis attributa qui severi argumenti et nobilis versus conabantur, dum Elegiarum, Epigrammatum, Eclogarum scriptoribus de hedera corona decernebatur. Sic Virgilio Eclog. VI, 68, Linus fingitur: *Floribus atque apio crines ornatus amaro.* Sic Noster suam Domitiano offerens, lib. VIII, epigr. 82, 8. *Fiet et ex hedera civica nostra tibi.* — *Cothurni.* Qui tragicorum proprius fuit.

2. *Spirat* Vox poëtis usitata, et iis quicumque audacius eloquuntur ad designanda et statuariae et picturae miracula.

10. — DE TVRNO.

Contulit ad Satyras ingentia pectora Turnus.
Cur non ad Memoris carmina? frater erat.

2. *Carmina.* Heroicane, an tragica? epigr. praeced. vs. 1. — *Frater erat.* Cessit illius carminis gloriam fratri, neque voluit se illi aemulum ingerere, ut Vnicus. Lib. XII, epigr. citat.

11. — AD PVERVM SVVM.

Tolle, puer, calices, tepidique toreumata Nili,
Et mihi secura pocula trade manu,
Trita patrum labris, et tonso pura ministro;
Antiquus mensis restituatur honor.
Te potare decet gemma, qui Mentora frangis
In scaphum moechae, Sardanapale, tuae.

1. *Toreumata.* Vid. ad lib. IV, epigr. 39, 4. Poëta intelligit vasa crystallina, quae ex Aegypto Romam afferebantur. — *Tolle, puer, calices.* Amove elaboratos calices vitreos, ex Aegypto Romam allatos. Noster, lib. XIV, epigramm. 115: *Aspicis ingenium Nili: quibus addere plura Dum cupit, ah quoties perdidit auctor opus!* —*Tepidi.* Quia magnus, et quem vix sustineas in Aegypto calor.

2. *Secura manu.* Hoc est, pocula quae e manibus lapsa non frangantur; vel quorum fractorum parva sit iactura.

3. *Trita patrum.* Quibus usi sunt maiores. — *Et tonso pura.* Ministrata non a comato et delicato, sed a rudi atque simplici puero.

4. *Antiquus honor.* Vrnarum et calicum fictilium. Et revocentur prima saecula, priscorum saeculorum parcimonia et frugalitas.

5. *Qui Mentora.* Id est: Tu, o Sardanapale (divitem et effeminatum sic designat; nam Sardanapalus rex fuit opulentus et mollis, de quo Diodorus Siculus lib. VIII), qui frangis *Pocula Mentorea nobilitata manu*, quod dixit lib. IX, epigr. 60, 16, ut nempe matula conficiatur tuae moechae, dignus es, qui bibas impuro illo poculo gemmis ornato. Alii sic legunt, *Te potare decet gemma, qui Mentora frangis? In scaphio moechae, Sardanapale, tuae.* Hoc est: Magis tibi convenit matula tuae moechae, in qua bibas, quam pocula gemmata quae frangis.

12. — IN ZOILVM.

Ius tibi natorum vel septem, Zoile, detur;
Dum matrem nemo det tibi, nemo patrem.

Zoilus quamvis notus, nesciebatur tamen unde esset natus; quem, ius trium liberorum petentem, irridet.

1. *Ius tibi.* Non petebatur ius nisi trium liberorum, lib. II, epigr. 91, 6. At, inquit Poëta, vel septem, vel plurium liberorum ius obtineat Zoilus, semper tamen obscurus erit, et terrae filius.

13. — EPITAPHIVM PARIDIS PANTOMIMI.

Quisquis Flaminiam teris, viator,
Noli nobile praeterire marmor.
Vrbis deliciae, salesque Nili,
Ars et gratia, lusus et voluptas,
Romani decus, et dolor theatri,
Atque omnes Veneres, Cupidinesque,
Hoc sunt condita, quo Paris, sepulcro.

2. *Marmor.* Id est, sepulcrum e marmore nobilissimo et pretiosissimo effectum.

3. *Salesque Nili.* Aegyptii nempe lepido atque acuto ingenio valentes audiebant.

7. *Paris.* Suetonius in Domitiani cap. 3: *Deinde uxorem suam Domitianus, ex qua in secundo suo consulatu filium tulerat, Paridis histrionis amore deperditam repudiavit.* Quin Paridem interfici iussit Domitianus, ut constat ex Dione in Domit.

14. — DE COLONO.

Haeredes, nolite brevem sepelire colonum;
Nam terra est illi quantulacumque gravis.

1. *Sepelire colonum.* Qui, quum sit brevis staturae, vel levissimae terrae ferendae non erit par: Poëta autem ludit in hac formula, *sit tibi terra levis*, de qua lib. I, epigrammate 89.

15. — DE LIBRO SVO.

Sunt chartae mihi, quas Catonis uxor,
Et quas horribiles legant Sabinae.
Hic totus volo rideat libellus,
Et sit nequior omnibus libellis;
Qui vino madeat, nec erubescat
Pingui sordidus esse Cosmiano.

Ait poëta esse sibi libellos quos legant castissimae et pudicissimae matronae. Sed hunc librum totum lascivire vino dissolutum, unguentis delibutum, nequitias loquentem et amores.

6. *Cosmiano.* Hoc est, unguento Cosmi, de quo lib. I, epigramm. 88, vs. 2. — Quod mox affore vina et petulantia et ebrietatem denuntiat.

Ludat cum pueris, amet puellas;
Nec per circuitus loquatur illam,
Ex qua nascimur, omnium parentem,
Quam sanctus Numa mentulam vocabat.
Versus hos tamen esse tu memento
Saturnalicios, Apollinaris.
Mores non habet hic meos libellus.

8. *Nec per circuitus, etc.* Plane et aperte; verbis, ut ait Flaccus, inornatis, dominantibus et rem proprie signantibus.

10. *Quam sanctus, etc.* Quam prisci illi probique maiores nostri non erubescebant proprio nomine indigitare, et tamquam rudes Macedones, ligonem ligonis nomine appellare.

13. *Lasciva est nobis pagina, vita proba est.* Aliquid nequitiae et lepidae audaciae inesl pudicum sese affirmanti, et identidem tutum pudicitiae suae aliquid deroganti. Mihi, inquit, o Apollinaris, probi mores; at libello minime: non mihi similis libellus. Ed. P.

16. — AD LECTORES.

Qui gravis es nimium, potes hinc iam, lector, abire
Quo libet: urbanae scripsimus ista togae.
Nam mea Lampsacio lascivit pagina versu,
Et Tartessiaca concrepat aera manu.
O quoties rigida pulsabis pallia vena,
Sis gravior Curio, Fabricioque licet!
Tu quoque nequitias nostri lususque libelli
Vda puella leges, sis Patavina licet.
Erubuit, posuitque meum Lucretia librum;

2. *Vrbanae togae.* Plebi, et otiosis Quiritibus. Sic Iuvenalis, IX, 11: *salibusque intra pomoeria natis.*

3. *Lampsacio.* Priapeio: Lampsacus urbs est Mysiae, septemtrionem versus, ubi Priapus colebatur. Ortelius ab aliquibus fuisse collocatam dicit inter Parium et Priapum ad Hellespontum. Ovidius, Trist. I, x, 26: *Et te ruricola, Lampsace, tuta Deo.*

5. *Vena.* Vsitata in his vox. Persius, sat. VI, 72: *Quum morosa vago singultiet inguine vena.* Ed. P.

8. *Vda puella leges.* Vide Iuven. Sat. X, vs. 321, *Patavina licet.* Patavinae inter Italas mulieres audiebant castae et pudicae; seu quia septentrionem versus sita loca et perpetua glacie rigentibus montium iugis propiora habitantes, minus in venerem proiectae illae erant, seu quia Vrbis expertes et spurcissimae quae

Sed coram Bruto! Brute, recede, leget.

tunc urbem obtinebat luxuriae, provincialium feminarum virilitem et rusticitatem et quasi *Patavinitatem* quamdam suam servaverant. Ed. P.

10. *Sed coram Bruto, etc.* Lucretia ipsa, absente Bruto viro gravissimo, leget meos libros.

17. — AD SABINVM.

Non omnis nostri nocturna est pagina libri;
Invenies et quod mane, Sabine, legas.

1. *Nocturna.* Quam noctu tantum legas, id est petulans, atque impudica. Vid supr. epigr. 2, 3: *Personati fastus, et regula morum; Quidquid et in tenebris non sumus.*

2. *Invenies.* Versus scilicet, quos etiam sobrius possis legere, salva verecundia.

18. — IN LVPVM.

Donasti, Lupe, rus sub Vrbe nobis;
Sed rus est mihi maius in fenestra.
Rus hoc dicere, rus potes vocare?
In quo ruta facit nemus Dianae,
Argutae tegit ala quod cicadae,
Quod formica die comedit uno,
Clausae cui folium rosae corona est;
In quo non magis invenitur herba,
Quam costi folium, piperve crudum;
In quo nec cucumis iacere rectus,
Nec serpens habitare tota possit.
Erucam male pascit hortus unam;

Suburbanum praediolum poëtae donarat foenerator Lupus, ad quem sunt picta epigrammata. Hoc Poëta mirifice κατὰ μείωσιν per varias comparationes extenuat; ac tandem paronomasia concludit, malle se prandium, quam tale praedium. *Rad.*

2. *Maius in fenestra.* Hic comparationes incipiunt, per quas donum extenuat Poëta.

4. *Ruta.* Herbae genus, gallice *de la rue.* Nemora Dianae sacra.

9. *Quam costi folium.* Radix est peregrina eximio odore, Plinius lib. XII, cap. 12. — *Crudum* piper dicit, h. e. acre, vel nondum maturum.

10. *Latere* Vaticanus cod.

12. *Erucam, etc.* Vermiculum, qui olera depascitur.

Consumpto moritur culex salicto;
Et talpa est mihi fossor, atque arator.
Non boletus hiare, non mariscae
Ridere; aut violae patere possunt.
Fines mus populatur, et colono
Tanquam sus Calydonius timetur,
Et sublata volantis ungue Procnes
In nido seges est hirundinino;
Et quum stet sine falce, mentulaque,
Non est dimidio locus Priapo.
Vix implet cochleam peracta messis,
Et mustum nuce condimus picata.
Errasti, Lupe, litera sed una;
Nam quo tempore praedium dedisti,
Mallem tu mihi prandium dedisses.

12. *Salicto.* Salictum idem quod salicetum, locus salice consitus.

15. *Mariscae.* Ficus sunt insipidae: alias marisca ulceris genus est.

18. *Sus Calydonius.* Celeberrima bellua quam ad conficiendam principes omnes Graeciae coiere. Ed. P.

19. *Procnes.* Quae fuit in hirundinem mutata, cuius historia satis nota: hoc est, tota seges mei praedii vix sufficit conficiendo uni hirundinis nido.

21. *Et quum stet, etc.* Nec dimidio Priapo vel inermi locus est.

24. *Nuce picata.* Resina nempe et pice oblinebantur vasa, quibus vinum condebatur, ne spiritus vini subtiliores evanescerent. Iuv. sat. IX, 58; *Nam quis plura linit victuro dolia musto.*

27. *Mallem tu.* Hoc est litera una mutata, mallem prandium accepisse quam praedium.

19. — IN GALLAM.

Quaeris cur nolim te ducere, Galla? diserta es.
Saepe soloecismum mentula nostra facit.

Pete huius epigrammatis ingenium et expositionem a Iuvenal. Sat. VI, vs. 448 ad 457. Ad Lucilii item epigr. lib. II, cap. 46 Anthologiae, τῇ χειρὶ σολοικίζει. Martialis inquit Brodaeus Lanuvii ad portas non atrigens, dicit: *Saepe soloecismum, etc.*

2. *Soloecismum.* Notum ubique et omnibus qualis Σολοικισμὸν inter et Βαρβαρισμὸν differentia, nec nos de iis disputare tentabimus; sed unde vox illa derivetur edocere. Duae nempe fuere olim civitates quibus nomen Soli aut Solae, in Cilicia haec,

ille in insula Cypro. Cuius quum incolae Graeca quidem, sed ea corrupta et grammatices praeceptis minus consentanea lingua uterentur, σολοικίζειν dictum fuit pro male et semibarbare loqui. Caeterum vid. not. 1. Ed. P.

20. — AD LECTOREM GRAVEM.

Caesaris Augusti lascivos, livide, versus
  Sex lege, qui tristis verba Latina legis:
Quod futuit Glaphyren Antonius, hanc mihi poenam
  Fulvia constituit, se quoque uti futuam.
Fulviam ego ut futuam? Quid si me Manius oret
  Paedicem, faciam? non puto, si sapiam.
Aut futue, aut pugnemus, ait. Quid, quod mihi vita
  Carior et ipsa mentula? signa canant.
Absolvis lepidos nimirum, Auguste, libellos,
  Qui scis Romana simplicitate loqui.

1. *Caesaris, etc.* Duo primi versus sunt Martialis, ut et duo ultimi: hexastichon intermedium Augusti erat: quod citat Poëta ad excusandam carminis sui lasciviam. — *Livide* pro *invide, Zoile?* an pro tristis, severi et tetrici vultus? Eligat lector.

3. *Quod futuit, etc.* Fulvia uxor Marci Antoni (inquit Octavius) incitante Manio, quo ulciscatur mariti sui petulantiam in Glaphyra, sese offert mihi corrumpendam, immo petit: nego, horreoque non minus quam si me Manius oret ut, etc. Interminata deinde mihi bellum civile ni faciam, posthabeo ipsam vitam pudicitiae. — *Mihi.* Lepide. Nam marito poenae irrogandae erant, quas sibi a Fulvia imponi fingit Octavius.

9. *Absolvis, etc.* Apostrophe Poëtae ad Augustum; vid. not. 1.

10. *Simplicitate.* Id est, *non per circuitus locutus illam Ex qua nascimur, etc.* Vid. sup. ep. 15, 8.

21. — IN LYDIAM.

Lydia tam laxa est, equitis quam culus aheni;
  Quam celer arguto qui sonat aere trochus;
Quam rota transmisso toties intacta petauro;

1. *Equitis, etc. Equitis* pro *equi* positum censet cum aliis Brodaeus Miscell. lib. X, cap. 35.

2. *Trochus.* Lib. XIV, ep. 168.

3. *Rota petauro.* Turnebus *petaurum* putat esse lignum per rotam a petaurista traiectum, lib. VIII, cap. 4. Cornelius Vitellius contra Georgium Merulam, cap. 43, contendit petaurum ipsum esse petauristam qui se trans-

Quam vetus a crassa calceus udus aqua;
Quam quae rara vagos exspectant retia turdos,
Quam Pompeiano vela negata Noto;
Quam quae de phthisico lapsa est armilla cinaedo,
Culcita Leuconico quam viduata suo;
Quam veteres brachae Britonis pauperis, et quam
Turpe Ravennati guttur onocrotali.
Hanc in piscina dicor futuisse marina.
Nescio: piscinam me futuisse puto.

mittit per rotam quasi in aëre volantem, unde nomen. Vide Mercur. lib. III, de arte gymnastica cap. 8.

4. *Crassa.* Coenosa.

6. *Quam Pompeiano, etc.* Quam vela theatri Pompeiani (vide lib. IX, epigr. 39, 6), quae iacent laxa, ubi non tument sublata ventis.

7. *Delphitico* edd. vett. Vid. Not. Var. Vnde est sensus: Quas Delphi mittunt, inquit Domitius. P. Scriverius reponit *de phthisico, etc.* hoc est, tabe diutina ac phthisi consumptis armillae laxae excidunt.

8. *Leuconico, etc.* Lanae genere, quo culcitrae farciebantur.

10. *Ravennatis, etc.* Scil. in Ravennae paludibus degentis. — *Onocrotali.* Avis quae Aeliano, lib. XVI Hist. Animalium cap. 4. Cela esse videtur. Gillius ibidem onocrotalum esse autumat, dictum a ruditu asini, ex ὄνος et κρόταλον. Conf. et Plinius, lib. X, cap. 47.

22. — IN PAEDICONEM MASTVRBANTEM.

Mollia quod nivei duro teris ore Galesi
Basia, quod nudo cum Ganymede iaces,
Quis negat hoc nimium? sed sit satis: inguina saltem
Parce fututrici sollicitare manu.
Levibus in pueris plus haec, quam mentula, peccat;
Et faciunt digiti, praecipitantque virum.
Inde tragus, celeresque pili, mirandaque matri

1. *Duro teris ore.* Barbato. — *Galesi.* Pueri.

6. *Praecipitantque virum.* Ante tempus accelerant aetatem, faciem, et opus virile.

7. *Tragus etc.* Hircus, foetor alarum. Viros autem hirci redolent illi qui rem agunt veneream, quique ea aetate sunt quae Veneri sufficit, apiritu non coquente humorem, ut in pueris. Aristot. Problem. et ab eadem causa pili, maxime in locis humidis. Lud. Caelius lib. X, c. 54.

Barba, nec in clara balnea luce placent.
Divisit natura mares: pars una puellis,
Vna viris genita est: utere parte tua.

8. *Nec.* Ne appareant pilosi. Leves videri cupiebant Veteres.

23. — IN SILAM.

Nubere Sila mihi nulla non lege parata est;
Sed Silam nulla ducere lege volo.
Quum tamen instaret, decies mihi dotis in auro
Sponsa dabis, dixi: quid minus esse potest?
Nec futuam quamvis prima te nocte maritus,
Communis tecum nec mihi lectus erit.
Complectarque meam, nec tu prohibebis, amicam;
Ancillam mittes et mihi iussa tuam.
Te spectante dabis nobis lasciva minister
Basia, sive meus, sive erit ille tuus.
Ad coenam venies: sed sic divisa recumbes,
Vt non tangantur pallia nostra tuis.
Oscula rara dabis nobis, sed non dabis ultro;
Nec quasi nupta dabis, sed quasi mater anus.
Si potes ista pati, si nil perferre recusas;
Invenies qui te ducere, Sila, velit.

1. *Nulla non.* Hoc est, qualibet id conditione redimendum ei sit. Et eas infra vide quae enumeral.

3. *In auro.* Hoc est, aurea moneta, aureis nummis.

5. *Nec fut.* In hoc septemque qui sequuntur versiculis et thalamo et coitu vetulae huic secum interdicit.

24. — AD LABVLLVM.

Dum te prosequor, et domum reduco,
Aurem dum tibi praesto garrienti,
Et quidquid loqueris facisque laudo,

1. *Dum te prosequor, etc.* Dum clienti te saluto, deduco, reduco, tibi obsequor, assentor atque eiusmodi praesto officia, perit dies, pereunt studia carminaque.

Quot versus poterant, Labulle, nasci?
Hoc damnum tibi non videtur esse,
Si quod Roma legit, requirit hospes,
Non deridet eques, tenet senator,
Laudat caussidicus, poëta carpit,
Propter te perit? hoc, Labulle, verum est?
Hoc quisquam ferat, ut tibi tuorum
Sit maior numerus togatulorum,
Librorum mihi sit minor meorum?
Triginta prope iam diebus una est
Nobis pagina vix peracta: sic fit,
Quum coenare domi poëta non vult.

8. *Poëta carpit.* Poëtae enim invidet poëta. — *Carpit.* Vellicat et reprehendit, pro more aemulantium artificum et invidentium; invidis autem displicere, felicitatis argumento est. Sic pulchra nimis mulier mulieri parum placet.

9. *Hoc verum est?* An credibile, an aequum est? Sic Horatius: *An quodcumque facit Maecenas, te quoque verum est, Tanto dissimilem, et tanto, etc.*

10. *Tibi tuorum, etc.* Me addito caeteris tuis clientibus.

14. *Sic fit.* Vt negligantur studia, dum tecum coenare cupio.

25. — IN LINVM.

Illa salax nimium, nec paucis nota puellis,
Stare Lino desit mentula: lingua, cave.

1. *Salax*; id est lasciva, pruriens. Horatius lib. I, sat. II: *caudamque salacem.* Nempe creditum antiquis sale excitari libidinem. Crediderim tamen libentius τὸ *salax* esse a *salire.* Ed. P.

26. — AD TELESPHORVM PVERVM.

O mihi grata quies, o blanda, Telesphore, cura,
Qualis in amplexu non fuit ante meo!
Basia da nobis vetulo, puer, uda Falerno,
Pocula da labris facta minora tuis.

1. *Blanda cura.* O amor, deliciaeque domini tui, o omnibus venustior quos amavi!

4. *Facta minora.* Trita, degustata labris tuis. *Et qua tu biberis, hac ego parte bibam.* Ovid. Amor. lib. I, El. IV, vs. 42.

Addideris super haec Veneris si gaudia vera,
Esse negem melius cum Ganymede Iovi.

27. — AD FLACCVM.

Ferreus es, si stare potest tibi mentula, Flacce,
Quum te sex cyathos orat amica gari;
Vel duo frusta rogat cybii, tenuemve lacertum,
Nec dignam toto se botryone putat;
Cui portat gaudens ancilla paropside rubra
Alecem, sed quam protinus illa voret;
Aut quum perfricuit frontem, posuitque pudorem,
Succida palliolo vellera quinque petit.
At mea me libram foliati poscat amica,
Aut virides gemmas, sardonychasve pares;
Nec nisi prima velit de Tusco serica vico,
Aut centum aureolos, sic velut aera, roget.
Nunc tu velle putas haec me dare dona puellae?
Nolo: sed, his ut sit digna puella, volo.

Rogat Flaccum quo pacto amare possit meretriculam diobolarem, quae ut redimatur tota sufficit pecuniolae xeniolive vel minimum. Ed. P.

1. *Stare potest, etc.* In amica vili, quam exiguo pretio redemisse licet, ut quae poscat sex vini cyathos, duo frusta cybii, etc.

2. *Garum* liquamen ex pisce. Gall. *saumure*.

3. *Cybii.* Piscis e pelamidum genere.

4. *Botryone putat.* Ovis sepiarum, non racemo, ut vult Domitius.

5. *Paropside rubra.* Lance fictili. Rubra enim ut plurimum quam argillam figulinam vocant.

7. *Aut quum etc.* Quod si maiore cum fiducia velit magnum quiddam rogare, poscit paululum lanae illotae ad palliolum conficiendum.

9. *Foliati poscat amica.* Vnguenti ex foliis nardi aliisque foliis odoratis.

10. *Pares.* Geminas.

11. *Prima* Optima. — *Tusco serica vico* Textura sericarum et bombycinarum vestium exercebatur in Tusco vico Romae.

28. — DE NEPHRITICO, SED PHRENETICO.

Invasit medicum sica nephriticus, Aucte,
Et praecidit Hylan: hic, puto, sanus erat.

Refert de quodam qui quum medici puerum deperiret, phreneticum, id est, mente captum et amentia in furias saepe versum sese finxit. Et hinc quum medici domum intravisset, adstantibus una et hoc et puero, utrumque velut furore correptus invasit, at hunc (namque pudet clarius eloqui) ira, necaturo similis, illum vero, nec sica nec ut qui necaturus. Ludus autem; at qui minus interest ad intelligendum totum in *invasit*, et *praecidit*: quem enim furiosus invaserat, is procul dubio occidendus, *praecidendus* videbatur. Id autem num accidit? Minime, sed in hunc irruit, illum praecidit. *Praecidit* vero duplicem sensum habere iam notavimus, neque *occidit* duntaxat sonare, sed et *viro utitur quasi muliere*. Ed. P.

29. — AD PHYLLIDEM.

Languida quum vetula tractare virilia dextra
Coepisti, iugulor pollice, Phylli, tuo.
Nam quum me murem, quum me tua lumina dicis,
Horis me refici vix puto posse decem.
Blanditias nescis: Dabo, dic, tibi millia centum, 5
Et dabo Setini iugera culta soli;
Accipe vina, domum, pueros, chrysendeta, mensas.
Nil opus est digitis: sic mihi, Phylli, frica.

2. *Iugulor pollice, etc.* Sic *Mentula mensque cadit.*

3. *Murem* (*vitam*), *etc.* Lib. X, ep. 68. *Murem* legit Angelus Politianus cap. 96 Miscel. quasi dicat salacissimum: ita enim esse mures scribit probatque fere Aelianus lib. XII, de Animalibus.

5. *Blanditias nescis, etc.* quae mihi placeant: neque enim excitor fricantis et vexantis vetulae blanditiis; sed pretio, sed muneribus. Ed. P.

8. Audacius *promissa quae fricant.* Cf. Iuv. sat. VI, 296: *Quod enim non excitet inguen Vox blanda et nequam? digitos habet!* Ed. P.

30. — IN ZOILVM.

Os male caussidicis et dicis olere poëtis;
Sed fellatori, Zoile, peius olet.

1. *Os male.* Propter maledicta haec? An studio diutino impedita concoctione? Lib. IV, ep. 4.

2. *Fellatori.* Tibi nempe.

31. — IN CAECILIVM.

Atreus Caecilius cucurbitarum
Sic illas, quasi filios Thyestae,
In partes lacerat, secatque mille.
Gustu protinus has edes in ipso,
Has prima feret, alterave coena,
Has coena tibi tertia reponet.
Hinc seras epidipnidas parabit;
Hinc pistor fatuas facit placentas;
Hinc et multiplices struit tabellas,
Et notas caryotidas theatris;
Hinc exit varium coquo minutal,
Vt lentem positam fabamque credas;
Boletos imitatur, et botellos,
Et caudam cybii, brevesque maenas;
Hinc cellarius experitur artes,
Vt condat vario vafer sapore
In rutae folium Capellianae.

Irridet sordide lautum Caecilium, qui non asse comparabat centum fercula.

1. *Atreus.* Hoc est, qui dissecat cucurbitas, veluti Atreus filios fratris sui Thyestae.

4. *Gustu protinus in ipso.* Hoc est, in coenae exordio, lib. X, epigr. 31, in secunda pariter et tertia mensa apponebantur cucurbitae.

5. *Prima feret.* Caput, pompa, flos coenae. — *Alterave coena.* Secunda mensa.

7. *Epidipnidas.* Bellaria intellige, quae in secundis mensis apponebantur, a verbo ἐπιδειπνέω, id est secundam coenam perago.

8. *Fatuas facit placentas.* Insipidas et insulsas, e cucurbitis.

9. *Tabellas.* Hoc est, quadras de placenta.

10. *Caryotidas.* Quae sunt baccae palmarum.

11. *Minutal.* Cibus erat ex variis rebus minutim concisis factus.

12. *Vt lentem.* Hoc est, ut pultem existimes confectam ex lente et faba.

13. *Botellos.* Genus nempe farciminis, de quo lib. V, ep. 78.

14. *Cybii.* Piscis genus. *Maenas.* Pisciculos, de quibus Athenaeus et Plin. Hos vocitamus *anchois.*

15. *Hinc cellarius.* Promus, promuscondus.

17. *In rutae folium.* I. e. instar folii rutae Capellianae, sic denominatae vel a capillorum multitudine, vel a

Sic implet gabatas, paropsidasque,
Et leves scutulas, cavasque lances.
Hoc lautum putat, hoc putat venustum,
Vnum ponere ferculis tot assem.

capris sylvestribus quae illam depascunt.

19. *Gabatas, paropsidasque.* Lances sunt varii generis.

21. *Vnum assem ponere.* Totum convivium comparare.

32. — IN NESTOREM.

Nec toga, nec focus est, nec tritus cimice lectus,
Nec tibi de bibula sarta palude teges;
Nec puer, aut senior, nulla est ancilla, nec infans,
Nec sera, nec clavis, nec canis, atque calix.
Tu tamen affectas, Nestor, dici atque videri
Pauper, et in populo quaeris habere locum.
Mentiris, vanoque tibi blandiris honore:
Non est paupertas, Nestor, habere nihil.

1. *Nec toga nec focus est.* Describit hoc epigrammate Martialis insignem, non paupertatem, sed extremam inopiam ac mendicitatem; nec dubito quin Aristophanem imitari voluerit in Pluto, ubi πενίαν a πτωχεία eleganter distinguit. *Herald.* — *Nec toga.* Sed vilis aliquis pannus. Ἀνθ' ἱματίου μὲν ἔχειν ῥάκος, ut ait Aristophanes; et sic Catullus epigr. 20, *Furi, quoi neque servus est, neque arca, etc.* — *Nec tritus cimice lectus.* Atqui lectum eiusmodi mendico non negat Aristophanes; ἀντὶ δὲ κλίνης στιβάδα χοίνων κορέων μεστήν.

2. *Nec tibi de bibula sarta palude teges.* Sed nec tu tegetem habes pro peristromate et stragulo. Φορμὸν dicit Aristophanes. Nec teges seu storea ex ulva, scirpo, seu canna palustri.

4. *Nec sera.* Sensus est: Nec habes servum atriensem; nec canem, qui ianuam custodiat.

5. *Tu tamen.* Lib. VIII, epigr. 49: *Pauper videri vult Cinna, et est pauper.*

6. *Et in populo quaeris habere locum.* Et id cupis, id moliris ut inter cives romanos locum habere videaris, uti proletarius saltem inscribaris et capite censearis. Ed. P.

8. *Non est paupertas.* Sed mera mendicitas; pauperes enim non sunt qui nihil omnino habent, sed mendici appellandi.

33. — DE PRASINO.

Saepius ad palmam Prasinus post fata Neronis
Pervenit, et victor praemia plura refert.
I nunc, Livor edax, dic te cessisse Neroni;
Vicit nimirum, non Nero, sed Prasinus.

1. *Saepius ad palmam*, *etc.* Prasinae factioni (cui favebat Nero) obstrepebant aliarum factionum fautores, vicisse suos aurigas non propria virtute, sed gratia Imperatoris. Respondet iis Poëta falsum hoc esse, postquam Nerone mortuo et huic factioni frequens cedat palma. Incredibilis Veterum traditur ἱππομανία, quae in quatuor divisa partes (nam quatuor erant colores agitatorum) saepe ad manus, caedem et insignem cladem perveoit. Favebat una pars et potissima Prasinae factioni, quae viridata aurigabatur, altera Venetae, caerulae: tertia Russae, luteae, croceae, purpureae, roseae, qui colorea omnes ad unam factionem russam pertinent: quarta, Albae. Quibus duas postea Domitianus adiunxit argeoleam et auream. *Rader.*

3. *Dic te cessisse Neroni.* Te nempe Neronis iram et *Diis aequam potestatem* timuisse, et quae tua merito fuisset palmam imperatoris clieuli concessisse. Ed. P.

34. — DE APRO.

Aedes emit Aper, sed quas nec noctua vellet
Esse suas; adeo nigra, vetusque casa est.
Vicinos illi nitidus Maro possidet hortos.
Coenabit belle, non habitabit Aper.

1. *Aedes emit.* Optimo quidem consilio, ut nempe saepius ad caenam invitaretur a nitido et lauto Marone suo vicino.

35. — AD FABVLLVM.

Ignotos mihi quum voces trecentos,
Quare non veniam vocatus a te,
Miraris, quereris que, litigasque.
Solus coeno, Fabulle, non libenter.

1. *Trecentos* pro *multos* hic dici crediderim, ut μυρίους graece, sexcentos latine, et gallice *vingt*, *cent*, *mille*. Ed. P.

4. *Solus.* Idem scilicet videtur Martiali vel solum epulari vel inter tot ignotos. Et merito. Vbi enim, pluribus adstantibus qui se invicem omnes norunt, nullum nosti, peregrinus es quodammodo, neque contubernii aut convivalionis voluptatem ullam capis.

36. — DE CAIO PROCVLO.

Caius hanc lucem gemma mihi Iulius alba
Signat, io! votis redditus, ecce, meis.
Desperasse iuvat, veluti iam rupta sororum
Fila: minus gaudent, qui timuere nihil.
Hypne, quid exspectas piger? immortale Falernum
Funde: senem poscunt talia vota cadum.
Quincunces, et sex cyathos, bessemque bibamus,
Caius ut fiat, Iulius, et Proculus.

Soleria Caii Proculi celebrat, praeter spem vitae restituti.

2. *Redditus*, *etc.* Convalescens et restitutus ex morbo desperato.

3. *Desperasse.* Vitam Proculi — *Sororum.* Parcarum nempe, quae humanae vitae fila, illae nent, haec secat.

4. *Minus gaudent*, *etc.* Gnome. E summa tristitia saepe nascitur maxima laetitia. — Sic Virgilius Aen. lib. I, 203, postquam navigantium et errantium enumerata mala: *Forsan et haec olim meminisse iuvabit.* Ed. Par.

5. *Hypne, etc.* Puer, minister. — *Immortale.* Quia melius fit annis: et quo vetustius eo generosius.

7. *Quincunces, etc.* De hoc more ebibendi nomen amici, vide lib. I, epigr. 72; hic autem quincunx respondet τῷ *Caius*: τῷ *Iulius*, semis, id est, 6 cyathi: τῷ *Proculus*, bes, id est 8 cyathi. Adito quoque lib I, epigr. 28, vs. 2.

37. — IN ZOILVM.

Zoile, quid tota gemmam praecingere libra
Te iuvat, et miserum perdere sardonycha?
Annulus iste tuis fuerat modo cruribus aptus:
Non eadem digitis pondera conveniunt.

Zoilum e servo equitem factum exagitat; eiusque superbiam et humilitatem exprimit.

1. *Quid tota gemmam.* Iuven. sat. I, 28, sic invehitur in Crispinum: *Ventilet aestivum digitis sudantibus aurum, Nec sufferre queat maioris pondera gemmae.*

2. *Et miserum.* Hoc est, occultare nimio auro.

3 *Annulus iste.* Imprudens nempe Zoilus declarat quae sibi conditio vitae, quis status ante datam equitis dignitatem, dum annulos ita praegraves et praegrandes digitis inserit. Nam annuli ferrei servientibus in crure, qui grandes et graves; digitos leves et exigui decent. Ed. P. Zoilus autem, ut patet, ex servo factus erat modo eques, et sic eius cruribus magis quam digitis conveniebant annuli.

38. — DE MVLIONE SVRDO.

Mulio viginti venit modo millibus, Aule.
Miraris pretium tam grave? surdus erat.

1. *Viginti millibus.* Nempe sestertium.

2. *Surdus erat.* Atque ita delator esse nequibat, si forte eius dominus liberius quid dixisset: nec de criminibus sui domini a quoquam interrogandus erat. — Difficillimum vero locupletiori arcanum factis, arcanum dictis circumdedisse: *O Corydon, Corydon, secretum divitis ullum Esse putas? servi ut taceant, iumenta loquuntur, Et canis, et postes, et marmora!* etc. Iuven. sat. IX, 102. Ed. P.

39. — IN CHARIDEMVM.

Cunarum fueras motor, Charideme, meärum,
Et pueri custos, assiduusque comes.
Iam mihi nigrescunt tonsa sudaria barba;
Et queritur labris puncta puella meis.
Sed tibi non crevi: te noster villicus horret;
Te dispensator, te domus ipsa pavet.
Ludere nec nobis, nec tu permittis amare;
Nil mihi vis, et vis cuncta licere tibi.
Corripis, observas, quereris, suspiria ducis;
Et vix a ferulis abstinet ira manum.
Si Tyrios sumpsi cultus, unxive capillos;
Exclamas, Nunquam fecerat ista pater.
Et numeras nostros astricta fronte trientes,
Tanquam de cella sit cadus ille tua.
Desine: non possum libertum ferre Catonem.

1. *Motor.* Hoc est, mihi infanti cunas movisti.

3. *Sudaria.* Lintea, quae demessam modo a tonsore barbam excipiunt.

4. *Labris, etc.* A rasura asperisque durisque.

5. *Sed tibi non crevi.* Sed iudice te nequaquam crevi; nondum adolevisse me existimas; et me ut impuberem redarguis.

10. *Ferulis* « Ferulaeque tristes, sceptra paedagogorum. » Lib. X, ep. 62. Ed. P.

11. *Si Tyrios.... cultus.* Vestes purpureas intellige.

13. *Et numeras.* Sensus est: Numeras quot hauriam cyathos.

15. *Catonem.* Hoc est libertum to-

Esse virum iam me dicet amica tibi.

lerare nequeo, qui Catonem, seu censorem se gerat.

16. Gloriatur hic nequam adolescentulus institutori se amicam subripuisse, aut simpliciter, cum amica rem viriliter habuisse. Ed. P.

40. — DE LVPERCO.

Formosam Glyceren amat Lupercus,
Et solus tenet, imperatque solus;
Quam toto sibi mense non fututam
Quum tristis quereretur, et roganti
Causam reddere vellet Aeliano;
Respondit, Glycerae dolere dentes.

4. *Quum tristis.* Quum caussatus est dolorem dentium in ea obstitisse quo minus pollceftur amica, aperte fatebatur se capiti Glycerae illudere. Idem est immine genus infra, epigr. 88, 4, cuius iste finis: *Ventrem dixit habere se solutum.* Vid. quae ibi notantur.

41. — DE AMYNTA.

Indulget pecori nimium dum pastor Amyntas,
Et gaudet fama, luxuriaque gregis;
Cedentes oneri ramos, sylvamque fluentem
Vicit, concussas ipse secutus opes.
Triste nemus dirae vetuit superesse rapinae,
Damnavitque rogis noxia ligna pater.
Pingues, Lygde, sues habeat vicinus Iolas;

Allegoricum est epigramma, quo deplorat casum Amyntae pastoris, de arbore praecipitantis.

1. *Indulget, etc.* Dum vehementi studio saginat porcos.

2. *Et gaudet fama.* Hoc est, inquit Farnabius, dum laudem quaerit ex pinguibus factis suibus. *Luxuria* hic significat pinguedinem.

3. *Cedentes.* Sensus est: Amyntas conscendit quercum glandibus onustam, et incurvatam, cuius ramis fatiscentibus, et cedentibus oneri, nec tamen fractis, cecidit Amyntas; atque excussas opes, hoc est, glandes, secutus periit.

4. *Decussas* vult Anton. *de Rooy.*

5. *Dirae rapinae.* Amyntae scilicet sui filii, in cuius rogo arborem patulam nempe excisam comburi iussit.

7. *Pingues.* Sensus est: O Lygde, ne invideas alieno pecori, nec nostrum

Te satis est nobis annumerare pecus.

nimis cures, sed cave tibi a simili casu; sufficit enim te nullum ex suibus nostris amittere.

8. *Annumerare pecus.* Non studio, quo Amyntas, saginam properare.

42. — IN CAECILIANVM.

Vivida quum poscas epigrammata, mortua ponis
Lemmata: qui fieri, Caeciliane, potest?
Mella iubes Hyblaea tibi, vel Hymettia nasci;
Et thyma Cecropiae Corsica ponis api?

Egregium carmen sine egregio argumento fieri posse negat.

1. *Vivida.* Hoc est, nobilia et praeclara: — *Mortua.* Vilia atque abiecta.

4. *Et thyma Corsica.* Amara scilicet, ex quibus vel apes Atticae mel dulce conficere nequeant. Sic se api, argumentum vero flori tacite comparat Poëta, Horatium imitatus, qui lib. IV, od. II, 27 : *ego apis Matinae More modoque Grata carpentis thyma, etc.*

43. — IN VXOREM.

Deprensum in puero tetricis me vocibus, uxor,
Corripis, et culum te quoque habere refers.
Dixit idem quoties lascivo Iuno Tonanti?
Ille tamen gracili cum Ganymede iacet.
Incurvabat Hylam posito Tirynthius arcu;
Tu Megaram credis non habuisse nates?
Torquebat Phoebum Daphne fugitiva: sed illas

1. *Deprensum in puero.* Ea nimirum hora deprehensum qua puero potiebar, neque simpliciter coniugi infidelem, neque ut quodam modo par est, sed ἀρσενῶς κἀντιφυσικῶς. Ed. Par.

5. *Incurvabat, etc.* Verbum solenne ad designandum turpe ministerium. Eodem sensu Iuven. Sat. IX, 26: *Ipsos etiam* inclinare *maritos.* Et sic fere Sat. X, 224. Similiter fere de feminis κλίνειν. Vid. Theocr. Idyll. II. — *Tirynthius arcu*, Hercules, a Tirynthe oppido, ubi nutritus est cultusque.

6. *Megaram, etc.* Vxorem primam Herculis quam quidem adolescentulus et viginti vix annis natus duxit: mox ab inferis reversus, amentia subita correptus, interfecit. Vid. Euripidis Ἡρακλῆς μαινόμενος, et Senecae Hercules furens. Ed. P.

7. *Daphne.* Quam quidem primam Apollo deperiit, postquam Pythonis

Oebalius flammas iussit abire puer.
Briseis multum quamvis aversa iaceret,
Aeacidae propior levis amicus erat.
Parce tuis igitur dare mascula nomina rebus;
Teque puta cunnos, uxor, habere duos.

victor evasisset. Nota fabula et virginis in laurum arborem mutatio. Ed. P.

8. *Oebalius*, *etc.* Hyacinthus, ex Amyclis Laconiae civitate. Vide lib. XIV, epigr. 173.

9. *Briseis multum*, *etc.* Brisei filia Hippodamia, Achillis amica, qua rapta ita exarsit ut in naves secederet, et adversus Troianos praeliari negaret.

10 *Levis amicus erat.* Patroclus imberbis et glaber.

11. *Parce tuis igitur*, *etc.* Ne putes illam partem esse in feminis aeque gratam atque in maribus: lib. XII, epigr. 97.

44. — AD SENEM ORBVM.

Orbus es, et locuples, et Bruto consule natus;
Esse tibi veras credis amicitias?
Sunt verae: sed quas iuvenis, quas pauper habebas.
Qui novus est, mortem diligit ille tuam.

Monet senes, ut sibi caveant a captatoribus testamentorum et fictis amicis.

1. *Bruto consule.* Hoc est, decrepitus es: Brutus exactis regibus primus consul fuit. Formulae sic multae hyperbolicae de extrema senectute, X, XXXIX: *Consule te Bruto quid iuras, Lesbia, natam? Mentiris! nata es, Lesbia, rege Numa.*

4. *Mortem diligit*, *etc.* Captator est et haeredipeta adulatorius, vultur assidens, qui mortem tuam cupit, cadaver exspectat, ut lib. VI, epigr. 62, vs. 2.

45. — IN CANTHARVM.

Intrasti quoties inscriptae limina cellae,

1. *Inscriptae limina.* Titulum professae et habentis nomen inscriptum lupae, quae ibi merebatur. Iuv. Sat. VI, 122. *Cellae.* Gloss. *cella*, οἴκημα. Servulorum proprie receptacula, et illae partes aedium abstrusiores, ubi servi habitant, *cellae* dicuntur. Sed *cellae* saepe cubilia meretricum, φωλεοὶ ἑταιρῶν. Erant vero *cellae* non ipsa lupanaria, sed receptacula in lupanaribus, in quibus erant plures cellae tanquam cubicula, ubi scorta prostabant. Quae et praefixos habebant titulos, ubi nomina meretricum, quae et ibi merebantur, inscripta erant; ita ut qua quaeque cella staret,

Seu puer arrisit, sive puella tibi;
Contentus non es foribus, veloque, seraque,
Secretumque iubes grandius esse tibi.
Oblinitur minimae si qua est suspicio rimae,
Punctaque lasciva quae terebrantur acu.
Nemo est tam teneri, tam sollicitique pudoris,
Qui vel paedicat, Canthare, vel futuit.

ex inscriptione nosse posses. Iuv. Sat. VI, 120, de Messalina: *Et nigrum flavo crinem*, etc. Caeterum nudae stabant meretrices, ut eas inspicere possent amatores, ne qua occulta labe fallerentur.

4. *Secretumque*, etc. Grandius scelus cogitas, grandius secretum postulas.

6. *Lasciva acu.* Calamistro nempe lasciviae et gratarum improbarumque artium conscio: *Acu lasciviore comam* *sibi inserunt*, ait Tertullianus de virgine velanda cap. 12.

7. *Nemo.... Qui vel paed.* Κατ' ἀντίφρασιν, neque illepide. Sic Seneca, Natural Quaest. lib. I, cap. 16: *In perditis quoque et ad omne dedecus expositis, tenerrima oculorum verecundia est.* Et mox: *Adeo quodammodo lupanar quoque verecundum est!* Et ipse noster lib. IX, epigr. 7: *Pudor esse per te coepit et lupanari.* Ed. P.

46. — IN MAEVIUM.

Iam, nisi per somnum, non arrigis, et tibi, Maevi,
Incipit in medios meiere verpa pedes;
Truditur et digitis pannucea mentula lassis,
Nec levat exstinctum sollicitata caput.
Quid miseros frustra cunnos, culosque lacessis?
Summa petas: illic mentula vivit anus.

3. *Pannucea*, etc. Debilis, laxa, rugosa, quod et de pomis dicitur. Plinius, Hist. Nat. lib. XV, cap. 15, et Macrobius Saturn. lib III, cap. 19.

6. *Summa petas.* Os. — *Illic mentula vivit anus.* Lib. IV, epigr. 50. Vide quoque lib. III, 76.

47. — IN BLATTARAM.

Omnia femineis quare dilecta catervis
Balnea devitat Blattara? ne futuat.
Cur nec Pompeia lentus spatiatur in umbra,

3. *Pompeia*, etc. Portico Pompeii, lib. II, epigr. 14, vs. 10.

Nec petit Inachidos limina? ne futuat.
Cur Lacedaemonio luteum ceromate corpus
Perfundit gelida Virgine? ne futuat.
Quum sic feminei generis contagia vitet,
Cur lingit cunnum Blattara? ne futuat.

4. *Inachidos limina, etc.* Isidis porticum seu templum, ubi conventus et colloquia de adulteriis.

5. *Lacedaemonio luteum.* Palaestram invenisse tradebantur, certe exercebant Lacedaemonii.

6. *Virgine, etc.* Aqua frigida.

48. — IN SILIVM ITALICVM.

Silius haec magni celebrat monumenta Maronis,
Iugera facundi qui Ciceronis habet.
Haeredem dominumque sui tumulive Larisve
Non alium mallet, nec Maro, nec Cicero.

1. *Silius*, de quo lib. VII, epigr. 63. Virgilii sepulcrum in agro Neapolitano assidue coluit Silius, et Ciceronis villam emit, teste Plinio lib. XXXI, cap. 1.

3. *Tumulive.* Virgilii. *Larisve.* Aedium Ciceronis.

4. *Non alium.* Fuit enim ille haud quidem altissimi, sed promptissimi et varii ingenii vir, orator et poëta. Scilicet meo et plurium, reor, iudicio unus fuisse videtur Silius ex iis qui, ut non in arte quadam sua splendidissimi et celeberrimi ante alios, sic tamen plurimis simul neque infelici opera student. Ita ille Virgilio et Tullio longe inferior, melioris sane notae poëta quam Tullius, melioris notae orator quam Virgilius; neque administrandae reipublicae, nec rei militaris imperitus exstitit. Ed. P.

49. — DE SILIO.

Iam prope desertos cineres, et sancta Maronis
Nomina qui coleret pauper, et unus erat.
Silius optatae succurrere censuit umbrae,
Silius et vatem, non minor ipse, tulit.

1. *Iam prope desertos.* Idem argument. ac epigr. 48 supra. De Virgiliano praedio apud Arpinates a Silio empto: non fuit tumulus Virgilii Arpini, sed duobus millibus passuum ab urbe Neapoli, ut Servius, et ex Servio Leander docet, in Campania, ubi fatetur nesciri hodie certum tumuli Virgiliani locum. Cineres ergo hic memoriam Virgilii interpretare, ut mens est Martialis, quum subiungit *nomina Maronis.* Ita Raderus.

50. — IN PHYLLIDA.

Nulla est hora tibi qua non me, Phylli, furentem
Despolies: tanta calliditate rapis.
Nunc plorat speculo fallax ancilla relicto;
Gemma vel a digito, vel cadit aure lapis.
Nunc furtiva lucri fieri bombycina possunt;
Profertur Cosmi nunc mihi siccus onyx.
Amphora nunc petitur nigri cariosa Falerni,
Expiet ut somnos garrula saga tuos.
Nunc ut emam grandemve lupum, mullumve bilibrem,
Indixit coenam dives amica tibi.
Sit pudor, et tandem veri respectus, et aequi.
Nil tibi, Phylli, nego: nil mihi, Phylli, nega.

3. *Speculo relicto.* Hoc est, amisso, vel attrito; res enim relictae, ut ait Domitius, consumptae dicuntur.

4 *Vel lapis.* Pretiosus nempe.

5. *Nunc furtiva.* Sericae vestes furtivae, ait ancilla, tam vili pretio emi possunt, ut lucrifieri videantur. — Propriene furtivae, ut plurimi volunt, an clanculum et contra leges quae velant sine portorio intrare introductas? quod nos vocamus *marchandises de contrebande.* Hoc quidem ego antefern. Eo. P.

6. *Siccus onyx.* Pysidem intellige, quam Cosmi unguentis impleri postulat Phyllis.

7. *Cariosa* Vinum vetus petitur.

8. *Expiet.* Vide lib. VII, epigr. 54: *Iam prior ad faecem sed et haec vindemia venit, Exorat noctes dum mihi saga tuas.*

9. *Lupum mullumve.* Illi enim pisces ut rhombi et scari erant praecipue apud Romanos in deliciis. Immo omnes illi pisces avidissime conquirebantur, et a remotissimis littoribus vehebantur. Iuv. V, 94: *Defecit nostrum mare.* Et ὄψον proprie ad pisces relatum. Caeterum tanti fiebant obsonia ista, ut tintionabulo moverentur insignes illae gulae, si qui pretiosiores pisces asportati erant. Verum ἰχθυοπῶλαι os illis saepe sublinebant, pisces mortuos, aut veteres pro recentibus vendentes. Vnde vetitum quandoque Athenis, ne eos aqua irrigarent; quod facere solent, ut recentes videantur. Et non solum τὸ νεκρὸν, sed et magnitudo piscium notabatur a delicatis illis gurgitibus. Vide Iuv. Sat. IV, 15; Horat. etc. Gula itaque τῶν φιλόψων pisces tam caros concinnavit, ut Cato dixerit: Romae pluris venire piscem, quam bovem. Nec solum Romae, sed et in Graecia carissimi et pretiosissimi pisces. Vnde Corinthi lege cautum erat, ne quis in macello pisces saepe emeret, nisi qui aut censum suum, aut artem qua vitam tutabatur, probare posset sic delicatae et gulae et mensae veniam adepturus.

51. — DE TITIO.

Tanta est quae Titio columna pendet,
Quantum Lampsaciae colunt puellae.
Hic nullo comitante, nec molesto,
Thermis grandibus, et suis lavatur;
Anguste Titius tamen lavatur.

1. *Columna pendent.* Priapus, αἰδοῖον. Eodem sensu *columna* lib. VI, epigr. 49, vs. 3.

2. *Lampsaciae, etc.* E Lampsaco, urbe olim in Mysia septentrionali et Bithynia, ditissima simul ac celeberrima, non tam ob eximiae notae vinum et quod Anaximenes ea oriundus, quam e cultu quo et matronae et puellae Priapum condecoravere. Namque illae ibi omnes fere in solemnibus imagioem obscoenam praegrandem sane, quam vocabant Phallum, immo et Ithyphallum (ab ἰθὺς *rectus*, et φαλλός), collo ferebant, et, per urbem totam, tali ornatu pompam ducebaot. Ita quem vocabant Lingamum Indieae mulieres. Vid. s. ep. 18, et III, ep. 58.

5. *Anguste Titius, ecc.* Ipse ingens et ἀνδροσάθης: an quia sub aquis *Pellice laeva utitur?*

52. — AD IVLIVM CEREALEM.

Coenabis belle, Iuli Cerealis, apud me;
Conditio est melior si tibi nulla, veni.
Octavam poteris servare: lavabimur una;
Scis, quam sint Stephani balnea iuncta mihi.
Prima tibi dabitur ventri lactuca movendo
Vtilis, et porris fila resecta suis;
Mox vetus, et tenui maior cordylla lacerto;
Sed quam cum rutae frondibus ova tegant.
Altera non deerunt tenui versata favilla;
Et Velabrensi massa recocta foco:

1. *Coenabis belle.* Apud me. Exstat et tali fere initio lepidissimum Catullianum: *Coenabis bene, mi Fabulle apud me.* Sed et argumentum valde aliud est; et rhythmus pro distichis hendecasyllabus. Ed. P. — *Iuli Cerealis.* Qui fuit poëta illustris, de quo Plinius iunior lib. II, epist. XIX.

4. *Stephani.* Cuius mentionem fecit Suetooius in Domit; sed nescio an sit idem.

9. *Tenui versata.* Sorbilia ova intellige.

10. *Et Velabrensi.* Caseum Vela-

Et quae Picenum senserunt frigus olivae;
Haec satis in gustu: caetera nosse cupis?
Mentiar, ut venias: pisces, conchylia, sumen,
Et cortis saturas, atque paludis aves;
Quae nec Stella solet rara nisi ponere coena.
Plus ego polliceor: nil recitabo tibi.
Ipse tuos nobis relegas licet usque Gigantas,
Rura vel aeterno proxima Virgilio.

brensem interpretare foco et fumo induratum, lib. XIII, epigr. 32. Velabrum vero regio erat urbis Romae.

12. *Haec satis in gustu.* Hoc est, in exordio coenae, epigr. 31 supra. Sensus est, inquit Raderus, caput coenae lautius apponam verbis. In lautioribus conviviis locum praecipuum habebant pisces, quod quidem explicuimus non ita pridem. Vid. supra quae notata ad epigr. 50, vs. 9.

13. *Conchylia.* Sunt ostrea quae quidem, velut pisces, delicatae gulae helluonibus valde placuere. Illud autem praecipue in caussa, quod ut tubera, libidinis et immodicae petulantiae irritamentum ea existimavere. Vnde acerrime, quod solet, Iuv. Sat. VI, 301: *Inguinis et capitis quae sint discrimina nescit, Grandia quae mediis iam noctibus ostrea mordet.* Ed. P. — *Sumen* autem pupillam aiunt suis effetae: lib. XIII, ep. 44.

14. *Cortis saturas.* Gallinas. — *Paludis aves* Anates.

15. *Mensa* pro *coena* Ms. Beverl. — *Nec Stella, etc.* Non ipse lautus et nobilis Stella.

16. *Nil recitabo tibi* Namque convivas suos importuna lectione saepe enecabant istae hirudines.

17. *Gigantas.* Hoc est, poëma de Gigantibus.

18. *Rura.* Opus de Agricultura, non inferius Georgicis Virgilii. — *Aeterno.* Hoc est, immortali, cuius nomen, cuius versus numquam Libitina abolebit.

53. — DE CLAVDIA RVFINA.

Claudia caeruleis quum sit Rufina Britannis
Edita, quam Latiae pectora plebis habet!

Claudiam Rufinam Britannam laudat a venustate, ingenio, fecunditate: precaturque ei tribus natis natabusque totidem generos et nurus. *Rader.*

1. *Caeruleis Britannis.* Quod se glasto colorabant, vel quod caerulei dicuntur insulares, ut ait Domitius. — Caeruleos dictitari insulares! Scilicet quod caeruleus color Oceano qui insulas alluit? puerilis error venantium nova et παράδοξα! Caerulei vocantur Britanni, quod et flava utplurimum caesarie et candida cute et caesiis oculis sunt. Quod in Germanis et Sarmatis et populo quolibet polos aut polis propiora habitante animadver-

Quale decus formae! Romanam credere matres
  Italides possunt, Atthides esse suam.
Di bene, quod sancto peperit fecunda marito,
  Quod sperat generos, quodque puella nurus.
Sic placeat Superis, ut coniuge gaudeat uno,
  Et semper natis gaudeat illa tribus.

lere est. Et diu ante Martialem Horatius epod. libro, od. XVI, 7: *Nec fera caerulea domuit Germania pube*. Ed. P.

3. *Romanam, etc.* Neque enim cedit Graecis dominis aut matronis Latinis. Immo tam elegans est Claudia, ut Romani possint credere esse Lucretiam, Graeci Helenam.

4. *Italides.* Vel propter linguam Latinam et Graecam, quam callebat, ut Domitius; vel propter formae elegantiam, ut censet Raderus. — Atthis vero, a qua Atthides dicuntur, fuit una Cranai regis Atheniensium filia, a qua regio Attica denominata est.

6. *Quod.* Illa scilicet iuvenis uxor speratura merito est plures filios filiasque, et inde domum suam laetis matrimoniis locupletem.

54. — IN ZOILVM.

Vnguenta, et casias, et olentem funera myrrham,
  Thuraque de medio semicremata rogo,
Et quae de Stygio rapuisti cinnama lecto,
  Improbe de turpi, Zoile, redde sinu.
A pedibus didicere manus peccare protervae.
  Non miror furem, qui fugitivus erat.

Zoilum fugitivum servum et sepulcralem furem exagitat.

1. *Vnguenta, et casias.* Munera nempe, quae rogis imponi solebant; nam odoriferas segetes et unguenta multa rogis et sepulcris et urnis spargere mos frequentissimus: lib. X, epigr. 97.

3. *De Stygio rapuisti.* Stygius nempe lectus feretrum est, quod violasse et spoliasse summum scelus habitum est.

5. *A pedibus.* Servus enim fugitivus fuerat Zoilus, atque ita fugiens e domino, iam se ipsum illi surripuerat: quod ergo pedes exemplum malum dederant, id parva interposita mora secutae sunt manus. De Zoilo saepius dictum.

55. — DE LVPO, AD VRBICVM.

Hortatur fieri quod te Lupus, Vrbice, patrem,
Ne credas: nihil est, quod minus ille velit.
Ars est captandi, quod nolis velle videri;
Ne facias optat, quod rogat ut facias.
Dicat praegnantem tua se Cosconia tantum;
Pallidior fiet iam pariente Lupus.
At tu consilio videaris ut usus amici,
Sic morere, ut factum te putet esse patrem.

Monet Vrbicum, ut Lupum captatorem fallacem fallat, etsi callidus consilium suum tegat et simulet sibi esse in votis amico dari liberos a coniuge.

1. *Hortatur fieri, etc.* Quod Lupus te hortatur liberis operam dare. Vel, quod Lupus tibi vovet liberos ex uxore. — *Fieri patrem.* Nempe adoptando filium, vel potius generando, cui relinquas tua bona.

3. *Quod nolis, etc.* Hoc est: *Nolle videri velle* captare testamentum una est ex artibus his plurimis quas, ut voti certius compotes fiant, adhibent heredipetae. Ed. P.

5. *Dicat praegnantem, etc.* Fingat modo se concepisse. — *Tua Cosconia.* Vxor tua.

7. *Amici.* Lupi, qui amice et fideliter hoc consuluisse videri vult.

8. *Vt factum.* Hoc est, morere facto testamento, in quo captatori nihil relinquas.

56. — IN CHAEREMONEM.

Quod nimium laudas, Chaeremon Stoice, mortem,
Vis animum mirer suspiciamque tuum.
Hanc tibi virtutem fracta facit urceus ansa,
Et tristis nullo qui tepet igne focus;
Et teges, et cimex, et nudi sponda grabati,
Et brevis, atque eadem nocte dieque toga.

Chaeremonem, mortem ex sententia Stoicorum contemnendam dictitantem, suggillat; ostenditque eum non ex animi constantia vitam odisse, sed ob mendicitatem lucem fugere. Fortis ille est, qui προαιρέσει non ἀνάγκῃ contemnit mortem. *O vita misero longa, felici brevis!* inquit Publius. *Rader.*

3. *Hanc tibi virtutem, etc.* Non hoc facis ex virtute et fortiter, sed ex inopia rerum et pusillanimitate.

5. *Et teges, etc.* Epigr. 32 supra: *Nec toga, nec focus est, nec tritus cimice lectus.*

6. *Brevis.* Scilicet ampliores togas et quae in vastos et multiplices sinus effunderentur proceres et divites Ro-

O quam magnus homo es, qui faece rubentis aceti,
Et stipula, et nigro pane carere potes!
Leuconicis agedum tumeat tibi culcita lanis,
Constringatque tuos purpura texta toros;
Dormiat et tecum, qui, quum modo Caecuba miscet,
Convivas roseo torserat ore, puer;
O quam tu cupies ter vivere Nestoris annos,
Et nihil ex ulla perdere luce voles!
Rebus in angustis facile est contemnere vitam.
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

mae habebant; pauperes, brevem, non semper togam, sed creberrime tunicam. Ed. P.

7. *O quam*. Per ironiam.

9. *Leuconicis*. Vide lib. XIV, epigr. 159, ubi de iisdem mentio facta.

11. *Dormiat*. Dormire pro *concumbere* saepius dictum. Vnus ex multis Iuven. Sat. VI, 34: *Nonne putas melius quod tecum pusio dormit? etc.* Quod quidem et Graecis olim usitatum. Aristophanes in Concionant. Act. V, scen. II: Εἶθ' ἐξῆν παρὰ τῇ νέᾳ καθεύδειν, Καὶ μηδὲν πρότερον διαπεποδῆσαι! Mox, scen. III: Οὐ γὰρ ἡλικίαν ἔχει παρὰ σοὶ καθεύδειν, τηλικοῦτος ὤν. Et sic millies. Ed. P.

13. *O quantum cuperes* ed. in MS. Paris. 1617 marg. — *Ter vivere Nestoris annos*. De Nestore saepius iam diximus. — *O quam tu cupies*. Tunc acerbissimum erit linquere quidquid in deliciis et pretio fuit. Nec nisi inter voluptates has amoris et mensae ingemiscebat Horatius, lib. II, od. XIV, vs. 21, haec canens: *Linquenda tellus et domus et placens uxor, etc.* Ed. P.

16. *Qui miser esse potest*. Hoc est, qui non aegre fert paupertatem. — Aut latius sumpto sensu: Et is est fortis qui vitam, quum beatus et est et futurus est, linquit, et is qui quum miserum sese et esse et diu fore intelligit, tamen vivit. Qui versiculus bene contra eos proferretur qui manus sibi illaturi, fortitudinem id putant. Ed. P.

57. — AD SEVERVM.

Miraris, docto quod carmina mitto Severo,
Ad coenam quod te, docte Severe, vocem?

Caussam reddit, cur poëtam eximium donet carmine, cur saturum seu divitem pauper invitet. Videor ita ego, inquit Noster, γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας, lignum in sylvas, aquas in mare ferre!

1. *Miraris, docto, etc.* Qui scilicet meliora multo, quam ego unquam factitabo, carmina pangit. Vid. lib. IX, epigr. 27.

2. *Ad coenam, etc.* Modicam nempe, quum beatior tu et multo opulentior

Iupiter ambrosia satur est, et nectare vivit;
Nos tamen exta Iovi cruda merumque damus.
Omnia quum tibi sint dono concessa Deorum,
Si quod habes, non vis; ergo quid accipies?

eximie domi epuleris. At contra Horatius, lib. III, Od. xxix, va. 13: *Plerumque gratae divitibus vices, mundaeque parvo sub lare pauperum Coenae, sine aulaeis et ostro Sollicitam explicuere frontem.* Non haec in causa affert Martialis, sed Diis dari, dedicari multa iis sane inferiora quae possideat.

3. *Iupiter ambrosia.* Dona tamen nostra non respuit. De ambrosia vero et nectare quae vel pueris notissima sunt, supervacuum sane foret dicere.

6. *Si quod habes.* Si ea dare licetet tantum quibus indiges, tibi omnium rerum copia abundanti, nihil iam dare possemus.

58. — IN TELESPHORVM.

Quum me velle vides, tentumque, Telesphore, sentis,
Magna rogas: puta me velle negare nihil.
Et nisi iuratus dixi, dabo, subtrahis illas,
Permittunt in me quae tibi multa, nates.
Quid si me tonsor, quum stricta novacula supra est,
Tunc libertatem, divitiasque roget?
Promittam; nec enim rogat illo tempore tonsor,
Latro rogat: res est imperiosa timor.
Sed fuerit curva quum tuta novacula theca,

Improbum et aeaquilascivum epigramma, quod in quibusdam et pudet et necessarium est interpretari. Quod ad argumentum spectat, puerum quemdam suum Telesphorum saevitiae arguit et avaritiae; quippe qui in lectulo, ubi amans dominus *non animo tantum, verum etiam corpore ipso ad libidinem inquies alioquin et petulans, etiam saucius paulisper inguinum fine.* (Apul. Asin. lib. II), multa iterum atque iterum dari sibi petit, et ni promittantur, copiam sui dare denegat. Ed. P.

1. *Tentumque.* Hoc est, σφριγῶντα καὶ ἤδη ἐνεργαῖν δυνάμενον (Longi Daphn. et Chl. lib. III), prurientem. Pruriginem de feminis magis proprie dici credam, tentiginem de viris; ut lib. VII, epigr. 66, va. 2, de Philaeni: *Tentigine saevior mariti.* Iuvenalis tamen famoso versu de Messalina vividius: ..... *adhuc ardens rigidae tentigine vulvae.* Sat. VI, va. 129. Ed. P.

4. *Permittunt.* Nam sunt in causa cur a me multa imperiosius petas.

7. *Nec enim rogat, etc.* Non iam quatenus tonsor, sed quasi latro.

Frangam tonsori crura manusque simul.
At tibi nil faciam : sed lota mentula laeva
Λειχάζειν cupidae dicet avaritiae.

59. — DE CHARINO.

Senos Charinus omnibus digitis gerit,
Nec nocte ponit, annulos,
Nec quum lavatur: caussa quae sit, quaeritis?
Dactyliothecam non habet.

Charinum quemdam cavillatur, qui opum et magnificentiae ipse suae ambitiosus ostentator, modicis tamen divitiis censebatur; et dum in quibusdam beatus videretur, pauper in mullis erat. Sic in annulis emendis pecuniae multum contulerat; neque ei quidquam remanebat quo dactyliothecam emeret, quod tamen et minoris multo pretii, et ei necessarium qui annulorum multitudine gaudet. Non est autem turpe annulis senis carere, annulorum repositorio indigere turpissimum. Ed. P.

4. *Dactyliothecam.* Repositorium scilicet in quo reponuntur et servantur annuli, quos ad certos tantum dies conducebat Charinus. — Sic ante nos omnes; sed vide quae primo notavimus. Ed. P.

60. — DE CHIONE ET PHLOGIDE.

Sit Phlogis, an Chione Veneri magis apta, requiris?
Pulchrior est Chione; sed Phlogis ulcus habet.
Vlcus habet, Priami quod tendere possit alutam,
Quodque senem Pylium non sinat esse senem.
Vlcus habet, quod habere suam vult quisque puellam,
Quod sanare Criton, non quod Hygia potest.

Feminas duas comparat Phlogin et Chionem, et utra sit voluptatem requirenti anteferenda interrogat. Neque in promptu responsio! Haec enim multo pulchrior, illius formam nemo laudaverit: at haec frigida est et quasi marmor, illa tota ignis, prurigo, nequitia. Nec temere data nomina utrique, quum Chione (a χιών, nis) nivis frigidae similem indicat, Phlogis (a φλόξ, flamma) igneam et aestuantem. Ed. P.

3. *Vlcus habet.* Veneris sensum, urticas, prurigiuem, lasciviam. — *Priami quod*, etc. Quo nempe *incendi iam frigidus aevo Laomedontiades et Nestoris hernia possit.* — *Alutam.* Nervum languentem et laxum instar alutae.

6. *Quod sanare, etc.* Nam lune *femina simplex* (Iuven. sat. VI, 327), cui medicus, non medica, opem ferre potest.

At Chione non sentit opus, nec vocibus ullis
Adiuvat: absentem, marmoreamve putes.
Exorare, Dei, si vos tam magna liceret,
Et bona velletis tam pretiosa dare;
Hoc quod habet Chione corpus, faceretis haberet
Vt Phlogis; et Chione, quod Phlogis ulcus habet.

7. *Non sentit opus.* « Falua est » ut de Laufella dixit lib. III, epigr. 72. Ovidius III vs. 799 de Arte: *Infelix cui torpet hebes locus ille, etc.* — *Nec vocibus ullis.* Καὶ σὺ μένεις ἁπλῶς, οὐδὲν ἐρῶντος ἔχεις. Anthol. lib. VII, epigr. Philodemi, et infra epigr. 104.

61. — DE MANNEIO.

Lingua maritus, moechus ore Manneius,
Summoenianis inquinatior buccis;
Quem quum fenestra vidit a Suburrana
Obscoena nudum lena, fornicem cludit,
Mediumque mavult basiare, quam summum;
Modo qui per omnes viscerum tubos ibat,
Et voce certa, consciaque dicebat,
Puer, an puella matris esset in ventre;
(Gaudete cunni; vestra namque res acta est)
Arrigere linguam non potest fututricem.
Nam, dum tumenti mersus haeret in vulva,
Et vagientes intus audit infantes,
Partem gulosam solvit indecens morbus:

1. *Moechus*, etc. Λείχων, φοινικίζων, θύων.

2. *Summaenianis*, *etc.* Ipsis prostibulis Suburranis; lib. I, epigram. 35. *Quorum artificis valet halitus oris*, *etc.* Iuven. Sat. X, 238.

4. *Nudum.* In lupanaribus nudae prostabant meretrices.

5. *Mediumque*, *etc.* Τὴν ἕδραν μᾶλλον τοῦ στόματος. Sic fere sat. VI, 51, Iuvenalis: *Quarum non timeat pater oscula.*

10. *Arrigere linguam fututricem.* Lepide duo haec vocabula quae huic voluptati proprie non conveniunt, sed per μεταφοράν. Sic supra dixerat: *lingua maritus*, *moechus ore.*

13. *Partem gulosam solvit*, *etc.* Linguam reddidit inertem, immobilem, nec amplius operi venereo idoneam. — *Indecens morbus.* Paralysisne ἀπὸ τῆς ἀφέδρου καὶ τῶν ἐμμηνιῶν, quorum malefico humore marcescunt segetes, apes immoriun-

Nec purus esse nunc potest, nec impurus.

tur, etc. (Plin. lib. VII, cap. 45), an sideratio? ot ep. 85 infra.

14. *Nec purus, etc.* Morbo illo contaminatus. — *Nec impurus.* Lingua, ut prius, moechus.

62. — DE LESBIA.

Lesbia se iurat gratis nunquam esse fututam.
Verum est: quum futui vult, numerare solet.

1. *Gratis nunquam, etc.* Sine pretio. Voluit superbior illa significare pretio *accepto*, intelligit Poëta malignus *dato*.

63. — IN PHILOMVSVM.

Spectas nos, Philomuse, quum lavamur;
Et quare mihi tam mutoniati
Sint leves pueri, subinde quaeris.
Dicam simpliciter tibi roganti:
Paedicant, Philomuse, curiosos.

1. *Despectas* vult Ramiresius, de Priapo intelligens.

1. *Spectas, etc.* Nam lavabantur promiscue nudi in balneis, et in his saepe eligebant viri lascivi et mulieres, quos vel quas amarent. Vid. Iuvenal. sat. IX, 35, *quamvis te nudum spumanti Virro labello Viderit.* Eo. P.

5. *Curiosos, etc.* Similes tui cinaedos, dum curiosis oculis vel devorantibus spectas, quaerisque per balnea mutoniatos.

64. — IN FAVSTVM.

Nescio tam multis quid scribas, Fauste, puellis:

1. *Nescio ..... puellis.* Meo quidem iudicio, ambiguum est, et in hoc versiculo puellos haud minus significat quam puellas, licet aliis in locis saepius puellas. Innuit ergo Noster puerorum amatorem, dum ait: Puellis scribis; tibi puella nulla, ergo puelli. Caeterum haud diffiteor nulli hunc sensum succurrisse. Vide inf. Eo. P. — *Hoc scio, quod scribit.* «Interpretantur, quasi velit Martialis: Scio uullam puellam tibi scribere: et eius sensus causas divinant. At ego credo Fr. Sanctio, *Scio quod*, bene latine non dici, quidquid contra moliatur Scioppius, cui alio tempore respondebimus. Nec tamen optimus Sanctius hic feliciter, quum explicat: Tu multa scribis puellis, quum sis paedico, ut videlicet te ostendas puellarum ama-

Hoc scio, quod scribit nulla puella tibi.

torem; sed ego scio quid scis, propter quod nulla tibi rescribit, quia pueros amas. Non haec mens Martialis, sed ista: Haud scio rem quam tu scribis tam multis puellis: unam rem scio quam prae pudore nulla tibi audet scribere puella; nempe te esse aut fellatorem, aut irrumatorem, aut liogonem. *Gronov.* — *Nulla puella tibi.* An itaque pueri? quam nos explicationem supra proposuimus. An hinc voluit se videri in gratia esse apud puellas, quarum tamen nulla illi rescripsit. Lib. III, epigr. 63.

65. — IN IVSTINVM.

Sexcenti coenant a te, Iustine, vocati
Lucis ad officium, quae tibi prima fuit:
Inter quos, memini, non ultimus esse solebam;
Nec locus hic nobis invidiosus erat.
Postera sed festae reddes solemnia mensae:
Sexcentis hodie, cras mihi natus eris.

Queritur a Iustino, quod ipsum, ut olim, ad natalitias dapes non invitarit.

1. *Sexcenti*, *etc.* Permulti, συνεκδοχικῶς.

2. *Lucis ad officium.* Quos invitas ad celebrandum diem tuum natalem. Mane enim sacrificabant in eiusmodi solemnitatibus. *Officium* autem hic proprie omnino. Plin. lib. I, ep. 5, 11: *Paucos post dies ipse me Regulus convenit in Praetoris officio.* In nuptiis hoc officium frequens. Petronius: *Consurrexit ad officium nuptiale.* Iuven. sat. II, 134: *Quae causa officii? quid quaeris? nubit amicus.* Hinc et *officia* dicuntur a Iuvenale sat. X, 41, clientes, haec et eiusmodi officia patronis praestantes: *Illinc cornicines, hinc praecedentia longi Agminis officia.* Τὰ καθήκοντα eodem modo reperio apud Lucianum in Somnio. *Heraldus.*

4. *Nec locus hic.* Quia non primarius quidem ego, sed nec eram ultimus.

5. *Cornae* cod. in marg. ed. Par. 1617. — *Postera*, *etc.* Iam vero me velut imi ordinis amicum invitas ad reliquias et analecta, et quidquid vilissimi convivatores auferre non dignati sunt in crastinum ex convivio.

6. *Sexcentis hodie.* Sic explicant interpretes: A te invitati hodie ad te mittant munera natalitia, ego vero cras mittam: hoc est, nunquam mittam. Sed lubentius ego cum Grutero simpliciter interpreter, quod Poëta mallit se postero die ad reliquias convivii invitari, quam ipso natali die, propter nimiam convivarum turbam.

66. — IN VACERRAM.

Et delator es, et calumniator;
Et fraudator es, et negotiator;
Et fellator es, et lanista: miror
Quare non habeas, Vacerra, nummos.

1. *Delator es, et calumniator, etc.* Quinque in his versiculis voces eamdem et quidem asperam satis terminationem praeferunt; sed hinc dicacitatis et acuminis non parum accedit.
3. *Lanista.* Magister gladiatorum.
4. *Non habeas nummos.* Quia nempe per malas artes facilius tunc Romae, quam per bonas ditescere. Vnde quidam ita, ad libertum qui opes suas superbus iactitabat, quasi paupertatem philosopho exprobrarat: Ditior fiam ego quam tu, ubi tam malus quam tu esse voluero. Ed. P.

67. — IN MARONEM.

Nil mihi das vivus: dicis, post fata daturum.
Si non es stultus, scis, Maro, quid cupiam.

2. *Quid cupiam.* Nempe tuam mortem, ut id tandem consequar quod mihi vivus promittis, sed quod nunquam, te vivo possidebo.

68. — AD MATHONEM.

Parva rogas magnos: sed non dant haec quoque magni.
Vt pudeat levius te, Matho, magna roga.

1. *Non haec quoque.* Pro, ne haec quidem.
2. *Vt pudeat levius.* Minor quippe ignominia erit, si magnae rei, quam si parvae repulsam patiaris. De Mathone caussidico saepius dictum.

69. — EPITAPHIVM CANIS LYDIAE.

Amphitheatrales inter nutrita magistros
Venatrix, sylvis aspera, blanda domi,

Nobile epigramma in canem venatricem ab apro interfectam; quam eum Procyone et Sirio in caelum relatis, cumque Homerico Vlyssis cane Argo confert. Percusserat Lydiam aper populo notam et caram; cuius hic ingenium in feras asperum, blandum in dominos, mortemque honestam describit. *Rader.*

1. *Amphitheatrales.* In amphitheatro venationes saepe exhibitae. Vide lib. Spect. — *Magistros.* Qui venationibus praeerant.

Lydia dicebar, domino fidissima Dextro,
Qui non Erigones mallet habere canem,
Nec qui, Dictaea Cephalum de gente secutus,
Luciferae pariter venit ad astra Deae.
Non me longa dies, nec inutilis abstulit aetas,
Qualia Dulichio fata fuere cani.
Fulmineo spumantis apri sum dente perempta,
Quantus erat, Calydon, aut, Erymanthe, tuus.
Nec queror, infernas quamvis cito rapta sub umbras:
Non potui fato nobiliore mori.

3. *Lydia dicebar.* Canis ipsa loquens inducitur.—*Fidissima Dextro* vel *dextra*, hoc est, fida hero, simpliciter, aut tam fida hero meo, quam dextra propria.

4. *Erigones.* Fuit haec filia Icarii, qui canem Maeram secum duxerat, quum Atticam peragrans interfectus fuit a pastoribus. Erigone autem, cane Maera duce, reperit cadaver Icarii mortui, quo viso se suspendit puella, et Maera canis, seu Neaera, ut volunt alii, desiderio dominorum contabuit, et in caelum translata, canis caelestis dicitur: Erigone vero Virgo, et Astraea. Raderus ex Hygino.

5. *Nec qui, Dictaea.* In Creta canes egregii: hoc est, nec canis Laelaps, quem marito suo Cephalo dederat Procris, quorum historia satis nota, domino carior fuit; nunc ille in caelum translatus, Sirius ardor, et Canicula dicitur, stellarum fulgentissima, atque infesta humanis corporibus. Sic idem Raderus ex eodem Hygino.

6. *Luciferae pariter, etc.* Ad Lunam, seu Dianam gaudentem venatione et canibus. Vel quod inter astra relatus est a Iove. — *Luciferae.* Dianam seu Lunam intellige, quae venationi dedita gaudet canibus.

7. *Non me longa dies.* Neque eram annosa ut ille Vlyssis canis Argus, qui reversum post viginti annos agnovit herum.

8. *Dulichio fata fuere cani.* Argus canis Vlyssis celebratur carmine Homeri Odyss. lib. XVII. Dulichium insula Vlyssi quondam subiecta cum Ithaco monte. Sic Raderus ex Mela et aliis. Dulichii insulae meminit Strabo lib. X, quam eamdem cum Cephallenia quidam affirmarunt, sed male, ut refert idem Strabo ex Homero, cuius testimonio ostendit neque Dulichium esse Cephalleniam, neque ad Cephalleniam pertinere, quod Andro scripsit: quum Dulichium Epei obtinuerint, totam Cephalleniam Cephallenes; hique Vlyssi paruerint, illi Megeti. Iudicet lector.

9. *Fulmineo dente, etc.* Oblique ferienti vel urenti instar fulminis; vel simpliciter quod inesse aprorum dentibus igneam vim credebant Veteres. Confer Xenophon in Κυνηγητ. et Oppian. 3, Κυνηγητ. βιβλ. γ. » Λευκὸν ὀδόντα Λάθριον ἐντὸς ἔχειν μαλερὴν πυρόεσσαν ἐνιπήν; Ovid. Met. I, 305: *nec vires fulminis apro.*

10. *Calydon.* In casu vocandi ut mox *Erymanthe.* Mons Arcadiae, ubi erat aper dictus Erymanthius, quem interfecit Hercules.

12. *Fato nobiliore.* Nempe interfecta a fera tam praestanti.

70. — IN TVCCAM.

Vendere, Tucca, potes centenis millibus emptos?
Plorantes dominos vendere, Tucca, potes?
Nec te blanditiae, nec verba, rudesque querelae,
Nec te dente tuo saucia colla movent?
Ah facinus! tunica patet inguen utrimque levata;
Inspiciturque tua mentula facta manu.
Si te delectat numerata pecunia, vende
Argentum, mensas, myrrhina, rura, domum.
Vende senes servos, agros et vende paternos:
Ne pueros vendas, omnia vende miser.
Luxuria est emere hos (quis enim dubitatve, negatve?),
Sed multo maior vendere luxuria est.

In prodigum qui, decocto patrimonio, ut pecuniae aliquid sibi comparet, servos iam vendit centenis millibus emptos, pueros nempe eximiae pulchritudinis quos et pocillatores simul et amasios habebat; sic Iuvenalis V, 61, *nescit tot millibus emptus Pauperibus miscere puer.* Ed. P. — Iam post τὸ *millibus* sestertium subaudiri debet.

1. *Potes.* Sustines.

2. *Plorantes dominos, etc.* Pueros nempe amasios, ut amicae dictae sunt *dominae.* Male quidam intelligunt pueros plorantes orantesque te dominum ne veneant dominis aliis.

3. *Rudesque querelae.* Pueriles, non fictae.

4. *Dente tuo saucia, etc.* Dum amore furens impressisti eorum cervicibus memorem dente notam. Imitatus est, aut certe in mente habuit, Horatianum illud lib. I, od. XIII, vs. 11 et 12: *sive puer furens Impressit memorem dente labris notam.* Ed. P.

5. *Tunica, etc.* Nempe nudi exponebantur, ut liceret ementibus pulchritudinem eorum et dotes nosse antequam de pretio ageretur. Vnde illud Iuven. Sat. IX, 35, quod iam supra retulimus, pag. 631: *Te quamvis nudum, etc.* Nisi tamen credere malis in balneis hunc cinaedum aspici, de quo hoc loco Iuvenalis. Ed. P.

8. *Argentum.* Id est, argentea vasa, caelaturas. — *Myrrhina, etc.* Lib. XIV, ep. 113. Et eo nomine omnem gemmeam supellectilem.

71. — DE LEDA.

Hystericam vetulo se dixerat esse marito,

1. *Hystericam, etc.* Vteri (graece ὑστέρων) strangulatione laborantem, cui morbo praescribunt remedium medici validam congressus succussatio-

Et queritur futui Leda necesse sibi:
Sed flens atque gemens tanti negat esse salutem,
Seque refert potius proposuisse mori.
Vir rogat, ut vivat, virides nec deserat annos;
Et fieri, quod iam non facit ipse, sinit.
Protinus accedunt medici, medicaeque recedunt,
Tolluntur que pedes: o medicina gravis!

nem. *Hictericam* in vett. edd. vid. ep. 8, ubi scripsimus sine aspiratione *ictericam*.

3. *Sed flens, etc.* Sed tamen lacrymans dissimulat tanti sibi vitam aestimari, et interire se malle ait quam istius modi convalescere remedio; *et mittar*, inquit, *ad umbras*, *Pallentes umbras Erebi*, *Noctemque profundam Ante, pudor, quam te violo, aut tua iura resolvo* (Virgil. Aeneid. lib. IV, 25 sq.) Ed. P.

5. *Virides.* Aetatis flore moriatur.

6. *Fieri.* Ab aliis scilicet. — *Quod iam non facit ipse* senex et languidus.

7. *Medici, etc* Istiusmodi enim malum est *quod sanare Criton, non quod Hygia valet* Vid. ep. 60, et quae ad haec notavimus. Ed. P.

8. *Tolluntur que, etc.* In Venerem; vide lib. X, epigr. 81, vs. 4. — *Gravis.* Scoptice.

72. — DE NATA.

Drauci Nata sui vocat pipinnam,
Collatus cui Gallus est Priapus.

1. Ianus Parrhasius et Caelius Rhod. legunt *vepenem*, exponuntque: Nata vastum subactoris sui virile, diminutivo nomine appellat vepenem, i. e. (nam *ve* particula est qua diminutio vulgo significatur) parvulum penem, cui tamen si conferas Priapum ipsum (lib I, ep. 36, v. 15) videatur prae hoc Gallo eviratus. Optime Ianus et Caelius, quippe qui rem et sensum acu tetigere. At de scriptura falluntur. Quid enim mutato opus est? Idem hic est quoad sensum, *vepenam et pipinnam*. At hoc licet minus latinum, elegantiae forsan plus habet, et feminei gannitus, quo quidem lingua identidem variatur et verbis novis opulescit, lasciviam magis denotat. Ed. P.

73. — IN LYGDVM.

Venturum iuras semper mihi, Lygde, roganti:
Constituisque horam, constituisque locum.
Quum frustra iacui longa prurigine tentus,

1. *Venturum, etc.* Te scilicet. *Lygde.* Lygdus, Lygdamus usitata servulis et iis amasiis nomina.

3. *Longa prurigine tentus.* Vid. ep. 58 supra. — *Longa* autem est diutina:

Succurrit pro te saepe sinistra mihi.
Quid precer, o fallax, meritis et moribus istis?
Vmbellam luscae, Lygde, feras dominae.

4. *Sinistra.* Vid. ad lib. IX, epigr. 42, 44.

5. *Fallax.* Fallacem vocat, quippe qui non stet pollicitis; et sic τῷ *mendax* utitur Horatius, qui lib. I, sat. v, vs. 82: *Hic ego mendacem stultissimus usque puellam Ad mediam noctem exspecto.* Ed. P.

6. *Vmbellam.* De qua lib. XIV, epigr. 28. — *Luscae dominae.* Inservias deformi dominae, quoniam non vis amari a domino. — Tacite autem significat optatum sibi ut cum lusca rem Lygdus habeat. Ed. P.

74. — DE BACCARA.

Curandum penem commisit Baccara Graecus
Rivali medico: Baccara Gallus erit.

1. *Curandum rivali medico.* Qui eiusdem puellae vel pueri amore captus erat.

2. *Gallus.* locus est circa vocem ambiguam *Gallus* quae et castratum Cybeles sacerdotem significat, et virum e Galliis oriundum. Dicit ergo Noster fore ut de Graeco vertatur Baccara in Gallum, sed non eum qui in Galliis natus, eum vero qui Cybeles sacerdotibus sit similis; illum nempe eviraturo zelotypo medico, ut amica nunc communi solus mox potiatur. Ed. P.

75. — IN CAELIAM.

Theca tectus ahenea lavatur
Tecum, Caelia, servus: ut quid, oro,
Non sit quum citharoedus, aut choraules?
Non vis, ut puto, mentulam videre.
Quare cum populo lavaris ergo?
Omnes an tibi nos sumus spadones?
Ergo, ne videaris invidere,
Servo, Caelia, fibulam remitte.

1. *Theca tectus.* Fibula aere circumligata.

2 *Vt quid?* pro *quid?* vel *quare?* Rarum.

3. *Citharoedus aut choraules.* Namque iis, ne frequentiore vocem concubitu corrumperent, aerea fibula circumligabatur, sicut et gladiatoribus, ne vires ipsi suas enervarent, et amasiis a pathico cuique suo vel a domina, ne in aliis virisve feminisve latus rumperent.

7. *Ne videaris invidere.* Ne videaris eius conspectum nobis invidere, tibi reservare, refibula servum tuum.

8. *Remitte.* Hoc est solve refibulo. Vide supra not. praeced.

76. — AD PAETVM.

Solvere, Paete, decem tibi me sestertia cogis:
Perdiderit quoniam Bucco ducenta tibi.
Ne noceant, oro, mihi non mea crimina: tu qui
Bis centena potes perdere, perde decem.

1. *Paete.* Qui nempe iratus quod a Buccone fraudatus fuisset, reliquos suos debitores aspere invasit, inter quos fuit Martialis; qui festive a Paeto petit, ut ducentis amissis, perdat adhuc decem quae ipse debebat.

2. *Perdiderat* edd. vett. et Delph. et Farnab. : Gruterus e MSS. *Perdiderit* i. e. conturbarit. : *Schrevel.* — *Perdiderit.* Hoc est, causa tibi exstiterit cur perdas ludendo, quamvis aleae furor minus tunc frequens quam hodiernis nostris temporibus. — *Decem, ducenta.* Quid pecuniae nostrae id efficiat, monetarum tabula indicat quae ad calcem voluminis primi subjicitur. Ed. P.

77. — IN VACERRAM.

In omnibus Vacerra quod conclavibus
Consumit horas, et die tota sedet,
Coenaturit Vacerra, non cacaturit.

1. *In omnibus.* De Vacerra iam supra epigr. 66. Compescendae autem alvi gratia sedere et remanere se fingebat, sed revera ut invitaretur quum coena esset instructa. — *Conclavibus.* Vox multiplicis et varii sensus, proprie sumitur de parte domus quae una clava tenetur. Mox da triclinio dicta fuit. Tum de cubiculis minoribus quae triclinio adhaerebant, et ubi vel vomebant coenaturi, vel alvum exonerabant. Haud absimilis vox gallica *cabinet.* Ed. P.

3. *Coenaturit.* Fictitia vox, meo iudicio, nec Latina ante Martialem, ad imitationem τοῦ *cacaturit.* Istiusmodi autem terminationes desiderativum verbum indicant. Sic *micturire*, *esurire*, etc. Ed. P.

78. — AD VICTOREM SPONSVM.

Vtere femineis complexibus, utere, Victor,
Ignotumque sibi mentula discat opus.

1. *Femineis, etc.* Qui pathicus viriles tantum novit.

2 *Ignotum sibi opus.* Militiam nempe cum virginibus, quae *nunquam puellis vixit idonea*, ut fere Horat. lib. III, od. 26, vs. 1. Ed. P.

Flammea texuntur sponsae, iam virgo paratur,
Tondebit pueros iam nova nupta tuos.
Paedicare semel cupido dabit illa marito,
Dum metuit teli vulnera prima novi.
Saepius hoc fieri nutrix materque vetabunt,
Et dicent, Vxor, non puer, ista tibi est.
Heu quantos aestus, quantos patiere labores,
Si fuerit cunnus res peregrina tibi!
Ergo Suburranae tironem trade magistrae.
Illa virum faciet: non bene virgo docet.

3. *Flammea texuntur*, *etc.* Flammeum erat velamentum luteum seu rubrum, quo nova nupta tegebatur pudoris gratia, vel in subiectionis symbolum.

4. *Tondebit pueros*, *etc.* Tondebit catamitos tuos tamquam emeritos et exoletos, postquam uxorem duxeris. —Caesarie vero longa et hue illuc volitantibus cincinnis praecipue censebantur pueri, si qui dominis suis domini; at ubi aut sponte sua aut forcipibus haec decidisset, iam viri putabantur. Horat. lib. IV, od. x, vs. 3: *Et quae nunc humeris involitant deciderint comae;* et Iuv. sat. VIII, vs. 127: *Si tibi sancta cohors comitum, si nemo tribunal Vendit Acersecomes;* id est Ganymedes (ex *a* privativo, *κείρειν* tondere, et *κόμη* caesaries). Eo. P.

7. *Nutrix materque.* Quae scilicet mane a puella petent, Illa nox *quae fuerit*, *qui complexus*, *quae gaudia?*

11. *Suburranae*, *etc.* Trade te instituendum meretrici cuipiam Suburranae, quae melius docebit te officium viri, quam nova nupta et rudis.

79. — AD PAETVM.

Ad primum decima lapidem quod venimus hora,
Arguimur lentae crimine pigritiae.
Non est ista viae, non est mea, sed tua culpa,
Misisti mulas qui mihi, Paete, tuas.

Poëta hic Paeti mularum ridet tarditatem, dum simulat se veniam suae morae postulare.

1. *Ad primum lapidem.* Ad tuam villam mille passibus distantem ab Vrbe veni hora decima, id est, duabus horis ante noctem.

4. *Mulas tuas.* Tardissimas nempe

80. — DE BAIIS.

Litus beatae Veneris aureum Baias,
Baias superbae blanda dona Naturae,
Vt mille laudem, Flacce, versibus Baias;
Laudabo digne non satis tamen Baias.
Sed Martialem malo, Flacce, quam Baias.
Optare utrumque pariter, improbum votum est.
Quod si Deorum munere hoc tibi detur:
Quid gaudiorum est Martialis et Baiae!

Laudarat Flaccus immodice Baias; nec quidem negat Martialis dignas laude; immo et pro dignitate nunquam satis laudari posse: malle tamen se Martialem, quam Baias affirmat; se enim Romae distineri rebus multis, quibus posthabendae aurei loci deliciae et voluptates. Vult hic Raderus Martialem totum in hoc se praedicare, ut componat epigrammata, et volumen edat quo immortale sibi nomen pariat, quum menses et annos in Baiano sinu deliciis voluptatibusque detereret, unaque cum illis detereretur et periret. Quod ut verum esse potest, sic et dubitationem movere; neque sane unde id ille hauserit scio. Ed. P.

1. *Litus beatae, etc.* Locum gratum, venustum, blandum, delicatum, lasciviae, immo vitiorum diversorium, Lib. I, epigr. 63. — *Vt*, pro *quamvis*, *etiamsi*. Iuven. sat. IX, 103: « servi *ut* taceant, iumenta loquuntur. » Ed. P.

5. *Sed Martialem*. Hoc est: Malo meae gloriae et valetudini et rebus meis servire, quam in sinu Baiano deliciis et voluptatibus indulgere. Vid. sup. not. 1.

6. *Improbi* edd. vett. et Maitt. et Farn. « Alii *improbum*, et sic Palat a *Schrevel*. — *Optare utrumque*. Delicias nempe, et gloriam aut valetudinem. — *Improbum*, idem hic valet quod gallice, *exigeant*, *indiscret*.

7. *Hoc tibi detur*. Vt simul et sapientiae et voluptatibus operam des, vel ut simul deliciis indulgeas et valetudini consulas.

8. *Quid gaudiorum*. Hoc est, inquit Raderus, Quid nobis erit beatius, quibus contingat et Martialis simul et Baiae: hoc est, ut sim Martialis auctor, et clarus scriptis meis, et simul otio Baiano beatus: vel ut simul bene valeam, et Baianae vitae deliciis indulgeam; sicut tu, o Flacce, et bene vales, et Baianis voluptatibus una frueris — Ego id superbe dictum puto, quasi innuat felicitatem esse hanc raram et plus quam humanam, Baiis simul et Martiale potiri. Ed. P.

81. — DE SPADONE ET SENE.

Cum sene communem vexat spado Dindymus Aeglen,

1. *Vexat*. Omnibus modis urget, lacessit, fatigat et voluptatis umbratili et irrita imagine discruciat.

Et iacet in medio sicca puella toro:
Viribus hic operi non est, hic utilis annis.
Ergo sine effectu prurit uterque labor.
Supplex illa rogat pro se, miserisque duobus,
Hunc iuvenem facias, hunc, Cytherea, virum.

2. *Sicca puella.* Nam in irrito est quidquid isti moliuntur. Quo sensu τὸ *sicca* optime intelliges, si ad contrarium *uda* animo reveliaris, quod in hoc disticho, « Tu quoque nequitias nostri lususque libelli *Vda* puella leges, sis Patavina licet » Lib. XI, epigr. 16, vs. 8. Ed. P.

3. *Hic utilis.* Legunt *hic inutilis* Farnab. Schrevel. et editor. Delph. — *Hic operi non est.* Eunuchus: lib. VI, epigr. 39, 21. Iuven. sat. VI, 367.

4. *Prurit.* De labore nempe dicit quod proprie de laborantibus dicendum foret.

6. *Cytherea.* Venus, thalami praeses. Cui id nomen datum quod Cytherae prope Laconiam colebatur.

82. — DE PHILOSTRATO.

A Sinuessanis conviva Philostratus undis
Conductum repetens nocte iubente larem,
Paene imitatus obit saevis Elpenora fatis,
Praeceps per longos dum ruit usque gradus.
Non esset, Nymphae, tam magna pericula passus,
Si potius vestras ille bibisset aquas.

1. *Sinuessanis.* De Sinuessa dictum lib. VI, epigr. 42; ubi erant balnea saluberrima, unde ebrius iste redibat conclave conductum et altum, quibus verbis Poëta clare significat illum fuisse pauperem.

2. *Nocte iubente larem.* Sera iam nocte, quae domum suam repelere monebat.

3. *Elpenora.* Vnum ex Vlyssis sociis, qui quum ebrius per scalarum gradus lapsus esset, periit. Videre est de huius fato Hom. Odyss. x.

4. *Praeceps*, etc. Dum ebrius ruit e scalis per quas conscendit ad conductum coenaculum.

5. *Non esset*, etc. Non hoc illi accidisset, o Nymphae Sinuessanae; si vestras bibisset aquas, quae vel insaniam abolent. Plin. lib. XXXI, cap. 2.—Aut potius, quae ebrietatem non gignunt; innuit enim ebrium convivam.

83. — AD SOSIBIANVM.

Nemo habitat gratis, nisi dives et orbus, apud te.
Nemo domum pluris, Sosibiane, locat.

Hominem exagitat qui liberi animi ex eo videri cupit quod gratis multos domo sua accipiat. — At pecuniosos duntaxat et senes et orbos, ait Noster. Ed. P.

1. *Nemo.* Hac enim nova arte divitum atque orborum haereditates captabat.

84. — DE ANTIOCHO TONSORE.

Qui nondum Stygias descendere quaerit ad undas,
Tonsorem fugiat, si sapit, Antiochum.
Alba minus saevis lacerantur brachia cultris,
Quum furit ad Phrygios enthea turba modos.
Mitior implicitas Alcon secat enterocelas,
Fractaque fabrili dedolat ossa manu.
Tondeat hic inopes Cynicos, et Stoica menta,
Collaque pulverea nudet equina iuba.
Hic miserum Scythica sub rupe Promethea radat,
Carnificem nudo pectore poscet avem.

3. *Lacerantur*, etc. Sacerdotes in sacris Isidis, et Cybelea Phrygiae Deae (quam eamdem cum Iside esse volunt) cultris sibi humeros, pectus et lacertos sauciabant. — *Alba brachia* dicit ob exhaustum sanguinem. Tac. Ann. XV, cap. 64, de Paullina Senecae: *Et ore ac membris in eum pallorem albentibus, ut ostentui esset, multum vitalis spiritus egestum.* Ed. Par.

4. *Ad Phrygios modos.* Hoc est, ad strepitum tympanorum; primum vero in Phrygia Cybeles sacra a Corybantibus celebrata sunt. — *Enthea.* Hoc est, plena spirante dea, ἐνθουσιάζουσα; ab ἐν, in, et θεός, Deus.

5. *Alcon.* Chirurgus quidam: ἐντεροκήλη herniae genus est: lib. X, epigr. 56, vs. 7: *Enterocelarum fertur Podalirius Hermes.*

6. *Fabrili dedolat*, etc. Dura et gravi, instar fabri, non molli et tonsoria.

7. *Cynicos*, *Staica menta.* Philosophi promissas alebant barbas, graves et venerandas, quas saepe vellit Lucianus, et pluries Noster, cum satiricis dramaticisque omnibus, ab Aristophane ad aevi nostri scurras.

8. *Collaque*, etc. Detondeatque equorum iubas. — *Iuba.* Crines sunt ex equorum atque aliarum bestiarum collo pendentes. — *Pulverea*, etc. Quia currentes pulvereos globos circum attolli faciant, quorum usque volant in currentium iubam particulae.

10. *Poscet avem.* Prometheus li-

Ad matrem fugiet Pentheus, ad Maenadas Orpheus;
  Antiochi tantum barbara tela sonent.
Haec quaecumque meo numeratis stigmata mento,
  In vetuli pyctae qualia fronte sedent,
Non iracundis fecit gravis unguibus uxor;
  Antiochi ferrum est, et scelerata manus.
Vnus de cunctis animalibus hircus habet cor;
  Barbatus vivit, ne ferat Antiochum.

beatiori animo praebebit iecur laniandum aquilae, quam mentum radendum Antiocho. Ὑπερβολικῶς, at lepide.

11. *Pentheus.* Echionis, regis Thebarum, atque Agaves filius, quem, Bacchi sacra contemnentem, mater ipsa caeteraeque Maenades saeve interfecerunt. — *Ad matrem*. etc. Ab hoc fugiet vel ad matrem suam Agaven Pentheus, a qua dilaniatus est: ab hoc fugiet Orpheus ad furentes Bacchas, a quibus discerptus est.

12. *Antiochi barbara tela sonent.* Sonum edebant semper Veterum novaculae quoties ii raderentur; ut fit tamen optimis, si quae hodie fabricantur, novaculis. Vnde id Iuv. I, 25: *Quo tondente, gravis iuveni mihi barba sonabat.* Ed. P.

13. *Stigmata.* Ad haec Farnabius: Notas impressas atque incisiones intellige, quales habent servi stigmatiae, de quibus lib. II, epigr. 29.

17. *Vnus de cunctis, etc.* Certe supra hominem adeoque omnia animalia hircus sapit, qui mavult prolixam pascere barbam, quam subire rudes manus et barbara tela tonsoris Antiochi. Καὶ τράγος εὐπώγων εὔστολός ἐστι Πλάτων, Anthol. lib. II, cap. 52.

85. — IN ZOILVM.

Sidere percussa est subito tibi, Zoile, lingua,
  Dum lingis certe, Zoile, nunc futues.

1. *Sidere percussa.* Lib. VII, ep. 92 et supra epigr. 26, 31 et 61 quorum in ultimo: *Partem gulosam solvit indecens morbus.*

2. *Nunc futues.* Idem fere est ac quod in supra citato epigr. 61, vs. 9. *Gaudete, cunni; vestra namque res acta est.*

86. — IN PARTHENOPAEVM.

Leniat ut fauces medicus, quas aspera vexat
  Assidue tussis, Parthenopaee, tibi;

In virum qui morbum simulans delicata tantum et exquisita edebat, et quem gula potius laborare quam tussi ait Noster.

Mella dari, nucleosque iubet, dulcesque placentas,
Et quidquid pueros non sinit esse truces.
At tu non cessas totis tussire diebus.
Non est haec tussis, Parthenopaee: gula est.

3. *Mella dari.* Praescribunt enim medici dulcia ad sistendum moderandumque humorem. — *Nucleosque iubet.* Pineos. *Pityida e pinastris, singularis remedii adversus tussim. In melle decoctos nucleos ..;* et quae sequuntur. Plinius, lib. XV, cap. 10.

4. *Et quidquid pueros.* Hoc est, ea omnia bellaria, quibus pueri lugentes placantur, aut truces mitescere solent.

6. *Gula est.* Tussis enim, ut tibi dentur bellaria.

87. — AD CHARIDEMVM.

Dives eras quondam: sed tunc paedico fuisti,
Et tibi nulla diu femina nota fuit.
Nunc sectaris anus: o quantum cogit egestas!
Illa fututorem te, Charideme, facit.

2. *Nota.* Hoc est, amata.

3. *Sectaris anus.* Scilicet in urbe omnium spurcissima et in quam *cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque* (Tacit. Annal. lib. XV, cap. 44); *utile et hoc multis vitae genus* (Iuven. sat. IX, 27); *in caelum quos evehit optima summi Nunc via processus, vetulae vesica beatae* (Id. sat. I, 38). Ed. P.

88. — DE CHARISIANO.

Multis iam, Lupe, posse se diebus
Paedicare negat Charisianus.
Caussam quum modo quaererent sodales,
Ventrem dixit habere se solutum.

4. *Ventrem dixit.* Qua imprudenti excusatione usus fatebatur se pati solitum, non agere. Non absonum quod supra in Glycerae amatorem quemdam iecit, qui cur amica non poliretur interroganti, respondit *Glycerae dolere dentes.* Lib. XI, epigr. 40. Ed. P.

89. — AD POLLAM.

Intactas quare mittis mihi, Polla, coronas?
A te vexatas malo tenere rosas.

1. *Intactas quare, etc.* Amatoribus quippe gratiores corollae, quae amicas quasi olerent et saperent, quam quae recentem spirarent fragrantiam. Vnde istae meretriculae vexatas corollas et poma adrosa amatoribus mittere solebant Lucian. Tosaris. Amatores vero corollas et rosas in limine amicarum dissipare solebant atque relinquere, quum ibi diu excubuissent. Ovid. lib. III, Art. Am. vs 71: *Nec tua frangetur nocturna ianua rixa; Sparsa nec invenies limina mane rosa.* Sed et ianuam ornabant et coronabant hisce rosis et corollis.

90. — IN CHRESTILLVM.

Carmina nulla probas, molli quae limite currunt,
Sed quae per salebras, altaque saxa cadunt.
Et tibi Maeonio res carmine maior habetur,
Luceilei columella heic situ' Metrophan' est.
Attonitusque legis, terrai frugiferai,
Accius et quidquid Pacuviusque vomunt.
Vis imiter veteres, Chrestille, tuosque poëtas?
Dispeream, si scis, mentula quid sapiat.

2. *Sed quae per salebras.* Hoc est, Non amas versus teneros et molles, sed duros atque asperos.

3. *Et tibi Maeonio.* Et tibi magis placet Lucilii seu negligentis alterius et lutulenti poëtae carmen, quam altum, grande, sonorum Homeri.

5. *Attonitusque, etc.* Nec sine admiratione legis veterum poëtarum duriora verba et hiantia, qualia haec *terrai frugiferai* ex resolutione diphthongi. — Scilicet Romanae civitatis temporibus primis usitatum fuit casus generantis terminationem, quae in *ae* dehinc versa fuit, in duas syllabas *ai* desinere. Sic Lucretius, lib. I, vs 85 sq. *Triviai virginis aram Iphianassai turparunt sanguine.*

6. *Accius et Pacuvius.* Antiqui fuerunt poëtae, ut Lucilius, lutulenti et duri.

8. *Si scis.* Alii, *ni scis*, hoc sensu: Tu qui laudas durum carmen, nihilominus molliter vivis. Vel sic interpretare vulgatam lectionem: Tam bardus es, ut acumen versus teneri non sentias. — Quare hic ἀλληγορίαν tantopere sectentur nescio. Nonne innuit potius simpliciter vitium quod iam saepe exagitavit? Et his consonum quiddam lib. IX, epigramm. 28 in Chrestum quemdam, qui fortean idem ac noster nunc Chrestillus. Tunc erit *quid sapiat* pro *quam malum sapiat*, si ni legas; pro *quam dulce* si ut prius. Et hoc ego praetulerim.

Quanquam non id necessarium, et non tam in voce una duritiem, quam in factitando versu imperitiam et inelegantiam venatur; quod in versus clausula *quid sapiat* occurrit. Quid enim pentametro ineleganlius, cuius in fine vox τρισύλλαβος? Ed. P.

91. — EPITAPHIVM CANACES.

Aeolidon Canace iacet hoc tumulata sepulcro,
  Vltima cui parvae septima venit hyems.
Ah scelus, ah facinus! properas quid flere, viator?
  Non licet hic vitae de brevitate queri.
Tristius est leto leti genus: horrida vultus
  Abstulit, et tenero sedit in ore lues;
Ipsaque crudeles ederunt oscula morbi;
  Nec data sunt nigris tota labella rogis.
Si tam praecipiti fuerant ventura volatu,
  Debuerant alia fata venire via.
Sed mors vocis iter properavit cludere blandae,
  Ne posset duras flectere lingua Deas.

Puellae septennis immaturum deplorat fatum, et funere ipso tristius morbi genus.

1. *Aeolidon.* Alludit Poëta, ut aiunt interpretes, ad Canacen regis Aeoli filiam, cuius meminit Ovid. Trist. II, 384, et Ib. 359.

2. *Ultima.* Septennis nempe functa fato est; cadit vero τὸ *ultima* adiectivum non in *hiems* sed in *venit*, quanquam quoad flexionem et casum et genus τὸ *hiems* sequatur. Sic Hor. lib. I, od. XI, vs. 4, sqq. *Seu plures hiemes, seu tribuit Iupiter ultimam, Quae nunc oppositis debilitat pumicibus mare Tyrrhenum*; ubi *ultimam* non refertur ad *hiemem* (subaud.), sed ad *tribuit*.

4. *De brevitate.* Sed licet conqueri de mortis genere; misere enim periit Canace cancro corrosa.

6. *Lues.* Aphtha, cancer, mentagra.

7. *Ipsaque crudeles, etc.* Crudelis morbus serpit exeditque os Canaces.

10. *Alia via.* II. e nec vocem intercludere, nec tenellum os corrumpere.

11. *Claudere* codex manu scriptus in marg. ed. Paris. 1617.

12. *Deas.* Parcas nempe, quae illacrymabiles licet atque exorari nesciae, puellulae voce tam blanda flecti potuissent.

92. — IN ZOILVM.

Mentitur, qui te vitiosum, Zoile, dixit.

1. *Dicit* MScript. in marg. edit. Par. 1617 et *Barbou* ed. — *Mentitur, qui te vitiosum, Zoile, dixit.* Excusans Zoilum, magis eum accusat.

Non vitiosus homo es, Zoile, sed vitium.

Neque enim iis quae in excusationem profert contumeliis contumeliae magis adiici potest. Vt et laudis nihil his Taciti, Annal. lib. XVI, cap. 21: a Trucidatis tot insignibus viris, ad postremum Nero *virtutem ipsam* excindere concupivit, interfecto Thrasea Paeto et Barea Sorano, etc.» His proxima ἀντίθεσις, vel, si ita vocare volueris, gradatio in Aristaeneti Amatoriis ubi vide V. C. *Boissonade*: Ἐνδυομένη μὲν αὐτὴ εὐπρόσωπος ἦν, ἐκδυομένη δὲ πρόσωπον αὐτό; hoc est: Stolata quidem, pulchra erat, sed posita stola ipsa pulchritudo.

93. — DE THEODORO.

Pierios vatis Theodori flamma Penates
  Abstulit: hoc Musis, hoc tibi, Phoebe, placet?
O scelus, o magnum facinus, crimenque Deorum,
  Non arsit pariter quod domus et dominum!

1. *Vatis, etc.* Poëtae silicet, sed mali. Cui dum incendium domus condolere videtur, per imprecationem queritur noster poëta quod non et ipse dominus una cum aedibus perierit.

94. — IN VERPVM AEMVLVM.

Quod nimium lives, nostris et ubique libellis
  Detrahis, ignosco: verpe poëta, sapis.
Hoc quoque non curo, quod, quum mea carmina car-
  Compilas: et sic, verpe poëta, sapis. (pas,
Illud me cruciat, Solymis quod natus in ipsis,
  Paedicas puerum, verpe poëta, meum.
Ecce negas, iurasque mihi per templa Tonantis.

1. *Lives.* Invides.

2. *Detrahis.* Famam et laudem deminui cupis. — *Verpe poëta, sapis.* Iudaee, recutite. Verpus, λειπόδερμος, in Gloss. vid. lib. VII, epigr. 82, 6, et quae monuimus ad Iuvenalem, sat. XIV, vs. 105. Eo. P.

7. 8. *Ecce negas, etc.* Erit itaque hic poëtae sensus. Scio ego vos Iudaeos proiectissimam esse ad libidinem gentem, ut ut religione, commercio, officiis, et concubitu alienorum abstinere professam: scio itidem apud vos profana esse omnia, quae apud nos sacra: scio apud vos ipsos fidem esse obstinatam, adversus alios levem. Scio nihilo vos prius imbui, quam contemnere deos alienos, vestrum solum colere, vereri, respicere, etc. Tacit. Histor. lib. V,

Non credo: iura, verpe, per Anchialum.

cap. 5. Quoniam itaque te suspectum habeo pro scarabaeo, κανθάρῳ τοιαῦτα κνίσδοντι, non credo tibi neganti per Templum iurato, ut qui nulla te hic religione aut periurii poena teneri putes: verum adigo te ad iuramentum per Deum vestrum, per quem iurato tibi credam. *Clariss. Seldenus* in Prolegomenis ad pernitissimae eruditionis opusculum, *De Successionibus, seu Iure haereditario Hebraeorum*, etiam tendit ulterius, conceptum scriptumque a poëta versum hunc autumans ad hunc modum: *Non credo; iura, verpe, iperam chiolam*. Vt integra sit iuramenti formula.—Voluit Martialis in id iocari quod nec Deos nec fidem laesuros sese Iudaei crederent si per Deorum gentilium nomina pejerarent. Sed quid *Anchialum*? Isne hebraeorum Deus? idne sacramentum? Vult *de Rooy verpe poëta, Chiel*, s. *Chai-El*, quod fuit iuramentum in usu Iudaeis.

95. — AD FLACCVM.

Inciderit quoties in basia fellatorum,
In solio puto te mergere, Flacce, caput.

1. *Basia fellatorum*. Ista enim fugit.

96. — AD GERMANVM.

Martia, non Rhenus, salit hic, Germane: quid obstas,
Et puerum prohibes divitis imbre lacus?
Barbare, non debet, summoto cive, ministro
Captivam victrix unda levare sitim.

1. *Martia, etc.* Haec, o Germane, est e nostra Martis, non ex tuo Rheno deducta aqua; ut eius potu interdicas ingenuo civi. Sensus igitur totius epigrammatis est, Romanos victores a Germanis devictis non esse arcendos ab aqua Martia.

3. *Non debet... ministro, etc.* «*Ministri* lego, h. e. captivi et famuli, qualis tu es.» *Gronov*.

4 *Captivam*, Tui captivi.—*Victrix unda levare sitim*. Martia, ducta in urbem Germaniae victricem.

97 — IN THELESILLAM.

Vna nocte quater possum: sed quatuor annis
Si possum, peream, te Thelesilla semel.

1. *Quatuor annis*. Oppositis dictionibus acumen semel, et quater; quatuor scilicet annis, et una nocte. *Domitius*.

2. *Possum... te* Notandus ille cum τῷ *possum* accusativus. Dixerat quidem Horatius Epod. XII: *Inachiam ter nocte potes, mihi semper ad unum Mollis opus*.

98. — AD BASSVM.

Effugere non est, Basse, basiatores.
Instant, morantur, persequuntur, occurrunt,
Et hinc, et illinc, usquequaque, quacumque.
Non ulcus acre, pustulaeve lucentes,
Nec triste mentum, sordidique lichenes,
Nec labra pingui delibuta ceroto,
Nec congelati gutta proderit nasi.
Et aestuantem basiant, et algentem,
Et nuptiale basium reservantem.
Non te cucullis asseret caput tectum,
Lectica nec te tuta pelle veloque,
Nec vindicabit sella saepius clusa.
Rimas per omnes basiator intrabit.
Non consulatus ipse, non tribunatus,
Saevique fasces, nec superba clamosi
Lictoris abiget virga basiatorem.
Sedeas in alto tu licet tribunali,
Et e curuli iura gentibus reddas,

1. *Effugere non est.* Non licet effugere, nulla ratione, consilio nullo poteris effugere.

2. *Morantur, persequuntur, occurrunt.* Vt ille quem narrat lib. 1, sat. IX Horatius, vix sibi notum et amicitiae ita intrepidum ut ambulantem poëtam detineret et usque *persequeretur.*

4. *Non ulcus acre, etc.* Nullum genus morbi, ulceris aut contagii deterrebit eos quin intrepide basient te. — *Pustulaeve lucentes.* Flavae enim et quasi pellucidae.

5. *Triste mentum.* Mentagra. *Lichenes.* Qui e genere cancri. Gallice, *dartres, gratelle.*

6. *Nec labra.* Delibuta unguento e cera, aut cerussa, ad fissuras et ulcera. *Farnabius.*

9. *Nuptiale reservantem.* Hoc est, atque eum basiant, qui pura sua oscula servat uxori, vel sponsae.

11. *Tuta pelle, veloque.* Lecticae autem pellibus velisque muniebantur.

15. *Saevique fasces, etc.* Praelati nempe praetori a lictoribus. Nam praetores, qui quidem amplissimi post consules magistratus, sex lictoribus utebantur. — Linquendum omnino *saevi*, licet hinc quasi pleonasmus oriatur; veluti diceret: neque consularis fastigii dignitas, neque fasces.

18. *Curuli.* Sella eburnea, qua se-

Ascendet illa basiator, atque illa;
Febricitantem basiabit et flentem;
Dabit oscitanti basium, natantique;
Dabit et cacanti: remedium mali solum est,
Facias amicum, basiare quem nolis.

dentes magistratus ius dicebant.

23. *Facias amicum.* Vt basiis nihil sit opus, quibus tuam sibi amicitiam conciliet basiator.

99. — IN LESBIAM.

De cathedra quoties surgis, iam saepe notavi,
Paedicant miseram, Lesbia, te tunicae.
Quas quum conata es dextra, conata sinistra
Vellere, cum lacrymis eximis, et gemitu.
Sic constringuntur gemina Symplegade culi,
Et Minyas intrant, Cyaneasque nates.
Emendare cupis vitium deforme? docebo;
Lesbia, nec surgas censeo, nec sedeas.

2. *Paedicant.* Adhaerent tuis natibus.

5. *Gemina Symplegade.* Symplegades scopuli sunt, de quibus lib. VII, epigr. 19. Dicuntur Cyaneae et Minyae ob cursum quem illae Minyae, id est, Argonautae, tenuerunt.

8. *Nec sedeas.* Sed iaceas natibus supinis; quasi copiam tui omnibus datura qui venient.

100. — AD FLACCVM.

Habere amicam nolo, Flacce, subtilem,
Cuius lacertos annuli mei cingant,
Quae clune nudo radat, et genu pungat;
Cui serra lumbis, cuspis eminet culo.

1. *Subtilem.* Gracilem, exilem, iunceam.

2. *Lacertos annuli mei cingant:* καθ' ὑπερβολήν. Gallice *une guépe*.

3. *Quae clune, etc.* Quae depygis, macilenta, et quasi nudis ossibus. Explicat nempe fusius *subtilem* vocem ultimam versus 1.

4. *Cui serra lumbis.* Cuius dorsi spina serram prae se ferat, itidem dentata. —*Cuspis eminet culo.* Vropygium. Vid. lib. III, epigr. 92, vs. 12. — Quas puellas Aristophanes ἐπολίσπους et λισποπυγούς vocat. Notae contra duae virgines illae quae, quum pauperes et indotatae, praeclare tamen

Sed idem amicam nolo mille librarum;
Carnarius sum, pinguiarius non sum.

nupsere, quod duobus fratribus καλλίπυγοι repertae sunt; cuius ad rei memoriam templum Veneri καλλιπύγῳ illae posuere.

6. *Carnarius sum, pinguiarius non sum.* Puellam volo corporis quidem solidi et carnosam, non tamen pinguedine nimia tumidam gravemque.

101. — AD MARINVM.

Thaida tam tenuem potuisti, Flacce, videre?
Tu puto, quod non est, Flacce, videre potes.

1. *Tenuem.* Idem quod proximo enarrat epigrammate, vs. 1, subtilem, exilem, depygem.

2. *Tu puto, etc.* Summa sane es oculorum perspicacia, qui tam exilem deprendere possis: vid. epigramma superius.

102. — IN LYDIAM.

Non est mentitus, qui te mihi dixit habere
Formosam carnem, Lydia, non faciem.
Est ita, si taceas, et si tam muta recumbas,
Quam silet in cera vultus, et in tabula.
Sed quoties loqueris, carnem quoque, Lydia, perdis;
Et sua plus nulli, quam tibi, lingua nocet.
Audiat aedilis ne te, videatque, caveto;
Portentum est, quoties coepit imago loqui.

Lydiam formae quidem laudat, stultitiae vero arguit, atque ut perpetuo conticescat, monet. Cf. lib. IX, epigr. 5, quo, postquam aureolos duos ad Galliam emendam satis esse posse dixit, sciscitatur quam ob caussam illi denos dederit, et respondet: Vt taceat. Verum quidem est obscoenitatis nonnihil latitare et innui in citato epigr. nec per τὸ *tacet*, istius ultimam vocem, silentium duntaxat indicari. At silentium indicatur; et magis quidem quam aliud quodlibet. Ed. P.

5. *Carnem quoque.* Nam iniucundis atque insulsis tuis sermonibus corporis pulchritudinem deturpas: aut simpliciter intellige deformitatem oris Lydiae, dum loqueretur. Caetera, contrarium exstat epigr. Illud lepidissimo disticho quod libri VII, penultimum est: *Tacta places; audita places; si non videare, Tota places; neutro, si videare, places.* Vid. quae hic notantur. Ed. P.

7. *Aedilis.* Expiabat portenta, et imaginem loqui portentum erat: idcirco autem Lydiam vocat imaginem, quod formosa quidem esset, sed immobilis, atque illecebris careret.

103. — AD SOPHRONIVM.

Tanta tibi est animi probitas orisque, Sophroni,
Vt mirer fieri te potuisse patrem.

1. *Tanta animi probitas orisque.* Tam pudicus revera es, et tam pudicum indicat vultus.

2. *Vt mirer.* Te ita alienum Veneri, rem habuisse cum uxore, atque ex ea suscepisse liberos.

104. — IN VXOREM.

Vxor, vade foras, aut moribus utere nostris;
Non ego sum Curius, non Numa, non Tatius.
Me iucunda iuvant tractae per pocula noctes;
Tu properas pota surgere tristis aqua.
Tu tenebris gaudes: me ludere teste lucerna,
Et iuvat admissa rumpere luce latus.
Fascia te, tunicaeque, obscuraque pallia celant;
At mihi nulla satis nuda puella iacet.
Basia me capiunt blandas imitata columbas;
Tu mihi das, aviae qualia mane soles.

1. *Aut moribus, etc.* Quasi divortii causa sit inaequalitas morum, vel in uxore magis probatorum quam in viro.

2. *Non ego, etc.* Non sum continens, castus, pudicus, quales Curius, Numa, et Tatius. De quibus saepe dictum est.

3. *Tractae per pocula noctes.* Ducta in plurimam noctem convivia et lagenae quas, ut Horatii Manliana, *Gratiae Vivaeque producent lucernae, Dum rediens fugat astra Phoebus* Horat. l. III, od. XXI, vs. 21.

5. *Tu tenebris, etc.* Immerito utrumque diceret Naso, qui diem cupit et imperat dubium, Amor. I, v. 5: *Qualia sublucent fugiente crepuscula Phoebo, Aut ubi nox abiit, nec tamen orta dies*

6. *Rumpere latus.* Ἐν τῷ τῆς πολυχρύσου Ἀφροδίτης ἔργῳ. Eadem voce Iuvenalis quoque utitur sat. VI, 37: Litigat et queritur quod *Et lateri parcas, etc.*

8. *Iacet* Sic MS. in marg. ed. Par. 1617 ubi notatur: « *Patet*, antitheton celandi, probatur magis. » — *Iacet.* Vox propria de iis qui iam in lecto. Quasi dicat: nunquam tam nuda est, quin magis nudam esse optem.

9. *Imitata columbas.* Lasciva, qualia sibi ingeminant columbae et passerculi salaces. Lib. XII, epigr. 65, infra: *basioque tam longo Blandita quam sunt nuptiae columbarum.*

10. *Aviae qualia mane soles.* Casta,

Nec motu dignaris opus, nec voce iuvare,
  Nec digitis; tanquam thura merumque pares.
Masturbabantur Phrygii post ostia servi,
  Hectoreo quoties sederat uxor equo.
Et quamvis Ithaco stertente, pudica solebat
  Illic Penelope semper habere manum.
Paedicare negas: dabat hoc Cornelia Graccho;
  Iulia Pompeio; Porcia, Brute, tibi.
Dulcia Dardanio nondum miscente ministro
  Pocula, Iuno fuit pro Ganymede Iovi.
Si te delectat gravitas, Lucretia toto
  Sis licet usque die; Laida nocte volo.

qualia sibi invicem libant οἱ συγγενεῖς ἀσπάζοντες καὶ φιλοῦντες.

11. *Nec motu, etc.* Supra epigr. 60: *At Chione non sentit opus, nec vocibus ullis Adiuvat: absentem marmoreamve putes.*

12. *Tanquam thura, etc.* Tanquam pura, et rem divinam thure meroque factura Ovid. Amor. III, vii, 53: *Sic surgit mane puella, Protinus ut sanctos possit adire Deos.*

14. *Hectoreo. etc.* Quoties Andromache et ipsa pudica per lascivum ludum Hectori insedit; vel allusum ad vers. 778 Ovid. iii de Arte: *Thebais Hectoreo nupta resedit equo.* Et Flaccus lib. II, sat. vii, 50, *agitavit equum lasciva supinum.*

15. *Et quamvis* Et Vlysse dormiente, illa castae famae Penelope erat λεσβιὰς τρίβουσα.

17. *Dabat hoc Cornelia Graccho, etc.* Verecundissimae matronae Romanae non negabant illud maritis suis viris gravissimis: lib. IX, ep. 68.

19. *Dardanio ministro.* Ganymede, qui Hebes locum in caelo obtinuit, nectar Diis et ambrosiam ministraturus.

20. *Iuno.* Et ipsa castissima coniugii praeses: at tamen, aliquamdiu sivit Ganymedis loco Iovem ipsa uti. Et hic nota, quam bene protervus poëta ille revocet quae prius finxit; nam supra epigram. 43: *Dixit idem quoties lascivo Iuno Tonanti? Ille tamen gracili cum Ganymede iacet.*

21. *Lucretia.* Gravis et casta ut Lucretia.

22 *Laida nocte volo.* Facilem et lascivam ut Laida, quae memoratur a pluribus, tum antiquis, tum recentioribus.

105. — AD GARRICVM.

Mittebas libram: quadrantem, Garrice, mittis.
  Saltem semissem, Garrice, solve mihi.

2. *Saltem semissem.* Nam per semissem seu selibram descendere debebas ad quadrantem.

106. — AD ALBIVM MAXIMVM.

Albi Maxime, si vacabit hora,
Hoc tantum lege: namque et occupatus,
Et non es nimium laboriosus.
Transis hos quoque quatuor? sapisti.

1. *Si vacabit hora.* Optimi codd. *si vacas habere*, proba lectio: *habere* enim notat *avere*: aliquе si potes ferre, ut ta inter postve alios salutem. Sic lib. I, epig. 55: *Si quid, Fusce, vacas adhuc amari.* Gruterus. « Ego vero censeo scribendum *haberi*. Habetur qui ab aliquo detinetur, qui alicui dat operam. Sic Terentius: *Quis heri habuit Chrysidem.* » Gronov. — *Vacas habere* ed. *Barb.* « *Vacas avere* Salmas. *Vacas ab aere* I. Vossius, qui rem acu tetigit: nam iste Albius Maximus praefectus erat aerarii. » *Beverl.*

4. *Sapisti.* Hos enim si legeres, notatam tuam inertiam animadverteres. — Credo ego haec subirascentem Nostrum proferre; quasi diceret: Te, Albi, precor ut amicus et facilia mihi haec legas. Non legis, caussas futiles praetexens: sapis quidem; sed nec facilis mihi es nec amicus. Sic fere lib. I, epigr. 118.

107. — AD SEPTICIANVM.

Explicitum nobis usque ad sua cornua librum,
Et quasi perlectum, Septiciane, refers.
Omnia legisti: credo, scio, gaudeo, verum est.
Perlegi libros sic ego quinque tuos.

1. *Explicitum.* Apertum *ad cornua*, hoc est, ad extrema usque verba.

4. *Sic ego.* Explicui nempe tuos libros, et rursus involvi quasi legerim; neque sane legi. Innuit nempe notum optime sibi, minime a Septiciano epigrammata sua lecta esse, qui poëtae tamen morem gerens volebat legisse videri.

108. — AD LECTOREM.

Quamvis tam longo possis satur esse libello,
Lector; adhuc a me disticha pauca petis.
Sed Lupus usuram, puerique diaria poscunt.
Lector, solve: taces, dissimulasque? vale.

1. *Iam* ed. *Barb.* et alios sic legere notavit Farnab.

3. *Diaria.* Hoc est, quotidianum victum petunt servi. Editur in publicum liber, cuius empti pretium tu emptor promptus mihi des.

4. *Solve.* Id est libellum eme, et pecuniam da, qua et his obsonia et Lupo usuram solvere sufficiam. Vid. not. supra. Ed. P. — *Vale.* Quum avarus fingas te non intelligere, quid rogem et mihi velim.

M. VAL. MARTIALIS

EPIGRAMMATVM

LIBER XII.

M. VAL. MARTIALIS PRISCO SVO SALVTEM.

Scio[1] me patrocinium debere contumacissimae triennii desidiae: quae absolvenda non esset inter illas quoque occupationes urbicas, quibus facilius consequimur, ut molesti potius quam officiosi esse videamur; nedum in hac provinciali solitudine, ubi nisi etiam intemperanter studemus, et sine solatio, et sine excusatione secessimus. Accipe ergo rationem; in qua hoc maximum et primum est, quod civitatis aures, [2] quibus assueveram, quaero, et videor mihi in alieno foro litigare. Si quid est enim in libellis meis, quod placeat, dictavit auditor. [3] Illam iudiciorum subtilitatem, illud materiarum ingenium, bibliothecas, thea-

1. *Scio.* Per tres annos, a quibus secesserat in patriam, nihil scripserat Martialis: diuturni vero silentii caussas explicat Proculo advenienti ab urbe Roma in Hispaniam; et petenti epigrammata obsecutus est. Itaque librum hunc duodecimum paucissimis diebus composuit, et Prisco suo amico obtulit.

2. *Civitatis aures.* Nempe politos auditores desidero, quibus placeant mea carmina: enimvero excitat auditor studium.

3. *Auditor, etc.* A cuius ingenio, iudicio, virtutibus, vitiis, nec non ab urbis magnificis aedificiis ludisque mihi erat seges et materia epigrammatum; idque citra taedium, immo cum venere quadam et delectatione studii.

tra, conventus, in quibus studere se voluptatibus [1] non sentiunt: ad summam omnium ea, quae delicati reliquimus, quasi destituti desideramus. Accedit [2] his municipalium rubigo dentium, et iudicii loco livor, et unus aut alter [3] mali, in pusillo loco multi, adversus quos difficile est habere quotidie bonum stomachum. Ne mireris igitur abiecta ab indignante, quae a gestiente fieri solebant. Ne quid tamen et advenienti tibi ab Vrbe, et exigenti negarem (cui non refero gratiam, [4] si tantum ea praesto, quae possim), imperavi [5] mihi, quod indulgere consueveram, et studui paucissimis diebus, ut familiarissimas mihi aures tuas exciperem adventoria sua. [6] Tu velim ista, quae tantum apud [7] te non periclitantur, diligenter aesti-

1. *Studere se voluptatibus.* Hoc est, auditores non sentiunt se argumentum praebere versibus, quos poëtae cum voluptate et delectatione componunt. Vnde infra dicit *quae a gestiente fieri solebant.* Vel intellige ipsos poëtas etiam non cogitantes, dum spectaculis adsunt, studere cum animi delectatione, quod nempe reversi domum faciant versus de iis, quae aut viderint, aut audierint.

2. *Municipalium.* Municipum meorum Bilbilitanorum invidia et malevolentia, qui quidem maligni et pro loci exilitate multi, me carpunt, obtrectant, mordent.

3. *Vnus aut alter.* Quamvis pauci sint, forte duo, qui carpant mea epigrammata, ratione tamen loci exigui plures videntur.

4. *Cui non refero gratiam.* Eleganter hanc sententiam expressit Cicero lib. IV, epistola octava: *Reliquum est igitur, ut tibi me in omni re eum praebeam praestemque, ut ad omnia quae tui velint ita sim praesto, ut me non solum omnia debere tua caussa, sed ea quoque, etiam quae non possim, putem.* — *Proni studii*, inquit Val. Max. lib. IV, cap. 8, 1, *certius est indicium supra vires niti, quam viribus ex facili uti. Alter enim quod potest, praestat: alter etiam plus quam potest.* Εἰ καί τι ἀδυνάτων ἐστὶ μεῖζον Phalaris epist. 31.

5. *Imperavi mihi.* Id est, Etiam nolens, te iubente scribam versus.

6. *Adventoria sua* Turneb. lib. XXX, cap. 26, sic explicat hunc locum. De libro autem ut de *adventoria coena* loquitur, qua excipere solemus amicos peregre redeuntes, aut longo intervallo ad nos venientes.

7. *Tantum apud*, etc. Non solum apud te cui haec scribo, sed et apud alios quibus propter te innotescent. Vel: Non tantum iudicii et censurae periculum apud te, cuius candore fretus sum, inibunt, quantum apud alios non aeque aequos et candides. — Melius hoc, non tamen optimum. Nam sensus est: Tu solus ita me

mare et excutere non graveris; et, quod tibi difficillimum [1] est, de nugis nostris iudices nitore seposito, [2] ne Romam, si ita decreveris [3], non Hispaniensem [4] librum mittamus, sed Hispanum.

amas, ita mihi faves, ut versiculos hos qualescumque meos indulgens accipias. Eo. P.

1. *Quod tibi difficillimum, etc.* Solita benevolentia et innata humanitate, quibus me pertinaciter prosequeris, ad tempus depositis, quo rigidiorem agas censorem, diiudices an Romam mitti mereatur liber hic in Hispania scriptus.

2. *Nitore seposito.* Raderus recte nitorem referre videtur ad elegantiam et humanitatem, quam Priscus ad carmina Martialis afferre solabat.

3. *Si ita decreveris.* Si tu censueris librum hunc dignum qui Romam videat.

4. *Non Hispaniensem.* Id est, scriptum in Hispania, sed prorsus Hispanum, seu inelegantem et rudem. Hispaniensis autem est ille qui incolit Hispaniam, licet aliunde oriundus sit; Hispanus vero est ille qui natus est in Hispania, quem hic sumit pro barbaro et inculto.

I. — AD EVNDEM.

Retia dum cessant, latratoresque Molossi,
Et non invento sylva quiescit apro;
Otia, Prisce, brevi poteris donare libello.
Hora nec aestiva est, nec tibi tota perit.

Librum Prisco uffert opportune legendum.

1. *Retia dum, etc.* Dum cessat venandi studium per anni tempus. Videtur fuisse ver vel autumnus, neque enim horae aestivae nocent, et aprorum venationi inservit maxime hiems. — *Molossi.* Canes acerrimi sic dicti a Molossis Epiri populis, ubi erant optimi.

4. *Nec aestiva est.* Hoc est, non opus est hora longissima ad legendum meum librum. Diei aestivi, ut et hiberni, longitudinem totam in duodecim partes dividebant Veteres; unde necessario accidebat ut horae aestivae hibernis multo longiores essent. — *Nec tibi tota perit.* Etenim liber non est tam malus, quin ex eo fructum aliquem percipias. Mihi videtur sensus: Nec ut soles aestivo tempore, quo maxime laboras et exerceris, nec tamen id temporis totum tibi perit, quum literis studeas.

2. — AD SVA CARMINA.

Quae modo litoreos ibatis carmina Pyrgos;

1. *Quae modo.* Ex Vrbe quondam libros meos misi Pyrgos, ut inde in alias orbis partes mitterentur: iam vero ex Hispania illos mitto in Vr-

Ite Sacra, iam non pulverulenta via est.

bem. Pyrgi (πύργοι, *turres*) oppidulum fuit Etruriae maritimum.

2. *Non pulverulenta.* Hinc colliga hunc librum missum esse vel vere vel autumno, quia tunc humidum est caelum.

3. — AD LIBRVM SVVM.

Ad populos mitti qui nuper ab Vrbe solebas,
  Ibis io Romam nunc peregrine liber,
Auriferi de gente Tagi, tetricique Salonis,
  Dat patrios Manes quae mihi terra potens.
Non tamen hospes eris, nec iam potes advena dici,
  Cuius habet fratres tot domus alta Remi.
Iure tuo veneranda novi pete limina templi,
  Reddita Pierio sunt ubi templa choro.
Vel si malueris, prima gradiere Suburra:
  Atria sunt illic consulis alta mei.
Laurigeros habitat facundus Stella Penates,
  Clarus Hyanteae Stella sititor aquae.

1. *Ad populos.* Hoc epigramma eiusdem argumenti est cum superiore.

2. *Ibis io Romam, etc.* Ita fere Ovidius, Trist. lib. II, eleg. 1, vs. 1: *Parve, nec invideo, sine me liber ibis in Vrbem.* — *Io!* saepius laetitiam denotat, hic pro *O!* positum fuit. Ed. P.

3. *Auriferi, etc.* Ex Hispania metallis celebri, ubi aurifer Tagus et Salo, cuius aquis ferrum temperatur. Hunc forte tetricum vocat propter agrestes seu tetricos et severos eius accolas.

4. *Dat patrios manes.* In qua scilicet terra conditi sunt cineres meorum parentum, et quae patria mea est.

6. *Cuius habet fratres.* Romae quippe, quam Remi domum vocat, praecedentes libros scripserat: Romae autem triginta et quatuor annis manserat, lib. X, epigr. 104.

7. *Iure tuo veneranda, etc.* Namque templum est Apollinis et Musarum, ab Augusto in Palatio excitatum: in quo poëtarum opera recitabantur et probata reponebantur cum imaginibus.

8. *Reddita Pierio.* In palatio Musarum atque Apollinis templum excitaverat Augustus, ubi probata poëtarum scripta reponebantur, quod Nerva deinde restituit in gratiam chori Pierii seu Musarum, et ipsorum etiam poëtarum.

9. *Prima Suburra.* In cuius aditu habitabat Stella.

10. *Consulis mei.* Stellae, cui ego consulatum vovi. — Vel, mihi faventis.

12. *Hyantea aqua* est unda Castalis. Ausonius: *et Hyantea Aganippe.* Ovidio Actaeon *iuvenis Hyantius.* Statio *Hyantiae sorores Musae.* Gronovius.

Fons ibi Castalius vitreo torrente superbit,
Vnde novem dominas saepe bibisse ferunt.
Ille dabit populo, patribusque, equitique legendum,
Nec nimium siccis perleget ipse genis.
Quid titulum poscis? versus duo tresve legantur,
Clamabunt omnes te, liber, esse meum.

13. *Castalius.... Vnde, etc.* Propter Stellam poëtam.

14. *Novem dominas.* Musas intellige.

16. *Nec nimium siccis.* Prae desiderio mei aliquantulum flebit.

17. *Quid titulum poscis?* Hoc est, nomen auctoris.

4. — AD PRISCVM.

Quod Flacco, Varioque fuit, summoque Maroni,
Maecenas atavis regibus ortus eques,
Gentibus et populis hoc te mihi, Prisce Terenti,
Fama fuisse loquax, chartaque dicet anus.
Tu facis ingenium; tu, si quid posse videmur;
Tu das ingenuae ius mihi pigritiae.

Priscum Maecenatem suum, ait, dignum aeterno praeconio immortalitatis, eius simul virtutes praedicat.

2. *Maecenas.* Alludit ad illum Horatii versum lib. I, Od. 1: *Maecenas atavis edite regibus, etc.* et id Tibullianum: *Maecenas eques Etrusco de sanguine regum.* Ed. P.

4. *Anus.* Longaeva. — *Chartaque.* Hoc est, Te meis in versibus donabo immortalitate.

5. *Tu si quid, etc.* Subaud. *id das mihi, id facis.*

6. *Ingenuae ius mihi pigritiae.* Otium literarum intellige, homine ingenuo haud indignum post emerita stipendia. Sex ultimos versus epigrammatis sexti huic coniungendos censet Turnebus lib. XXX, cap. 26. Sed tam Nervae quam Prisco convenire posse videntur.

5. — AD CAESAREM.

Longior undecimi nobis, decimique libelli
Arctatus labor est, et breve rasit opus.

1. *Longior.* Editum iam decimum atque undecimum librum revocavit et contraxit; ad nos tamen integros pervenisse merito existimat Raderus; sunt enim aeque longi ac priores libri.

2. *Breve rasit.* Hoc est, castigando et emendando multa erasit.

Plura legant vacui, quibus otia tuta dedisti;
Haec lege tu, Caesar: forsan et illa leges.

4. *Haec lege*. Hoc est, hos libros contractos: alios vero longiores legendos iis relinque, quibus tu, o Caesar, otium tutum concessisti, quo carebant regnante Domitiano.

6. — IN COMMENDATIONEM NERVAE.

Contigit Ausoniae procerum mitissimus aulae
Nerva: licet toto nunc Helicone frui.
Recta Fides, hilaris Clementia, cauta Potestas
Iam redeunt: longi terga dedere Metus.
Hoc populi, gentesque tuae, pia Roma, precantur:
Dux tibi sit semper talis, et iste diu.
Macte animi, quem rarus habet, morumque tuorum,
Quos Numa, quos hilaris posset habere Cato.
Largiri, praestare, breves extendere census,
Et dare, quae faciles vix tribuere Dei,
Nunc licet, et fas est: sed tu sub principe duro,
Temporibusque malis, ausus es esse bonus.

Roma, inquit, caput mundi, quum Traiani Imperatoris futuros, eosque plurimos annos evolveret; dixit, omnes bellicosos populos virtutem Imperatoris formidaturos, eiusque armis cessuros.

2. *Nerva*. De Traiano hoc epigramma et praecedens intelligi potest (immo debet; nam Traiano imperante, Vrbem Noster reliquerat); Traianus enim a Nerva adoptatus dictus est Nerva Traianus. — *Helicone frui*. Hoc est, libere Musis vacare.

4. *Longi metus*. Quibus percellebantur Romani regnante Domitiano.

5. *Hoc populi, etc.* Quod habet versus insequens, *Dux tibi, etc.*

6 *Talis*. Qualis est Nerva.

7. *Macte animi*. Sensus est: Beatus et felix sis illo animo", atque illis moribus quibus ornari se crederet Numa, et laetaretur Cato, quantumvis morosus, et Stoicae frontis.

9. *Largiri*. Id est: Nunc liberalitatem exercere potes. At id minima pars laudis tuae, Imperator optime, quippe qui etiam sub principe crudeli bonus esse ausus sis,

7. — DE LIGEIA.

Toto vertice quot gerit capillos,
Annos si tot habet Ligeia, trima est.

1. *Quot gerit capillos.* Est itaque tripilis seu trifilis.

2. *Ligeia.* Melius forsan *Ligia* aut *Ligea.* — *Trima.* Triennis. Sic *bimus, quadrimus;* Horat. lib. I, od. IX, 8: *Deprome quadrimum Sabina, O Thaliarche, merum diota.*

8. — IN COMMENDATIONEM TRAIANI.

Terrarum Dea gentiumque Roma,
Cui par est nihil, et nihil secundum,
Traiani modo laeta quum futuros
Tot per saecula computaret annos,
Et fortem, iuvenemque, Martiumque
In tanto duce militem videret;
Dixit praeside gloriosa tali:
Parthorum proceres, ducesque Serum,
Thraces, Sauromatae, Getae, Britanni,
Possum ostendere Caesarem; venite.

1. *Dea.* Non id ὑπερβολικῶς tantum et poëtarum usitata audacia dictum; sed inter Deas vere relata est urbs Roma, et hodie exstant nummi qui Deam Romam pingunt aureo solio sedentem, mundum sinistra, dextra Victoriam tenentem. Eo. P.

2. *Nihil secundum.* Vel si quid proximum, longo certe intervallo. Iis fere verbis usus est Hor. quum de Iove, Od. I, XII, 18: *Nec viget quidquam simile, aut secundum.*

4. *In tanto duce, etc.* « Sic Imperatorem, commilitonemque miscueras, etc. » Plin. in Panegyrico Trajani, XIX, 3. Ita locutus est de Caesare Sylla, referente Sueton. cap. 1: *Caesari multos Marios inesse.*

8. *Parthorum.* Quos bello superaverat Traianus. — *Ducesque Serum.* Cluverius, lib. V suae Introductionis cap. 2, Sericam Scythiam hodie Cataiae regnum esse dicit. De sequentibus populis saepius actum supra. — Cluverio de Serica Scythia multi, et ii docti, adversantur; et sane Seras vero simillimum est regionis huius fuisse incolas quae nunc vocatur *royaume de Siam*, in ea Indicae ultra Gangem peninsulae parte quae ad occidentem spectat.

10. *Venite.* Pacem scilicet oraturi: habeo enim Traianum, qui vos a me deficientes castigare poterit. De virtutibus Traiani fuse Plinius iunior in suo Panegyrico. — Ego intelligam libentius, quasi omnibus quos hic advocat populis persuasum esset nihil

romano imperatore maius, qui quidem dignus nomine tali, Romam exclamasse: Iam habemus redivivum Caesarem (Traianus enim sive ad morum comitatem, sive ad rei militaris peritiam respexeris, nulli impar); venite, quem nunquam vidistis, admirari nunc datur copia. Eo. Par.

9. — AD CAESAREM.

Palma regit nostros, mitissime Caesar, Iberos,
Et placido fruitur pax peregrina iugo.
Ergo agimus laeti tanto pro munere grates:
Misisti mores in loca nostra tuos.

Hispaniam pacatam Caesaris virtuti et moribus adscribit.

1. *Palma*. Cuius praefecti Syriae, et Traiano gratissimi, mentionem facit Dio in Traiano: iterum meminit in Adriano a quo interfectus est Palma. Alii hoc loco Palmam sumunt pro symbolo victoriae; minus bene.

2. *Pax peregrina*. Hoc est, Hispani, qui alienigenae et peregrini Romanis videbantur, vere quieta pace gaudebant provinciam obtinente Palma, nec imperium incusabant severum et rapax cui Roma pacis nomen praetendebat.

4. *Misisti*. Palmam praefectum, et tuorum morum aemulum. Gronovius tamen sic vituperat: « Ibi ridicule nonnulli ex interpretibus, *mores*, id est, praefectum aemulum tuorum morum. Sed peculiari ratione *mores* in Domitiano praedicat, qui *morum correctionem suscepit*, ut loquitur Suetonius, cap. 8, censorque fuit, prout a Martiali salutatur. » Prior tamen sensus potior multis videtur.

10. — DE AFRICANO.

Habeat Africanus millies, tamen captat.
Fortuna multis dat nimis, satis nulli.

Africani ditissimi et captatoris avaritiam carpit.

1. *Millies*. Centena scilicet sestertium millia. Eo. P. — *Tamen captat*. Hoc est, servilibus officiis rem facere quaerit.

2. *Satis nulli*. Argute Aristophanes in Pluto: Ωστ᾽οὐδὲ μεστός σου γέγον᾽ οὐδεὶς πώποτε· Τῶν μὲν γὰρ ἄλλων ἐστὶ πάντων πλησμονή. Hoc est: *Neque quemquam hominem tui unquam* (supple, o *Plute*) *cepit satietas; nam aliarum rerum satietas est omnium.*

11. — MITTIT LIBRVM AD PARTHENIVM.

Parthenio dic, Musa, tuo nostroque salutem:
Nam quis ab Aonio largius amne bibit?
Cuius Pimplaeo lyra clarior exit ab antro?
Quem plus Pierio de grege Phoebus amat?
Et si forte, sed hoc vix est sperare, vacabit,
Tradat ut ipse duci carmina nostra, roga;
Quatuor et tantum timidumque brevemque libellum
Commendet verbis: Hunc tua Roma legit.

2. *Nam quis.* Hoc est, quis est poëta nobilior. Et idem est sensus versuum duorum quae sequuntur, nec aliud continent quam poëticae excellentiae περίφρασιν.

3. *Lyra clarior, etc.* Forte et Lyricis vacasse Parthenium quidam putarent. Non ego; Lyra illic poëtam hunc esse duntaxat significat.

6. *Tradat ut.* Idem rogavit Parthenium, lib. V, epigr. 6. — *Duci.* Nervae aut potius Traiano.

7. *Quatuor verbis, etc.* Quae subsequuntur, nempe: *Hunc tua Roma legit.* — *Tua.* Quae tibi impense famulatur, te adorat, dominatione tua laeta et superbiens.

12. — IN POSTHVMVM.

Omnia promittis, quum tota nocte bibisti:
Mane nihil praestas. Posthume, mane bibe.

Virum reprehendit qui ebrius nihil non compotantibus pollicetur, at ubi sui compos, nihil praestat.

2. *Mane.* Hoc est, postridie. — *Mane bibe.* Vt promittas, atque eodem die memor praestes; dormienti enim tibi promissa excidunt ex memoria.

13. — AD AVCTVM.

Genus, Aucte, lucri divites habent iram,
Odisse, quam donare, vilius constat.

1. *Genus lucri.* Nimirum divites fingebant iram, ne aliquid donarent, lib. III, epigr. 36. Tunc autem quis pauper vociferanti contraria dicere ausus esset, quum timeret ne divitem et potentem gravius laederet, innocuum sese probans, quam silentio? Ed. P.

14. — AD PRISCVM.

Parcius utaris, moneo, rapiente veredo,
  Prisce, nec in lepores tam violentus eas.
Saepe satisfecit praedae venator, et acri
  Decidit excussus, nec rediturus, equo.
Insidias et campus habet: nec fossa, nec agger,
  Nec sint saxa licet, fallere plana solent.
Non deerunt qui tanta tibi spectacula praestent,
  Invidia fati sed leviore cadant.
Si te delectant animosa pericula, Tuscis
  (Tutior est virtus) insidiemur apris.
Quid te fraena iuvant temeraria? saepius illis,
  Prisce, datum est equitem rumpere, quam leporem.

Monet Priscum venatione plurimum se oblectantem, vel raro, vel caute, nec toto equi impetu feras persequatur, si obvia pericula casusque declinare velit.

1. *Rapiente veredo.* Turneb. lib. XVIII, cap. 1. Opinio est, inquit, veredum equum esse, qui vehat rhedam: sed ego veredum equum puto, qui neque rhedam, neque cisium trahat, etc. Gallice possis interpretari *un coureur.*

3. *Satisfecit, etc.* Ipse, dum praedam captaret, praeda factus.

5. *Insidias, etc.* Vel in plano locus est ruinae et morti.

7. *Non deerunt.* Alii scilicet, qui te comitabuntur.

8. *Sed leviore.* Sed minor est aliorum iactura, et levior inde invidia in deos.

9. *Animosa pericula,* In quibus opus est magna fortitudine. — *Tuscis.* Ingentibus et ferocibus, quales habet Tuscia.

10. *Tutior est virtus.* Nam ab insidiis magis sibi caveant venatores.

12. *Equitem rumpere.* In hac leporum venatione saepius venator incautus periit, quam lepus.

15. — ADVLATORIVM.

Quidquid Parrhasia nitebat aula,
Donatum est oculis, Deisque nostris.
Miratur Scythicas virentis auri

Raderus hoc epigramma ad Traianum refert; nec adulatorium esse dicit, sed historicum potius et verum.

1. *Parrhasia.* Id est, Palatina.

Donatum est oculis. Templis consecratum est ab omni populo spectandum.

3. *Miratur.... stupet.* Non sine admiratione et stupore videt se auro

Flammas Iupiter, et stupet superbi
Regis delicias, gravesque luxus.
Haec sunt pocula, quae decent Tonantem:
Haec sunt, quae Phrygium decent ministrum.
Omnes cum Iove nunc sumus beati:
At nuper (pudet, ah pudet fateri)
Omnes cum Iove pauperes eramus.

effictum gemmisque radiantem Iupiter lib. XI, ep. 4, vs. 3. — *Scythicas.* Referas ad aurum, vel smaragdos; nam utroque clarent Riphaei montes. — *Virentis auri.* Repercussu smaragdorum aureis imaginibus et poculis insertorum. Intelligit ergo *aurum gemmatum*, quod virebat Scythicis smaragdis, quibus textum erat. Aliud vero *gemmeum* poculum; aliud *gemmatum*. Nam *gemmeum*, ex una gemma in poculum cavata, ut apud poëtam: *hic gemma bibat*. Sed *gemmatum*, χατάλιθον, aureum totum et gemmis intextum. Persuasum autem veteribus fuit nullo lapide aptius decorari quam smaragdis aurum, nullo tam bene flavum colorem quam viridi.

5. *Regis.* Domitiani, quem vivum summis laudibus extulit, iam mortuum vituperat Poëta. — *Gravesque luxus.* Vt adornaret templa, spectacula ederet, atque suis voluptatibus indulgeret, Romanos spoliabat Domitianus: unde eius lusus graves erant populo.

6. *Haec sunt pocula, etc.* Ii sunt crateres, eae paterae quas deceat pariter praebere Ganymedem, accipere Iovem; Ganymedem vini plenas porrigere, Iovem exsiccare et vacuas rursum tradere.

7. *Phrygium ministrum.* Ganymedem nempe; pocula Domitiani Iovi consecravit Traianus.

10. *Cum Iove.* Quem donis ingentibus exornavit Traianus. — *Omnes cum Iove pauperes.* Attamen lib. IX, epigr. 4, dixit Poëta Iovem non fore solvendo parem, si ab eo Domitianus repetiisset impensas, quas in templis Capitolinis fecerat. Melius ergo, ut opinor, aliter explicabis, cum Iove, hoc est, cum Domitiano, qui alterum Iovem haberi se volebat. Vide lib. IX, epigr. 37. — Fallitur hic interpres. Quid enim sensus ille sibi vult, et qua ratione cum his quadrat quae praecedunt? quomodo pauperem asseverare potest Domitianum, cui omnia obiicias licet, sed non simplicitatem nimiam? Respiciatur tantum ad v. 4 et 5: *Iupiter stupet superbi regis delicias?* At Iovem supra dixit ditatum a principe. Quid inde? Vivum adulabatur, mortuum carpit; mirumque sane est, aliquem sic converti, et ut aiunt, παλινῳδίαν cantare. Ed. Par.

16. — IN LABIENVM.

Addixti, Labiene, tres agellos:

1. *Addixti.* Eodem fere sensu, lib. X, epigr. 31 invehitur in eum qui servum vendiderat, ut laute coenaret.

Emisti, Labiene, tres cinaedos:
Paedicas, Labiene, tres agellos.

3. *Paedicas agellos.* Quia paedicando absumit. Haud absimilis, licet pudica magis et circa mensae voluptates, gallica haec locutio : *Manger ses rentes, manger ses terres*, pro *epulando absumere*. Eo. P.

17. — IN LENTINVM.

Quare tam multis a te, Lentine, diebus
Non abeat febris, quaeris, et usque gemis.
Gestatur tecum pariter, pariterque lavatur:
Coenat boletos, ostrea, sumen, aprum.
Ebria Setino fit saepe, et saepe Falerno:
Nec nisi per niveam Caecuba potat aquam.
Circumfusa rosis, et nigra recumbit amomo;
Dormit et in pluma, purpureoque toro.
Quum sit ei pulchre, quum tam bene vivat apud te,
Ad Damam potius vis tua febris eat?

Insectatur luxum aegri et febricitantis Lentini; qui questus de diuturna febri, febris caussam, ut sunt vina et cupediae, non amovebat; non mirum ergo, febrem iam laute apud Lentinum delicateque habitantem non discedere.

1. *Quare tam multis, etc.* Quum febris a te excipiatur molli gestatione, balnearum blanditiis, optimarum dapum vinorumque deliciis, omnium denique, quae humoris sui fomitem et nutrimentum febris appetit, lautitia et luxu; inhumana certe et insulsa foret, si a tam felici et benigno hospite ad pauperem miserumque deficeret ac discederet. Lepidissimus est eiusdem ingenii apologus N. Gerbelli de Podagra et Aranea, et epigram. Graec. lib, II, cap. 43: Μισόπτωχε θεὰ, μούνα πλούτου δαμάτειρα, etc.

3. *Gestatur tecum, etc.* Hor. od. III, 1, 40, de animi aegritudine: *Post equitem sedet atra cura.* — *Gestatur...., lavatur, coenat.* Nota quam fideliter omnia exsequatur, quae per unius diei spatium solebant agere, exercitationes corporeas, lavationem, prandium.

4. *Boletos, ostrea, etc.* Quae omnia in deliciis apud ditiores.

5. *Setino.... Falerno.* De optimis vinis saepe actum.

7. *Nigra, etc.* Vncta amomo et unguentis omnibus qui subfuscum addebant colorem comae.

10. *Damam potius, etc.* Proletarium nescio quem inopem et infelicem. Nam poëtis usurpatum Damae nomen pro servi manumissi, inprimis Horat. et Persio. — Idem ferme cogitans gallicus quidam poëta (*François de Neufchâteau*) de eadem :

Hôtesse des palais des grands,
Que cherche-t-elle en ma chaumière?

Cf. et fabula eximii *La Fontaine*, cui titulus, *La Goutte et l'Araignée.*

18. — AD IVVENALEM.

Dum tu forsitan inquietus erras
Clamosa, Iuvenalis, in Suburra,
Aut collem dominae teris Dianae;
Dum per limina te potentiorum
Sudatrix toga ventilat, vagumque
Maior Coelius, et minor fatigant;
Me multos repetita post decembres
Accepit mea, rusticumque fecit,
Auro Bilbilis et superba ferro.
Hic pigri colimus labore dulci
Boterdum Plateamque: Celtiberis
Haec sunt nomina crassiora terris.
Ingenti fruor improboque somno,
Quem nec tertia saepe rumpit hora,
Et totum mihi nunc repono, quidquid
Ter denos vigilaveram per annos.
Ignota est toga: sed datur petenti

Describit otium suum Bilbilitanum.

1. *Inquietus*. Officiis et curis urbicis distentus. Quod inferius mox describet.

2. *Iuvenalis*. Poëta satyricus satis notus. — *Clamosa Suburra*. Vbi nempe frequens clamor, quod illic esset forum rerum venalium, lib. VII, epigr. 31.

3. *Collem Dianae*. Montem Aventinum intellige, in quo erat templum Dianae sacrum.

5. *Sudatrix toga*. Clientes toga induti adibant suos patronos.

6. *Maior Caelius, et minor*. Montes. Maiorem olim Querquetulanum dictum scribit Tacitus, et Coelium postea a Coele Vibenna, Hetruscae gentis duce: minor Coeliolus, aut Coelicolus dictus.

7. *Multos post decembres*. Post annos nempe 34.

13. *Improbo*. Pertinaci, qui vanas urbanorum sollicitudines et taedia quodammodo irridet. Ed. P.

15. *Totum mihi*, etc. Compenso somno et edormio, quidquid Romae vigilaveram.

17. *Ignota est toga*. Sensus est: Officia togatorum hic nulla sunt. Lib. X, epigr. 51, vs. 6: *Iani Numaeque languidos menses in otio fuliginoso et tunicata quiete transmittere*. Sidonius lib. II, epist. 14. — *Datur petenti*. Mihi mane surgenti petentique datur a servo.

Rupta proxima vestis e cathedra.
Surgentem focus excipit superba
Vicini strue cultus iliceti,
Multa villica quem coronat olla.
Venator sequitur; sed ille, quem tu
Secreta cupias habere sylva.
Dispensat pueris, rogatque longos
Levis ponere villicus capillos.
Sic me vivere, sic iuvat perire.

18. *Rupta proxima.* Morem ostendit hominis rusticantis, qui solutus curis dum it dormitum, vestem negligenter coniicit in cathedram. Sic Domitius.

19. *Surgentem focus.* « Vicina in ipsum sylva descendet focum » lib. I, epigr. 50, vs. 27.

21. *Multa villica, etc.* Quem villica cingit multis ollis. Vel cui foco villica imponit ollas coquentes ad prandia et coenas.

22. *Ille, quem tu.* Delicatus adeo et mollis, ut in deliciis habeas et cupias, etc.

24. *Rogatque longos.* Villicus novacula rasus, rogat dominum ut liceat pueris deponere capillos, quod signum erat emeritae suae militiae, ut iam in viros transcripti rei rusticae dent operam. Ramiresius ad lib. III, epigr. 58 intelligit ipsum villicum levem rogare dominum, ut hoc sibi liceat. — *Levis villicus*, cui nihil adhuc erat lanuginis, quemadmodum *laeves pueros* posuit lib. XI, epigr. 22

19. — DE AEMILIO.

In thermis sumit lactucas, ova, lacertum,
Et coenare foris se negat Aemilius.

1. *In thermis.* Divites iis quibuscum lavabant cibos paucos et leves in ipsis thermis distribuebant: hos Aemilius vorabat, ita ut ei non iam necesse foret coenare foris; interim praedicabat se non captare alienam coenam, quasi perinde non esset in alienis aedibus coenare. Epigr. 70, infra, de Apro: *Sobrius a thermis nescit abire domum.* — *Lactucas, ova, lacertum.* Ergo non, velut par est, aliquid duntaxat libat quo *stomacho accedat fultura ruenti* (notum enim, quae sequatur lavationem debilitas, praesertim si calidis aquis, si laconicis corpus foveatur); sed convivium totum absumebatur eius ingluvie. Ed. Par.

20. — AD FABVLLVM.

Quare non habeat, Fabulle, quaeris
Vxorem Themison? Habet sororem.

2. *Habet sororem.* Hoc est, amicam.

21. — AD MARCELLAM.*

Municipem rigidi quis te, Marcella, Salonis,
Et genitam nostris quis putet esse locis?
Tam rarum, tam dulce sapis: Pallatia dicent,
Audierint si te vel semel, esse suam;
Nulla nec in media certabit nata Suburra,
Nec Capitolini collis alumna tibi.
Nec cito ridebit peregrini gloria partus,
Romanam deceat quam magis esse nurum.
Tu desiderium dominae mihi mitius urbis
Esse iubes: Romam tu mihi sola facis.

* Vxorem Martialis, de qua vide epigr. 31 infra. — Marcellam uxorem habuit Poëta; laudat hic eius comitatem, prudentiam, et morum suavitatem, ipsisque romanis Iunonibus comparare iuvat.

1. *Municipem.* Quis te crederet Hispanam e Bilbili quam alluit Salo? Credit nimirum, aut simulat eredere se, nusquam gentium pulchritudinem, leporem, elegantiam, munditias esse, nisi Vrbis reginae intra muros; quod vulgo iis persuasum qui diu magnae regionis caput urbem tenuere. Ed. P. — Fluvii *Salonis. Fluvii* ferrum durantis lib. IV, epigr. 55, 15: *Armorum Salo temperator.*

3. *Pallatia dicent.* Roma, si te videat, dicet te apud se natam, et educatam in ipsa principis aula. Sic l. XI, ep. 53, v. 3: *Romanam credere matres Italides possunt.*

4. *Audierint.* Morum scilicet, ingenii et linguae elegantiam.

5. *Nulla nec.* Duo hic negationes, more Graecorum usurpatae, magis negant. — *Certabit.* Hoc est, nec ulla mulier, vel media in Vrbe nata, tecum contendet de elegantia et comitate morum, etc.

7. *Nec cito.* Legend. ex vet. libro *Te cito, etc.* Hi vero duo versus miris modis olim vexati sunt. *Flosculus.* — Nihil hic mutandum existimo. Sententia est, nisi valde fallor: Nec temere ullus alius partus peregrinus erit, quem romanum existimari magis deceat. Nam pro *ducat* probo *deceat*, quod in vett. libb. *Heraldus.* — *Nec cito.* Hunc versum sic explicat cum Heraldo Raderus, *Nec gloria peregrini partus*: Id est, nec ulla puella extra Vrbem nascetur, et nata arridebit patri aut matri, quae magis debeat existimari Romana vel ab ipsis Romanis, quam te, o Marcella. Virg. Eclog. IV, 60: *Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem.*

9. *Dominae urbis.* Romae, ut patet, quae *terrarum Dea gentiumque.* Sup. epigr. 8, vs. 1.

10. *Romam, etc.* Etiam inter populares meos, quando tu mecum habitas, me Romae esse mihi videor.

22. — DE PHILAENIDE.

Quam sit lusca Philaenis indecenter,
Vis dicam breviter tibi, Fabulle?
Esset caeca decentior Philaenis.

1. *Philaenis.* De hac muliere iam saepe Martialis, neque unquam bonam in partem. Nam quidquid ei inerat vitii tetrastieho hoc coniuncta expresserat (lib. II, epigr. 33): *Cur non basio te Philaeni? Calva es. Cur non basio te, Philaeni? rufa es. Cur non basio te, Philaeni? lusca es. Te qui basiat, hic, Philaeni, fellat.*

3. *Decentior.* Capta enim utroque oculo minus deformis videretur. Atqui caecam horreres adspiciens; quanto magis ergo luscam!

23. — IN LAELIAM.

Dentibus atque comis, nec te pudet, uteris emptis.
Quid facies oculo, Laelia? non emitur.

Edentula eras, adscivisti dentes eburneos buxeosque: calva eras, sumpsisti comas factitias et emptitias: caeca facta es, qua arte reficies hoc damnum, quum oculi non perinde ac comae atque dentes adulterati emantur?

2. *Quid facies oculo.* Qua arte oculi deformitatem teges? oculi fictitii non emuntur. Vid. not. 1. Caeterum puto epigrammatis illius primariam cogitationem Nostro eodem tempore incidisse, quo praecedentis. Enim vero persaepe in nostratibus qui quidem plurima epigrammata scriptitarunt, duo vel tres vel amplius occurrunt, quorum eadem aut similis materia est.

24. — AD IVVENCVM, DE COVINO CVRRV.

O iucunda, Covine, solitudo,
Carruca magis, essedoque gratum
Facundi mihi munus Aeliani;
Hic mecum licet, hic, Iuvence, quidquid
In buccam tibi venerit, loquaris.

1. *Covine.* Vehiculi falcati genus est, quo Galli in praeliis utebantur. — *Iucunda solitudo.* Nempe propter umbram covini tecti et velati, ut ait Raderus: sed melius, meo iudicio, Farnabius covinum solitudinem dici a Poëta censet, quod regeretur sine mulione.

2. *Carruca, essedoque.* Sunt etiam curruum genera.

4. *Quidquid.* Quodlibet libere dicas.

Non rector Libyci niger caballi,
Succinctus neque cursor antecedit.
Nusquam est mulio: mannuli tacebunt.
O si conscius esset hic Avitus,
Aurem non ego tertiam timerem.
Totus quam bene sic dies abiret!

6. *Vector* edd. vett. et Farnab. Vectus, scilicet est ὁ ὑποχούμενος ἐφ' ἵπποις. Sic *vehere equo* atque *in equo*, frequens pro vehi, ὀχεῖσθαι ἵπποις. — *Niger caballi*. Maurus, Massylus eques omnium expeditissimus.

8. *Mannuli*. Parvi equi qui sermones nostros non deferent, a quibus scilicet trahebatur covinus.

10. *Aurem non*. Aviti scilicet qui verba nostra insidiose ovo exciperet.

25. — IN THELESINVM.

Quum rogo te nummos sine pignore, Non habeo, inquis.
Idem, si pro me spondet agellus, habes.
Quod mihi non credis veteri, Thelesine, sodali,
Credis colliculis, arboribusque meis.
Ecce reum Carus te detulit: adsit agellus.
Exsilii comitem quaeris? agellus eat.

Foeneratorem Thelesinum, qui nihil Poëtae sine pignore credebat, exagitat. Scribit quasi Romae esset. *Raderus*.

2. *Spondet agellus*. Qui scilicet probat me debito tuo facile parem, et eum esse qui solvere possim; et in quem irrogare possis quas nunc vocamus *hypothèques*. Ed. P.

3. *Credis*. Id est committis.

5. *Carus te detulit*. Caussidicus et delator, Domitiano imperante famosissimus, ut Neronianis temporibus Eprius ille Marcellus. — *Adsit agellus*. Tibi in iudicio, caussam tuam agat agellus meus, cui magis credis quam mihi. Scoptice.

6. *Exsilii comitem*. Id officii et honoris magni loco olim censebatur, exsulantem et profugum patria procul sequi. — *Agellus eat*. Non ego, velus sodalis.

26. — IN AVARVM AMICVM.

Sexaginta teras quum limina mane senator,

Eosdem labores, non eadem praemia divitibus et pauperibus esse proposita Romae, quasi adhuc degeret in urbe, ostendit. *Rad.*

1. *Sexaginta* in omnibus codd. manu exaratis. Sed: »Omnino *Sexagena*; vid. Voss. in Arte grammatica.« *Schrevel.* — *Sexaginta*. Hoc est, quum tu

Esse tibi videor desidiosus eques,
Quod non a prima discurram luce per Vrbem,
Et referam lassus basia mille domum.
Sed tu purpureis ut des nova nomina fastis,
Aut Numidum gentes, Cappadocumve petas;
At mihi, quem cogis medios abrumpere somnos,
Et matutinum ferre patique lutum,
Quid petitur? rupta quum pes vagus exit aluta,
Et subitus crassae decidit imber aquae;
Nec venit ablatis clamatus verna lacernis:
Accedit gelidam servus ad auriculam,
Et, Rogat ut coenes secum Laetorius, inquit.
Viginti nummis non ego malo famem?

ordinis senatorii discurras, ego vero dignitate inferior, eques scilicet, et quidem sine censu, tibi videor desidiosus, qui summo mane potentioribus non nuntiem salutem.

2. *Desidiosus eques.* Honorarium equitem, hoc est, principis munere, non censu fuisse poëtam nostrum iam vidimus lib. V, epigr. 13, ubi id dicit: *Sum, fateor, semperque fui, Callistrate, pauper; Sed non obscurus, nec male notus eques.* Mox eodem lib. epigr. 17: *Dum tibi noster eques sordida conditio est*; at lib. IX, epigr. 50, vs 4. *In hac ibam conspiciendus eques.* Ed. P.

4. *Et referam.* De his salutantium basiis saepe diximus.

6. *Sed tu purpureis.* Hoc est, ut consul fias; consulum enim nomina in fastos referebantur purpura illitos.

6. *Aut Numidum.* Numides vocantur auctore Stephano populi circa Nilum fluvium; Cappadoces vero Asiae Minoris sunt populi, de quibus iam supra. Sensus est: Tu colis potentiores, ut obtineas provinciam cum imperio.

7. *At mihi.... quid petitur.* Hoc est, quid spero, quum rupta est aluta pellis? nempe ex qua conficiebantur calcei.

9. *Rupta quum pes, etc.* Fatigati nempe ob tot et tantas cursitationes, salutationes, anteambulationes. Iisdem fere verbis Iuvenalis, Sat. III, vs. 149 et 150: *rupta calceus alter Pelle patet.* Ed. P.

10. *Et subitus.* Et pluvia repentina perfusus domum redeo. Vid. Iuvenalis, qui Sat. III, hac locutione utitur. Male *aquam crassam* corporis sudorem interpretatur Domitius.

11. *Ablatis.* Iac. Bongarsius coniicit legendum esse *adlatis* — *Nec venit.* Hoc est: Nec vocatus multiplici clamore iterumque iterumque rogatus, servus unus ex tanta domo detritis meis lacernis aut humidis adest, qui novas afferat, detritas tollat, sed duntaxat a divite quodam Laetorio venit servus, qui me multo nimis defatigatum invitet ad coenam. Ed. P.

14. *Viginti nummis, etc.* Annon parvo mihi satius esset domi tantum parvo pretio emptam sumere coenam, quam tot officiis et tanto labore fra-

Quod sit coena mihi, tibi sit provincia merces,
Et faciamus idem, nec mereamur idem.

...ctum demereri rectam coenam vel sportulam? quae centum quadrantibus (vel viginti quinque sestertiis aestimata).

15. *Quod sit coena mihi*. Hoc est, Ideo summo mane per urbem non discurro, quod similia mea et tua officia simili mercede non remunerentur. — Tibi enim provinciae administrandae habenae permittuntur, mihi sportula: sportula vero, ut iam diximus, viginti quinque sestertiis aestimabatur; proconsulis salarium, imperante Augusto, iam erat plus quam decies (200 *mille francs*). Ed. P.

16. *Nec mereamur*. Hoc est, nova eiusdem sententiae παραφράσει. Neque idem praemium referamus eiusdem laboris.

27. — IN SENIAM.

A latronibus esse te fututam
Ducis, Senia: sed negant latrones.

2. *Negant*. Tres esse possunt illius versiculi, illius vocis sensus; quorum quidem primus hic: Negant te impulsam, coactam ab iis, quod illa innuisse forsan videbatur; sed is perperam. Alter: Negant deformi tibi, vetulae tibi se vim intulisse, qua ipsi coinquinati et ridiculi evasissent; namque illa anus, illa deformis, dum quereretur, quodammodo gloriabatur. Vel demum, et is tertius sensus: Negant te usitato modo sese usos, aiuntque te inhonestius quippiam passam esse, ut Callistratum, epigr. 35 infra. E duobus bis interpretationibus eligat lector; nam apta haec et illa. Nos ultimam tamen praeferimus; quippe quae sensus nequioris, pro ingenio epigrammatum.

28. — IN CINNAM.

Poto ego sextantes: tu potas, Cinna, deunces:
Et quereris quod non, Cinna, bibamus idem.

In hoc epigrammate sibi contrarius, Noster Cinnam quemdam refellit de hoc querentem, quod ipse saepe irascitur fieri apud ditiores, scilicet non eodem esse convivas loco, quo dominum; et crassiores cibos, viliora vina illis apponi.

1. *Sextantes, etc.* Pocula duorum cysthorum. — *Deunces*. Pocula undecim cysthorum.

2. *Et quereris, etc.* Tu quereris me tibi apponere deterius vinum, quam ego bibo. Immo ego queror quod tu bibas plus quam ego. Convenimus tamen et pares sumus, quod enim ego genere, tu numero; quod ego qualitate, tu quantitate bibas. Neque vero aequum est, te bibonem haurire optimi vini amphoras. Notum vero quid olim inter convivas discrepantiae imperaret procerum aut superbis aut avarities, et optima τοῖς ἀρίστοις reservata, dum vilissima et nullius pretii apud vulgus vocatorum relinqueretur. Ed. P.

29. — DE HERMOGENE FVRE.

Hermogenes tantus mapparum, Pontice, fur est,
  Quantus nummorum vix, puto, Massa fuit.
Tu licet observes dextram, teneasque sinistram,
  Inveniet, mappam qua ratione trahat.
Cervinus gelidum sorbet sic halitus anguem:
  Casuras alte sic rapit Iris aquas.
Nuper quum Myrino peteretur missio laeso,
  Subduxit mappas quatuor Hermogenes.
Cretatam praetor quum vellet mittere mappam,
  Praetori mappam surpuit Hermogenes.
Attulerat mappam nemo, dum furta timentur:

Furem nobilem et ingeniosum sub persona Hermogenis depingit. Finxit etiam Poëta aptum furi nomen.

1. *Hermogenes.* Hoc est, ab Herme seu Mercurio genitus, qui nempe est furum deus; noster ergo poëta aptissimum furi hoc nomen excogitavit.

2. *Massa.* Verres novus imperante Domitiano. De eo Plinius iunior lib. VII, epist. ult. 4: *Dederat me senatus cum Herennio Senecione advocatum provinciae Baeticae contra Baebium Massam; damnatoque Massa, censuerat, ut bona eius publice custodirentur.*

5. *Cervinus gelidum*, etc. Attrahit surripitque mappas nativa quadam furacitate, non secus ac cervus naturali antipathia serpentes e latebris spiritu extrahit, cornu elidit voratque. Vnde ἔλαφος Plutarcho lib. de Prud. animal. dictus ἀπὸ τοῦ ἑλεῖν vel ἑλᾷν τοὺς ὄφεις.

6. *Iris.* Arcus scilicet caelestis. Aristoteles lib. III Meteor. ὅτι μὲν οὖν ἀνάκλασις ἡ ἶρις τῆς ὄψεως πρὸς τὸν ἥλιον, φανερόν. *Quod ergo Iris sit refractio adspectus ad solem, manifestum est*, etc. Plin. lib. II, cap. 59.

7. *Quum Myrino*, etc. De quo lib. Spect. ep. 20: hoc est, quum Myrino gladiatori missio peteretur a populo, vel ab ipso Myrino laeso peteretur: laesi enim gladiatores arma submittebant, et vitam aliquando impetrabant ob Imperatore, aut a populo, dum staret respublica.

9. *Cretatam.* Signum nempe quod mittendis quadrigis dabatur in ludis Circensibus. Raderus autem ex Cedreno refert, hanc fuisse occasionem mappae in circum mittendae, quod magistratus ante missionem, super fornices carcerum eo loco unde spectabant, convivium curarent, mappamque in tempore mappario mittendam tradere curarent.

10. *Surpuit.* Non est quod indicem Synopen hic esse pro *surripuit*.

11. *Attulerat mappam nemo*, etc. Mappas suas ad convivia afferebant singuli, mantile convivator praebebat. Inter mappas enim et mantilia tunc temporis hoc discrimen statuebatur: ut *mantilia* mensis operiendis; *map-*

Mantile e mensa surpuit Hermogenes.
Hoc quoque si deerit, medios discingere lectos,
Mensarumque pedes non timet Hermogenes.
Quamvis non modico caleant spectacula Sole,
Vela reducuntur, quum venit Hermogenes.
Festinant trepidi substringere carbasa nautae,
Ad portum quoties paruit Hermogenes.
Linigeri fugiunt calvi, sistrataque turba,
Inter adorantes quum stetit Hermogenes.
Ad coenam Hermogenes mappam non attulit unquam:
A coena semper retulit Hermogenes.

pae manibus tergendis usum praeberent. Quod et nos hodierois temporibus fieri conspicimus: sed haec erat nos inter et Romanos differentia, quod inveniebant quidem apud dominum convivii mensam mantili instratam; sed unusquisque mappam suam afferebat. Quod constat vel ex hoc epigrammate Martialis in Hermogenem mapparum magnum furem. Quodam ergo die, quum furis metu nemo ex convivis mappam ad id convivium attulisset, cui ille debebat interesse, quum nihil posset mapparum surripere, mantile ipsum furatus est, quo mensa erat instrata. Hioc *mappae breves* eidem Martiali ἐπιθετικῶς appellantur: *Et vani triplices, brevesque mappae.* Salmas. — *Attulerat mappam.* Mantile vero, ait contra Raderus, linteum scilicet tergendis manibus aptum, a convivatore parabatur.

13. *Discingere.* Hoc est, stragula lectorum, quibus accumbebant, subripere: vel forte melius, laminas aureas vel argenteas lectis deradere.

14. *Mensarumque pedes.* Eburneos nimirum; aut potius intellige ab Hermogene argenteas bracteas mensarum pedibus derasas fuisse, lib. VIII, epigr. 33, vs. 6.

15. *Spectacula.* Spectatores in theatris.

16. *Vela reducuntur.* Lib. IX, ep. 39, vs. 6. Vela autem colligebantur ne ab Hermogene surriperentur.

18. *Paruit Hermogenes.* H. e. Apparuit. Notandum prorsus verbum.

19. *Linigeri.* Isidis hic sacerdotes interpretare, quorum vestes ex lino confectae candidissimae erant: illos *sistratam turbam* vocat, quod sistra seu crepitacula quaterent, sacra sua celebrantes.

30. — AD APRVM.

Siccus, sobrius est Aper: quid ad me?
Servum sic ego laudo, non amicum.

1. *Siccus.* Non vinosus, non temulentiae obnoxius.

2. *Servum.* Cuius ea magna dos ut nunqnam catinos e mensa ferens *Semesos pisces tepidumque ligurierit ius.* Horat. lib. I, sat. III. Ed. P. — *Non amicum.* Quem genio suo indulgere volo, et cui facile veniam do, etiamsi vino famulatus *miseram vinosus inebriet aurem*, Iuven. Sat. IX, 113.

31. — DE HORTIS MARCELLAE VXORIS.

Hoc nemus, hi fontes, haec textilis umbra supini
Palmitis, hoc riguae ductile flumen aquae;
Prataque, nec bifero cessura rosaria Paesto;
Quodque viret Iani mense, nec alget olus;
Quaeque natat clusis anguilla domestica lymphis,
Quaeque gerit similes candida turris aves;
Munera sunt dominae post septima lustra reverso:
Has Marcella domos, parvaque regna dedit.
Si mihi Nausicaë patrios concederet hortos,
Alcinoo possem dicere, Malo meos.

1. *Textilis umbra.* Propter palmites cum foliis atque arborum ramis contextos.

2. *Ductile flumen.* Rivulum intellige ab aliquo vicino fonte ductum in hortos Marcellae, vel forte aquaeductum.

3. *Bifero rosaria Paesto.* Hoc est, bis in anno florenti.

4. *Nec alget olus.* Nec frigore enecatur.

5. *Clusis lymphis.* Hoc est, in piscina.

6. *Candida turris.* Quae candidas columbas continebat. Mos enim Veteribus, ut in candidis turribus columbarium haberent. Vnde *Adspicis ut veniant ad candida tecta columbae?* Ovid. Trist. I, eleg. IX, 7.

7. *Dominae.* Vxoris meae. — *Septima lustra reverso.* Annos triginta quinque. Lustrum autem hic capitur, ut lib. X, epigr. 38, vs. 9, pro quinque annis, ut patet ex lib. X, epigr. 103, vs. 7. Vnde ergo patet triginta et quatuor annis Poëtam mansisse Romae, et anno trigesimo quarto rediisse in Hispaniam.

8. *Parvaque regna.* Vix possim credere Nostrum quin hic Virgilianae eclogae meminisse, in qua Meliboeus: *Pauperis et tuguri congestum cespite culmen Post aliquot, mea regna, videns mirabor aristas.*

9. *Si mihi Nausicae, etc.* Si mihi Alcinoi filia concederet patris sui pulcherrimos hortos. —*Nausicae.* De qua, patreque eius, atque simul amoenissimis hortis, Homerus Odysseae lib. XIV.

32. — IN VACERRAM.

O Iuliarum dedecus Kalendarum,

Vacerram divitias simulantem, mendicabulum omnibus deridendum ostendit.

1. *O Iuliarum, etc.* Quo nempe tempore novas aedes conducere solebant Romani. Suetonius in Tiberio cap. 85: *Senatori latum clavum ademit, quum cognovisset sub kalendas*

Vidi, Vacerra, sarcinas tuas; vidi:
Quas non retentas pensione pro bima
Portabat uxor rufa crinibus septem,
Et cum sorore cana mater ingenti;
Furias putavi nocte Ditis emersas.
Has tu priores frigore et fame siccus,
Et non recenti pallidus magis buxo,
Irus tuorum temporum, sequebaris.
Migrare clivum crederes Aricinum.
Ibat tripes grabatus, et bipes mensa,
Et cum lucerna, corneoque cratere
Matella curto rupta latere meiebat.
Focum ferentis suberat amphorae cervix:
Fuisse gerres, aut inutiles maenas
Odor impudicus urcei fatebatur,
Qualem marinae misit aura piscinae.
Nec quadra deerat casei Tolosatis;

Iulii demigrasse in hortos, quo vilius post diem aedes in Vrbe conduceret.

3. *Quas non retentas.* Hoc est, quas conductarum a te aedium dominus pro pensione biennii, utpote viliores, pignoris loco retinere noluit.

4. *Crinibus septem.* Id est, uxor tua calva.

5. *Sorore ingenti.* Aetate scilicet, secundum Raderum; adulta autem et carente viro, secundum Domitium. *Ingenti.* Forte melius referas tantum ad immanem corporis proceritatem.

8. *Non recenti.* Hoc est, arido buxo pallidior.

9. *Irus tuorum temporum.* Erat ille mendicus et omnium mortalium pauperrimus, de quo vide supra lib. V, epigr. 40.

10. *Clivum Aricinum.* Vbi sedent mendici, lib. II, epigr. 19. Quasi dicat, crederes mendicos omnes ex colle Aricino, ubi frquentissimi spectantur, alio discedere.

11. *Tripes grabatus.* Vilis nimirum lectus, cui ut et mensae deerat unus pes: mensae enim utplurimum tribus pedibus fulciebantur.

13. *Meiebat.* Hoc est, ex ea rupta effluebat urina. Sane potuisset Noster si non verius, at certe delicatius hyperbolas congerere. Ed. P.

14. *Focum ferentis.* An impositam Vacerrae, an servi capiti amphoram cui focus inerat? Videat lector. Conf. et Iuvenalis Sat. III, 251. Legunt alii, *Foco virenti suberat amphorae cervix.* Quam lectionem non intelligo.

15. *Gerres.* Locustarum genus; inde minuta quaedam salsamenta.

16. *Odor impudicus, etc.* Teter; urceus olens pudenda.

18. *Casei Tolosatis.* Mali scilicet

Quadrima nigri nec corona pulei,
Calvaeque restes allioque, cepisque,
Nec plena turpi matris olla resina,
Summoenianae qua pilantur uxores.
Quid quaeris aedes, villicosque derides,
Habitare gratis, o Vacerra, quum possis?
Haec sarcinarum pompa convenit ponti.

saporis. Tolosa, urbs Galliae, satis nota his etiam temporibus.

19. *Quadrima.* Hoc est, pulegium a quatuor annis servatum, eoque deterius, nempe cibariis rusticorum condiendis inserviebat.

20. *Calvae restes.* Sensus est: Allia et cepae ex funibus seu restibus pendentes, quas calvas vocat, quod cepae sint glabrae.

22. *Summoenianae.* Hoc est, meretrices.

23. *Quid quaeris.* Hoc est, inquit Farnabius: Quid quaeris villam ruri, quasi lautiorum more per aestatem rusticaturus sis? — *Villicosque derides.* Quum solvendo par non sis.

24. *Habitare gratis.* Ipsemet exponit, ubi gratis habitare possit, in ponte scilicet cum grege mendicorum, qui nullam solvunt de ponte pensionem.

25. *Ponti.* Pontibus scilicet et tegetibus et crepidinibus, quae mendicorum suot stationes.

33. — DE LABIENO.

Vt pueros emeret Labienus, vendidit hortos:
Nil nisi ficetum nunc Labienus habet.

1. *Labienus.* Libidinis iam argui notavimus Labienum istum epigr. 16 sup. cuius illud est initium, *Addixti, Labiene, tres agellos.* Ed. P.

2. *Nil nisi ficetum nunc, etc.* Vide epigr. 16 supra. locus est in ambiguitate τοῦ *ficus:* quum dicat, Labieno ex hortis superesse consitum ficis agrum. Intelligit pueros ex nequitia ficosos.

34. — AD IVLIVM MARTIALEM.

Triginta mihi quatuorque messes
Tecum, si memini, fuere, Iuli:
Quarum dulcia mixta sunt amaris;
Sed iucunda tamen fuere plura.

Nimium usum familiarium, molestias creare, et perturbare vitae beatae tranquillitatem docet Noster.

1. *Triginta.* Quibus manserat Romae.

Et si calculus omnis huc et illuc
Diversus bicolorque digeratur,
Vincet candida turba nigriorem.
Si vitare velis acerba quaedam,
Et tristes animi cavere morsus,
Nulli te facias nimis sodalem.
Gaudebis minus, et minus dolebis.

5. *Et si calculus.* Lapidibus albis fausti dies, nigris vero infausti notabantur.

6. *Digeratur.* Hoc est, distribuatur, in hanc partem feratur et in illam.

7. *Vincet candida.* Plures numerabuntur dies felices, quam moesti.

9. *Animi morsus.* Hoc est, moerorem, a quo remordetur animus.

11. *Gaudebis minus.* Amicorum enim prospera atque adversa fortuna nimis nos afficit.

35. — AD CALLISTRATVM.

Tanquam simpliciter mecum, Callistrate, vivas,
Dicere percisum te mihi saepe soles.
Non es tam simplex quam vis, Callistrate, credi:
Nam quisquis narrat talia, plura tacet.

1. *Tanquam.* Vis videri ingenue mecum communicare secreta tua, proinde fateri etiam vitia; sed hoc non facis ingenue: namque minus de te fateris, ut maius taceas.

2. *Percisum.* Hoc est, te pati muliebria.

4. *Narrat, tacet.* In vocibus *narrat* et *tacet*, latet maius illud quod Callistratus non fatebatur vitium.

36. — IN LABVLLVM.

Libras quatuor, aut duas amico,
Algentemque togam, brevemque laenam,

Labullum sibi de liberalitate blandientem negat esse liberalem, quamvis omnes sui temporis avaros superet munificentia; imparem tamen esse eum priscis Maecenatibus vere benignis et liberalibus. Malos vincere bonitate, negat esse praeclarum; sed ipsis bonis esse meliorem, hoc pulchrum dicit. *Rader.*

1. *Libras.* Vide ad libri II epigr. 45, vs. 5.

2. *Laenam.* Graecis dicitur χλαῖνα, vestis quae togae iniicitur. — *Algentem.* Hoc est, ita tritam, ut frigus facile admittat: vel crassiorem; quae enim crassa frigus admittunt per intervalla staminum.

Interdum aureolos manu crepantes,
Possint ducere qui duas Kalendas,
Quod nemo, nisi tu, Labulle, donat;
Non es, crede mihi, bonus: quid ergo?
Vt verum loquar, optimus malorum.
Pisones, Senecasque, Memmiosque,
Et Crispos mihi redde, sed priores.
Fies protinus ultimus bonorum.
Vis cursu pedibusque gloriari?
Tigrim vince, levemque Passerinum.
Nulla est gloria praeterire asellos.

3. *Aureolos.* Lib. V, epigr. 19, 14: *Qui crepet aureolos forsitan unus erit.*

4. *Duas Kalendas.* Duorum mensium diaetam et victum.

7. *Optimus malorum.* Hoc est, Tu es inter avaros munificentissimus.

8. *Pisones.* Quibus de arte poëtica librum dedicavit Horatius. De Crispo et Seneca supra dictum. Memmio vero suum poëma dedicavit Lucretius.

10. *Vltimus bonorum.* Hoc est, Munificis his viris longe inferior eris.

12. *Tigrim, Passerinum.* Quos alii equos velocissimos fuisse, alii cursores affirmant: lib. VII, epigr. 7. — Prius ego praetulerim. Ed. P.

13. *Praeterire asellos.* Vincere avaros, quos asellis comparat.

37. — IN NASVTVM.

Nasutus nimium cupis videri.
Nasutum volo, nolo polyposum.

1. *Nasutus.* Irrisores dicuntur nasuti. Sensus est: Volo urbanum et acutum, non putidum et ineptum derisorem.

2. *Nolo polyposum.* Qui polypo inficiatur; polypus vero est nasi morbus, de quo Celsus lib. VI, cap. 8; qui eo morbo laborant, polyposi dicuntur, quos hoc loco sumit Poëta pro putidis et rancidulis scurris.

38. — AD CANDIDVM.

Hunc qui femineis noctesque diesque cathedris

1. *Femineis... cathedris.* In quibus feminae sedentes, varia et ad suam rempublicam pertinentia miscent colloquia. Sic lib. III, epigr. 63. γυναικείας hasce ἕδρας Iuvenalis molles dixit sat. VI, 91.

Incedit tota notus in urbe nimis,
Crine nitens, niger unguento, perlucidus ostro,
Ore tener, latus pectore, crure glaber,
Vxori qui saepe tuae comes improbus haeret:
Non est quod timeas, Candide; non futuit.

2. *Incedit*, forte melius legendum esset *insedit*. Nempe mollem et cinaedum intelligit.

3. *Nitens*, *niger*. Nam nigrescebat simul et splendebat unguentis delibuta caesaries; sicut supra, epigr. 17, *Nigra amomo*.

4. *Glaber*. Dropace depilatus.

6. *Non futuit*. Ipse est inter cinaedos fossa pathica, vel turpius aliquid.

39. — IN SABELLVM.

Odi te, quia bellus es, Sabelle.
Res est putida bellus, et Sabellus;
Bellum denique malo, quam Sabellum.
Tabescas utinam, Sabelle, belle!

1. *Sabelle*. Sabellum hunc perstrinxarat lib. VII, epigr. 85, quod *belle* scripsisse epigrammata sibi visus est. Nunc illi saepius in os ragerens quod affectabat *bellum*, Sabellum pronunciat esse odio dignum, putidum, at tantum bello minorem, quantum ipse *bellus bono* ac pulchro inferior est; illi denique exitium imprecatur.

2. *Res est putida, etc.* Lib. I, epigr. 10. *Quare* bene et praeclare *quamvis nobis saepe dicatur*; Belle et festive *nimium saepe volo*, etc. Cic. III de Oratore.

3. *Bellum denique*. Bellus enim homo vitiosus est tantum, Sabellus vero est ipsum vitium, inquit Radarus. Sed magis placeat bellum hoc loco sumi pro ipsa belli contentione.

4. *Tabescas*. Vt res putida. *Belle* potest esse quintus casus, vel adverbium. — Et sana utrumque est, et in ambiguo sensu nonnihil est acuminis. Ed. P.

40. — IN PONTILIANVM.

Mentiris? credo: recitas mala carmina? laudo;
Cantas? canto: bibis, Pontiliane? bibo.

Omni genere officii prosequutus est Pontilianum, seu ut alii leg. Pompilianum, nihil praeter promissa recipiebat; promittebat autem haereditatem, aut eius partem post mortem. Poëta pro istis promissis illi mortem imprecatur: quo simul insinuat stulte fieri ab amico, qui sic amicum sibi conciliat, ut conciliatus mortem amico exoptet. *Raderus*.

1. *Credo*. Officii caussa fingo me credere, licet sciam te mentiri. —

Pedis? dissimulo: gemma vis ludere? vincor.
Res una est, sine me quam facis, et taceo.
Nil tamen omnino praestas mihi: mortuus, inquis,
Accipiam bene te: nil volo; sed morere.

Credo, etc. Subservio, supparasitor, secundas ago, cum Terentiano illo Gnathone, vel Graeculo Iuvenalis, sat. III, versu 100: *Rides? meliore cachinno Concutitur: flet, si lacrymas conspexit amici, Nec dolet: igniculum brumae si tempore poscas, Accipit endromidem; si dixeris, Aestuo, sudat.* Cf. item adulator Plutarchi lib. de discrimine amici et adulatoris, ut et Theophrasti Charact. III et vers. Noli etiam omittere quae de simili argumento scripsit nostras *Labruyère*, ridiculi et morum tam vividus insectator. Ed. P.

3. *Gemma ludere?* Hoc est latronibus ludere, ut siunt interpretes.

4. *Vna est sine me.* Turpicula res quaepiam.

6. *Sed morere.* Vt nempe promissam mihi tuam hereditatem accipiam.

41. — IN TVCCAM.

Non est, Tucca, satis, quod es gulosus:
Et dici cupis, et cupis videri.

2. *Et dici cupis, etc.* Quod perditi hominis est et eximie dissoluti, velle morbum suum profiteri, neque caute agere, si non caste.

42. — DE CALLISTRATO ET AFRO.

Barbatus rigido nupsit Callistratus Afro,
Hac qua lege viro nubere virgo solet.
Praeluxere faces, velarunt flammea vultus:
Nec tua defuerunt verba, Thalasse, tibi.

1. *Barbatus.* Huic epigrammati ingenium et lux petatur a Iuven. Sat. II, vs. 134. Vide et Tacitum lib. XV, 37 Annalium, narrantem quo modo Nero Pythagorae nupserit. Novimus quoque infamem illum Adriani imperatoris Antinoum.—*Rigido Afro.* Mutoniato.

3. *Faces*, nuptiales, quae quinque pro numero partus naturali: vel in honorem quinque Deorum; Iovis adulti, Iunonis adultae, Veneris, Suadelae, Lucinae praeferebantur a pueris patrimis et matrimis apud Romanos: a sponsae matre apud Graecos. — *Flammea.* Flammeum erat velamentum luteum seu rubrum, quo nova nupta tegebatur pudoris gratia: vel in subiectionis symbolum; lib. XI, epigr. 78, 3.

4. *Thalasse, tibi.* Qui nuptiarum Deus adorabatur.

Dos etiam dicta est: nondum tibi, Roma, videtur
Hoc satis? exspectas numquid ut et pariat?

6. *Exspectas numquid ut et pariat.* Quasi diceret: nonne tale illud coniugium satis enorme visum est? num opporterat etiam ut vir ex viro sobolem suscipiat? Eo. P.

43. — IN SABELLVM.

Facundos mihi de libidinosis
Legisti nimium, Sabelle, versus,
Quales nec Didymi sciunt puellae,
Nec molles Elephantidos libelli.
Sunt illic Veneris novae figurae,
Quales perditus audeat fututor;
Praestent et taceant quid exoleti;
Quo symplegmate quinque copulentur;
Qua plures teneantur a catena;
Exstinctam liceat quid ad lucernam.
Tanti non erat esse te disertum.

1. *Facundos.* Raro dictum de versibus: τὸ *facundus* significat vim styli multam et in enarrandis rebus aut describendis modo elegantiam elucescere, modo vividissimam eloquentiam.

3. *Didymi sciunt puellae.* Spintriae nescio cuius, monstrosi.

4. *Elephantidos libelli.* Poëtriae, quae libris suis expressit ποικίλα τῆς Ἀφροδίτης καὶ ἀκολασίας σχήματα, cuiusmodi figuris et schematis cubicula sua instruxit Tiberius Caesar. Taceo Aretini nefarias tabellas.

7. *Taceant quid exoleti.* An tacent pudore inhibiti ipsi exoleti? Emphatice dictum illud, uti lib. III, epigr. 96?

8. *Symplegmate .... Qua plures, etc.* Sellarias istas ac series turpiter connexorum, nimis aperte refert Suet. Tiberii, cap. 43: Ἀφροδίτην ταύτην ἐπὶ τῇ συμπλοκῇ δεδιμένην exsecratur Clemens Alexandrinus, Προτρεπτικῷ ad Graecos.

10. *Exstinctam.* Lucerna teste vulgo concumbebant et in multiplici nequitiae modo versabantur. Noster XI, CIV, 6: *Me iuvat admissa rumpere luce latus.* Sed exstincta ea, minor adhuc pudoris reverentia.

11. *Tanti non erat, etc.* Non erant haec digna quae tanti ingenii labore illustrarentur.

44. — AD M. VNICVM.

Vnice, cognato iunctum mihi sanguine nomen,
  Quique geris studiis corda propinqua meis;
Carmina quum facias soli cedentia fratri,
  Pectore non minor es, sed pietate prior.
Lesbia cum tenero te posset amare Catullo,
  Te post Nasonem blanda Corinna sequi.
Nec deerant Zephyri, si te dare vela iuvaret;
  Sed tu litus amas: hoc quoque fratris habes.

Vnicum cognatum eo nomine laudat quod, quum illi sit *mens divinior atque os Magna sonaturum* (Horat.) unde, si ad epicum carmen sese accinxerit, *Nil parvum aut humili modo*, *Nil mortale* (idem) loquatur, intra fines elegiae sese contineat, timens scilicet ne slent sua carmina aemula fratri. *Rader.*

2. *Corda propinqua.* Hoc est, qui iisdem studiis deditus es.

3. *Carmina.* Vnicus habebat fratrem qui versus heroicos componebat, a quibus pangendis se abstinebat, ne fratri noceret.

4. *Sed pietate prior.* Quia das ipsi primas.

5. *Lesbia.* Illa cuius *Turbavit nitidos exstinctus passer ocellos* (Iuven.)

6. *Corinna.* Quam si non deperiit, simulavit certe deperiisse Naso, ad quam vel de qua scribuntur tres Amorum libri. Credidere multi huius nomine Iuliam Augusti filiam designatam.

7. *Nec deerant Zephyri.* Ἀλληγορικῶς. Hoc est, non deerat tibi grande ingenium, si carmina heroica condere voluisses.

8. *Hoc fratris.* Quum fratris caussa grande tuum ingenium coërceas.

45. — AD PHOEBVM.

Haedina tibi pelle contegenti
Nudae tempora verticemque calvae,
Festive tibi, Phoebe, dixit ille,
Qui dixit caput esse calceatum.

1. *Haedina pelle.* Hoc est, galericulo ex haedi pelle facto, quo utebatur imperite Phoebus ad tegendum calvitium.

2. *Calvae. Calva*, pro *calvities*, *calvus vertex* saepe sumitur.

4. *Calceatum.* Fiunt vero calcei ex pellibus, quibus quum Phoebus tegeret caput, merito calceatum hoc dici poterat, et apte cachinnis apud Romanos.

46. — AD CLASSICVM.

Vendunt carmina Gallus et Lupercus;
Sanos, Classice, nunc nega poëtas.

Etsi Democritus prëtat sanos, id est, mentis compotes, nec ἐνθουσιασμῷ et sacro furore correptos, escludat Helicone: quisnam tamen audet negare Gallum et Lupercum sanos esse, qui mala sua carmina pretio obtrudant hominibus procul dubio insanioribus qui mala emunt carmina?

1. *Gallus et Lupercus.* Mali scilicet poëtae; qui tamen quum inepta sua carmina satis magno pretio venderent, non ipsi, sed emptores insaniebant.

47. — IN HABENTEM VARIOS MORES.

Difficilis, facilis, iucundus, acerbus es idem:
Nec tecum possum vivere, nec sine te,

In habentem varios mores titulus vulgo legitur, neque, ut olim credidi, immutandus. Nam de amasio, non amica hic agitur, et minus Latine exprimeretur quam subauditur. Homo autem habens varios mores idem est quod nos *capricieux* vocamus, et Graeci dixere ποικιλότροπον. Et ad id notabo, rectius forsan lectum iri in initio Sapphicae odae ad Venerem, Ποικιλότροπ᾽ ἀθάνατ᾽ Ἀφροδίτα, pro vulgato ποικιλόθρον᾽, κ. τ. λ. Ed. P.

2. *Nec tecum.* Propter acerbos tuos mores. — *Nec sine te.* Propter tot alias dotes amoenas.

48. — IN LAVTVM INVITATOREM.

Boletos et aprum si tanquam vilia ponis,
Et non esse putas haec mea vota: volo.
Si fortunatum fieri me credis, et haeres
Vis scribi, propter quinque Lucrina: vale.
Lauta tamen coena est: fateor, lautissima; sed cras
Nil erit, immo hodie, protinus immo nihil,
Quod sciat infelix damnatae spongia virgae,

Lautitias divitum captatrices contemnit, frugalitatem laudat.

1. *Boletos* Quod si mihi apposueris cibos exquisitos et delicatissimos, nec superbiens nec quam delicati ii sint referens, eos laetus accipio et edo; sin minus, non lubens coenabo apud te. — *Vilia*, hoc est, tanquam res viles.

6. *Immo hodie.* Nam statim a coena nulla superest gulae voluptas.

7. *Quod sciat infelix.* Spongia, inquit Farnabius, ligno adhaerens damnata in vile ministerium, ad emun-

Vel quicumque canis, iunctaque testa viae:
Mullorum, leporumque, et suminis exitus hic est,
Sulfureusque color, carnificesque pedes.
Non Albana mihi sit comissatio tanti;
Nec Capitolinae, pontificumque dapes.
Imputet ipse Deus nectar mihi, fiet acetum,
Et Vaticani perfida vappa cadi.
Convivas alios coenarum quaere magister,
Quos capiant mensae regna superba tuae.
Me meus ad subitas invitet amicus ofellas:
Haec mihi, quam possum reddere, coena placet.

danda scilicet obscoena, ut de bestiario quodam refert Seneca epist. 70.

8. *Vel quicumque canis.* Qui nimirum ad vomitum accurrat. — *Iunctaque testa viae.* Vrnae scilicet in triviis erant collocatae, in quas meierent praetereuntes.

Mullorum, leporumque. Optimorum piscium et carnium. — *Suminis.* Lib. XIII, ep. 44. — *Exitus hic est.* In has sordes abeunt et mutantur vorati pisces, lepores, et suillae pars optima, quae *sumen* est, hoc est, papillae modo enixae porcae.

10. *Sulfureusque color.* Ex cruditate pallor. — *Carnificesque pedes.* Podagra. Λυσιμελοῦς Βάκχου καὶ λυσιμελοῦς Ἀφροδίτης Γεννᾶται θυγάτηρ λυσιμελὴς Ποδάγρα. Anthol. lib. II, c. 43.

11. *Albana.* Lautissimum scilicet epulum, quale exhibuit in Albano monte in Quinquatriis Minervae suae Domitianus. *Farnabius.*

12. *Nec Capitolinae.* Hoc est, epulum Iovis in Capitolio instructum, cuius meminit Valer. Maximus lib. II, cap. 1. — *Pontificumque dapes.* Lautissimae scilicet.

13. *Imputet, etc.* Si mihi ipse Iup. largitus nectar in rationibus et meriti loco numeret, non mihi sapiet aliud quam acetum et vappa e vino vilissimo. Gloss. *Imputare* autem ibi est λογίσασθαι, et quod *Gallice* dicimus *mettre en ligne de compte*; et ita saepe illius aetatis scriptores hoc verbum usurparunt. Ed. P.

14. *Et Vaticani.* Vini vilissimi faex, lib. I, epigr. 19, 2. — *Vappa.* Vinum fugiens, aut faex vini, et metaphorice, homo nihili.

15. *Coenarum magister.* Coenae pater, invitator, parochus. Ergo hoc loco *magister* coenae non is qui *arbiter bibendi*, unde *magisterio* et *regna vini*, nam idem et *rex*; sed potius *coenae pater*, mensae rex.

17. *Subitas.* Hoc est, sine apparatu conditas. — *Ofellas.* Genus quoddam farciminis.

49. — AD LINVM PAEDAGOGVM.

Crinitae Line paedagoge turbae,
Rerum quem dominum vocat suarum,
Et credit cui Postumilla dives
Gemmas, aurea, vina, concubinos:
Sic te, perpetua fide probatum,
Nulli non tua praeferat patrona:
Succurras misero, precor, furori,
Et serves aliquando negligenter
Illos qui male cor meum perurunt:
Quos et noctibus et diebus opto
In nostro cupidus sinu videre,
Formosos, niveos, pares, gemellos,
Grandes, non pueros, sed uniones.

1. *Crinitae, etc.* Puerorum nobilium et cirratorum paedagoge. Pueri enim, ut formosiores viderentur, comam nutrire et colere studiose solebant, qui et *cirrati* ideo dicuntur a Persio Sat. I, 29.

4. *Concubinos.* Alii *concubinas*, nempe gemmas quibuscum cubabat. In eo enim est acumen epigrammatis, quod suspensum habeat lectorem, quasi esset petiturus pueros, quum appetat solos uniones. — Perperam et scriptum et illustratum istud reor. — *Concubinos* pro elegantibus et eximiae formae pueris simpliciter dictum; neque huic acumini simplicitas illa nocet quod mox ἐξ ἀπροσδοκήτου.

13. *Sed uniones.* Ἀπροσδοκήτως. Exspectabatur enim ut peteret pueros; petit ille uniones.

50. — IN HABENTEM AMOENAS AEDES.

Daphnonas, platanonas, et aërias cyparissos,
Et non unius balnea solus habes;

Sapientis esse architecti, non elegantes tantum, sed commodas aedes parare, docet.

1. *Daphnonas, etc.* Graeca vox quae laureta significat. — *Platanonas.* Consitos campos platanis. — Nullae vero arbores frequentior in optimatum villis et urbanis hortis disponebantur quam lauri et platani, hae quidem umbrae gratia, illae ob eximiam pulchritudinem et aeternum virentes ramos, et quae iis rebus vulgo coniungimus, gloriam, immortalitatem.

2. *Et non unius.* Tam enim ampla sunt, ut etiam publica dici possint.

Et tibi centenis stat porticus alta columnis,
Calcatusque tuo sub pede lucet onyx;
Pulvereumque fugax hippodromon ungula plaudit,
Et pereuntis aquae fluctus ubique sonat.
Atria longa patent: sed nec coenantibus usquam,
Nec somno locus est: quam bene non habitas!

3. Revocant haec verba Ovidianum illud, Met. II, 1: *Regia Solis erat sublimibus alta columnis.*

4. *Onyx.* Lapis nobilis, quo strata erat domus. Quod Gallice redderemus, *Ton pied superbe foule la mosaique étincelante.* Ed. P.

5 *Hippodromon.* Vox est graeca, quae significat spatium in quo de equorum celeritate certabatur. Velis adnotare quid habeat vividi et naturam imitantis versus constructio.

6. *Et pereuntis aquae.* Fontium artificia in illa domo fuisse amoenissima intellige.

8. *Quam bene non habitas* Cui inter haec omnia coenatio nulla, cubiculum nullum. Quid ergo absurdius, quam in amplissima et ditissima domo, nullum esse locum coenandi, nullum dormiendi, quorum caussa potissimum aedes aedificantur? *Rader.*

51. — DE FABVLLO.

Tam saepe nostrum decipi Fabullinum,
Miraris, Aule? semper homo bonus tiro est.

2. *Homo bonus* Scriverius legit; quod in textum recepit *Barbou.* — *Tiro est.* Hoc est, vir probus et simplex semper decipitur, utpote qui aliis non diffidat; neque unquam apud vicinos reperiurum se existimet quam non in se habet improbitatem.

52. — AD SEMPRONIAM.

Tempora Pieria solitus redimire corona,
Nec minus attonitis vox celebrata reis,
Hic situs est, hic ille tuus, Sempronia, Rufus;
Cuius et ipse tui flagrat amore cinis.

Epitaphio mortem Rufi, et Semproniae erga Rufum virum amorem et fidem celebrat, quae rapta ab amatore rediit ad maritum, ostendens se invitam fuisse abductam, aut certe poenituisse scelesti facti. *Rader.*

1. *Tempora Pieria.* Rufus poëta fuit, atque orator celebris, qui nempe reos defenderet.

4. *Cuius et ipse tui,* etc. Quod rapta ad Rufum sponte redierit.

Dulcis in Elysio narraris fabula campo,
Et stupet ad raptus Tyndaris ipsa tuos.
Tu melior, quae deserto raptore redisti;
Illa virum voluit nec repetita sequi.
Ridet, et Iliacos audit Menelaus amores;
Absolvit Phrygium vestra rapina Parim.
Accipient olim quum te loca laeta piorum,
Non erit in Stygia notior umbra domo.
Non aliena videt, sed amat Proserpina raptas;
Iste tibi dominam conciliabit amor.

5. *Narraris fabula campo.* A Rufo tuo iam in Elysiis. Fabula autem ipse Rufus dicitur, ut Horatio lib I, od. IV, 16: *Iam te premet nox, fabulaeque manes.*

6. *Et stupet ad raptus.* Id est, Helena Tyndari filia stupet te raptam sponte rediisse ad maritum tuum Rufum. Alii intelligunt Rufum non fuisse eius maritum, sed raptorem: propter haec verba *vestra rapina*

8. *Illa virum.* Menelaum intellige, qui laetus audit idem marito Semproniae contigisse, quod et ipse passus erat. Amores vero Rufi erga Semproniam *Iliacos* vocat, quia Semproniam rapuit Rufus, ut Helena rapta olim fuit a Paride, qui tamen hoc exemplo excusatur.

11. *Accipient olim.* Hoc est, quum mortua migrabis in campos Elysios, eris nota et celebris.

13. *Proserpina.* Propitia raptis, quum et ipsa a Plutone rapta fuerit. Deas vero simulat, quasi humanarum cupidinum participes, ea amare, iis favere quae et ipsae in deliciis habuerunt.

14. *Tibi dominam conciliabit amor.* Proserpinam tibi propitiam faciet. Non solum enim amatores amicam suam *Dominam* vocare solebant; sed et eodem nomine Augustae et Reginae vocabantur. Virg. Aeneid. VI, 397: *Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.* Tum et in universum uxores omnes sic vocantur, ut e quodam Senecae loco intelligi potest. Turneb. l. XXI, Advers. c. 6.

53. — IN AVARVM.

Nummi quum tibi sint, opesque tantae,
Quantas civis habet, paterve, rarus;
Largiris nihil, incubasque gazae,
Vt magnus draco, quem canunt poëtae

Paternum insectatur illiberalem et avarum, patremque appellat avaritiae.

2. *Paterve, rarus.* Aut qui habet liberos, ut contineat filios, et *pater fuisti*, et epigr. 62 huius libri.

4. *Vt magnus draco.* Immanis ser-

Custodem Scythici fuisse luci.
Sed caussa, ut memoras, et ipse iactas,
Dirae filius est rapacitatis.
Et quid tu fatuos rudesque quaeris,
Illudas quibus, auferasque mentem?
Huic semper vitio pater fuisti.

pens, a quo vellus aureum custodiebatur in luco Colchidis ad oras Scythiae.

5. *Scythici fuisse.* Aurei velleris fago suspensi in luco ante templum Martis.

6. *Sed caussa, etc.* Sed arguis filium tanquam caussam tuae rapacitatis.

8. *Et quid tu fatuos, etc.* Hoc est: An putas nos esse dementes, quos facile hac excusatione usus decipias, praetexens nempe tui filii rapacitatem?

10. *Huic semper.* Huic tuo filio omnia necessaria avare recusans caussa fuisti latrocinii et rapacitatis. Alii sic interpretantur: Tu semper fuisti pater huius vitii, avaritiae nimirum et rapacitatis. Iudicet lector.

54. — IN ZOILVM.

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine laesus
Rem magnam praestas, Zoile, si bonus es.

Vultus est index mentis, et lineamenta corporis, argumenta animi. Liberalis et honesta facies, liberalem et honestum arguit animum; prava, pravum. Fronti magna fides, aiunt physiognomones, pronunciantque cavendum ab iis quos signavit Deus.

1. *Crine ruber.* Hoc semper in malam partem acceptum, et ut pulchritudini, ita bonae indoli contrarium visum. Et apud nos hodie exstat tritum proverbium quo improbitatis arguuntur qui crinem rubrum habent. Ed. P.

2. *Zoile.* Nomen istud usurpabatur ad designandum saepius invidum, saepe quoque modo improbum et fugiendum virum, eum uno verbo, de quo Horatius lib. I, satira IV, vs. 85: *hic niger est; hunc tu, Romane, caveto.* Lineamenta vero sive vultus, sive corporis, animi esse argumenta supra iam dictum nota prima.

55. — AD PVELLAS.

Gratis qui dare vos iubet, puellae,
Insulsissimus improbissimusque est.
Gratis ne date; basiate gratis.

1. *Dare vos, etc.* Vestri copiam facere.

Hoc Aegle negat, hoc avara vendit.
Sed vendat bene, basiare quantum est?
Hoc vendit quoque nec levi rapina;
Aut libram petit illa Cosmiani,
Aut binos quater a nova moneta;
Ne sint basia muta, nec maligna,
Nec clusis aditum neget labellis.

4. *Hoc Aegle, etc.* Etiam basiare.

5. *Sed vendat.* Phaleucum istum cum sequenti non est videre in Palat. et nescio sane quid sibi velit: quartum servat: *Sed vendat quoque nec levi rapina*, omissis intermediis. *Schrev.* — *Sed vendat bene.* Quid hic versus sibi velit, se quoque nescire ait Grut. At scivit Martialis, qui posuit. Aegle negat se basiare gratis: vendit hoc quoque. Mirum; nam utcumque vendat hoc bene vel parvo pretio, an cuiquam est basiare tanti, ut id vel bene emere velit? At illa tantillum quidem bene vendit, etc. — *Bene vendere* est, meo quidem iudicio, quam maximum pretium ex re ea habere quae venditur, quemadmodum *bene emere* est quam minimo pretio ea obtinere quae emuntur. Per hanc enim vocem *bene*, iunctam τοῖν *vendere* et *emere*, quid nisi illius peritiam exprimimus, qui in paciscendis mercimoniis sive vendit, sive emit? quis autem callidus emptor nisi minimo assequatur, quis peritus venditor nisi maximo det? Sensus ergo hinc exoritur: At quantocumque id pretio vendat, parvo tamen vendendum est. Nam quid suaviari est? quamvis enim Εστι καὶ ἐν κενέοισι φιλάμασιν ἁδέα τέρψις (Theocr. Oarist. Id. XXVII), iure usque subiungi id potest: Μὴ καυχῶ, σατυρίσκε· κενὸν τὸ φίλαμα λέγουσιν. Ed. P.

6. *Rapina. Rapit* positum est Nostro saepe pro, extorquet, indefessa et improba efflagitatione dari cogit, quod quodammodo furtum est, vel si non furtum, certe rapina. Vid. supra lib. XI, epigr. 50: *Nulla est hora tibi qua non me, Phylli, furentem Despolies.* Ed. P.

7. *Libram petit, etc.* Vnguenti a Cosmo confecti, lib. I, epigr. 88, libram petit Aegle, quo oris impuri foetorem emendet. Sic infr. epigr. 65, vs. 4.

8. *Binos quater, etc.* Octo Flavios monetae novae et asperae. — *Muta.* Aliquantulum sonent et audiantur. Theocritus, Idyll. II: καὶ ἐψιθυρίζομεν ἄμφω. Ed. P. — *Maligna.* Quid, amabo, basia *non maligna?* illane intellexeris, quae et Anacreonticis (od. XIII) et Catullianis numerosiora *congerimus properata, sine ordine, raptim* (Ovid. Heroid. XVIII, 113), an illa quae, ut sequenti explicat versiculo, *clusis non aditum negent labellis?* nam maligna est, quae cupido amanti dum dat, negat, et sui impotem sic urit et torquet. Vtrumque ego hic innui crediderim; sed prius magis, ne sit ob sequentis versiculi sensum iteratio et πλεονάσμος. Ed. P.

9. *Multa* aliis adscribitur.

10. *Neget.* Melius fortean *negent.* — *Nec clusis, etc.* Sic Apuleius in fragmento iambico, supposititio for-

Humane facit hoc tamen: sed unum est,
Gratis quae dare basium recusat,
Gratis lingere nec recusat Aegle.

san, quod ad illius operum calcem vulgo editur: *Olli purpurea delibantes oscula Clemanti morsu rosea labella vellicent, Candentes dentes effigient suavio.* Ed. P.

11. *Humane facit, etc.* An quia osse et ebore dentata? lib. I, epigr. 73. An quia ore impura, utpote μύζουρις? lib. I, epigr. 95, et lib. II, ep. 15.

56. — IN POLYCHARMVM.

Aegrotas uno decies, aut saepius, anno;
Nec tibi, sed nobis hoc, Polycharme, nocet.
Nam quoties surgis, soteria poscis amicos.
Sit pudor: aegrota iam, Polycharme, semel.

Quemadmodum supra quosdam dixit saepius in anno nasci, et natalem celebrare, uti poscerent munera natalitia; ita Polycharmum ait saepius fingere morbum, ut postulet ab amicis ob salutis redintegrationem σωτήρια.

1. *Aegrotas uno decies, etc.* Hoc est, aegrotantem te multoties simulas, et lecto affixum te quereris.

2. *Nec tibi, sed nobis, etc.* Convalescenti mittebant amici pro salute recepta munera, quae σωτήρια vocabant. Vnde morbus fictus Polycharmo non nocebat, qui neque ullo laborabat dolore et quaestus multum simulatione improba colligebat, sed eius amicis a quibus petebat soteria.

4. *Aegrota iam semel.* Hoc est, morere, atque uno morbo absolve tuam vitam: et argute quidem hoc intelligit Poëta, quum videatur optare, ut semel tantum in anno aegrotet Polycharmus: lib. V, epigr. 39, vs. 5.

57. — AD SPARSVM.

Cur saepe sicci parva rura Nomenti,
Laremque villae sordidum petam, quaeris.
Nec cogitandi, Sparse, nec quiescendi

Exponit Sparso caussas recessus in villam Nomentanam, urbanos strepitus; qui nullam quietis partem concedunt Poëtae, vel meditandi, vel conquiescendi. *Rader.*

3. *Nec cogitandi, Sparse.* Legunt alii, *nec cogitandi spatium.* At prior lectio videtur melior. — Immo sola bona est; namque Scazontis rhythmus imperat brevem syllabam in quarti pedis initio. Ed. P.

In urbe locus est pauperi; negant vitam
Ludimagistri mane, nocte pistores,
Aerariorum marculi die toto.
Hinc otiosus sordidam quatit mensam
Neroniana nummularius massa;
Illinc paludis malleator Hispanae
Tritum nitenti fuste verberat saxum.
Nec turba cessat entheata Bellonae,
Nec fasciato naufragus loquax trunco,
A matre doctus nec rogare Iudaeus,
Nec sulfuratae lippus institor mercis,
Numerare pigri damna qui potest somni,

5. *Pistores*. Qui et ipsi molam vertebant.

6. *Aerariorum*, *etc.* Fabrorum aes cudentium et tractantium malleoli. *Marculus* ergo a Marco: *marcus* est mallens maior; dictus *marcus*, quod maior sit ad caedendum et fortior; *marcellus* mediocris malleus; *marculus*, pusillus.

8. *Neroniana massa.* Suetonius in Nerone cap. 44: *Exegitque ingenti fastidio et acerbitate nummum asperum, argentum pustulatum, aurum ad obrusam.* Hoc est. Nummularii, gallice *les Banquiers*, aurum et argentum Neronis versant in suis mensis, et strepitum edunt.

9. *Illinc*, *etc.* Turneb. lib xxx, c. 26, legendum coniicit *balucis*. Sic enim, inquit, massas quasdam auri vocari in Hispania solere. Plin. lib. XXXIII, cap. 4. Alii legunt *paludis*, quod vocabulum, inquit ibidem, a vocis propinquitate facile deflecti potuit. Mihi quidem non satis accommodatum hic esse videtur *paludis* nomen, licet Tagi ramenta aurea interpretentur. Sic Turneb. Idem censet Salmasius. *Balbou* ex Turnebo citat *balteis*, et ex Salmas. *balneis*. Illud ergo aurum rude ex Hispania Romam afferebatur, ubi in bracteas tenuissimas extendebatur. Saxum vero tritum dicit, propter frequentem malleatoris percussionem. Farnabius relinet *paludis*, et sic explicat, hoc est, lini et setabi, quod in paludosis Hispaniae locis seritur. Quod enim, inquit, Turnebus legit *balucis*, nullatenus convenit aureae operae cum fuste. Videat lector.

10. *Tritum nitenti*, *etc.* Linum olim in saxo fuste ligneo, seu malleo stupario tundebatur. Nam ut Plin. l. XIX, cap. 1, inquit: *Mox arefactae* (virgae lini) *in saxo tunduntur stupario malleo.* Alii de auro exteouato in laminas et bracteas interpretantur.

11. *Nec turba.* Sacerdotes intellige, qui sanguine suo Bellonae numen placabant, et furentes vaticinabantur. — *Entheata.* ἐνθουσιάζουσα; in (ἐν) quam deus (Θεός) vel divinus quidam spiritus sese insinuat. Supra ipse XI, 84, 4: *Quum furit ad Phrygios enthea turba modos.* Eo. P.

12. *Nec fasciato.* Iuvenalis Sat. XIV, 302: *naufragus assem Dum rogat, et picta se tempestate tuetur.*

14. *Nec sulfuratae.* Hoc est, non

Dicet qnot aera verberent manus urbis,
Quum secta Colcho Luna vapulat rhombo.
Tu, Sparse, nescis ista, nec potes scire,
Petilianis delicatus in regnis,
Cui plana summos despicit domus montes,
Et rus in urbe est, vinitorque Romanus;
Nec in Falerno colle maior autumnus,
Intraque limen clausus essedo cursus,
Et in profundo somnus, et quies nullis
Offensa linguis; nec dies, nisi admissus.
Nos transeuntis risus excitat turbae,
Et ad cubile est Roma: taedio fessis
Dormire quoties libuit, imus ad villam.

cessat proclamare. Lippus vero dicitur, nempe a sulfure, quod semper manibus terit.

16. *Quot aera.* Quum Luna a caelo deducitur magicis incantationibus, l. IX, epigr. 30, *Quae nunc Thessalico Lunam deducere Rhombo.* Sensus est: Tot sunt manus quae pulsant aera quibus deducitur Luna, ut numerari nequeant: ita neque somni impedimenta numerari possunt.

17. *Colcho Luna vapulat.* Colcho, id est, magico, propter Medeam, quae Colchis. — *Rhombo,* magico instrumento, lib. IX, epigr. 30, vs. 9.

18. *Nescis ista, etc.* Omnia et urbis molestias.

19. *Petilianis, etc.* Qui habes praetorium, id est, villam magnificam sub Ianiculo, in agro quondam L. Petilii scribae, ubi rex Numa, teste Livio, fuit sepultus. Ita Raderus. — *Regnis.* Regna autem dicit poëta, ut Virgilius, Eclog. I, 70: *Post aliquot mea regna videns mirabor aristas.*

21. *Vinitorque Romanus.* Quia scil. vinea est in ipsa Vrbe.

22. *Falerno colle.* Campaniae nempe, ubi vites sunt et amoenissimae, et optimi vini feracissimae. Caeterum, *Autumnum* dixit Noster pro ipsa vindemia.

23. *Intraque limen.* Hoc est, intra aedium tuarum septa spatium est gestationi et cursui sufficiens. Essedum genus est vehiculi.

25. *Nisi admissus.* Quum aperis tuas fenestras.

27. *Et ad cubile.* Tantus scilicet est ad meas fores strepitus, tantus fragor, ut tota Roma illic stare mihi videatur.

28. *Imus ad villam.* Quod sane tibi non est necessarium, qui villam ipsa in Vrbe habes, et noctem in meridie,

58. — AD ALAVDAM.

Ancillariolum tua te vocat uxor, et ipsa

1. *Ancillariolum, etc.* Quod ancillas sectaretur. Sed et matronae Romae eos dicebant ancillariolos, qui nulla nobili amica se fecerant insignes.

Lecticariola est: estis, Alauda, pares.

2. *Lecticariola est, etc.* Quae se prostituit servis lecticam succollantibus. Nescio, an mulierem istam probri at dedecoris tacite arguat. Nam in lecticis et sellis suis vehebantur quandoque bellae illae matronae paulo incautius, aut potius consulto sese inspiciendas praebebant τοῖς τυχοῦσι. — *Pares*; Gallice, *vous êtes à deux de jeu.* Ed. P.

59. — DE IMPORTVNIS BASIATORIBVS.

Tantum dat tibi Roma basiorum
Post annos modo quindecim reverso,
Quantum Lesbia non dedit Catullo.
Te vicinia tota, te pilosus
Hircoso premit osculo colonus.
Hinc instat tibi textor, inde fullo,
Hinc sutor modo pelle basiata,
Hinc menti dominus pediculosi,
Hinc defioculusque, et inde lippus,
Fellatorque, recensque cunnilingus.
Iam tanti tibi non fuit redire.

3. *Quantum Lesbia.* Catulli de hac re versus lepidissimi omnibus ad manum sunt. Solitum autem peregre redeuntes basiis excipi, satis notum est. Hic mos antiquissimus, et Israëlitis quoque usitatus Sed in hoc osculo animadvertenda etiam honoris et observantiae nota, Rabbinis observata. Diu obtinuit haec consuetudo. Sed et discedentes, aut longius aliquod iter suscipientes, amicos osculabantur. Plinius Panegyrico: *Gratum erat cunctis, quod Senatum osculo exciperes, ut dimissus osculo fueras.* Persarum etiam haec consuetudo inter τοὺς συγγενεῖς. *Herald.*

5. *Hircoso premit, etc.* Foetido, male olenti hircum axillarum. *Basiis olidissimis* dixit Petron. impuri scil. oris.

7. *Basiata.* Dum morderet luto pulrem soleam, ut lib. IX, epigr. 74, vs. 2.

8. *Pediculosi.* Brodaeus lib. X. Miscel. cap. 34 legit *periculosi*, et exponit laborantis lichene seu meotagra.

9. Dubito, inquit Schrevelius, an Salmasius correxerit *Hinc caecis oculis*, sed requirendum. — *Defioculus.* Cui defit, seu deest oculus, luscus.

11. *Iam tanti.* Siquidem reversus haec eras passurus.

60. — AD SVVM NATALEM.

Martis alumne dies, roseam quo lampada primum;

Natali suo se genialiter victurum dicit rure, quod in urbe non poterat.

1. *Martis alumne.* Hoc est, o Kalendae Martiae, quibus natus erat

Magnaque siderei vidimus ora Dei,
Si te rure coli, viridesque pigebit ad aras,
Qui fueras Latia cultus in urbe mihi;
Da veniam, servire tuis quod nolo Kalendis,
Et qua sum genitus, vivere luce volo.
Natali pallere suo, ne calda Sabello
Desit, et ut liquidum potet Alauda merum;
Turbida sollicito transmittere Caecuba sacco,
Atque inter mensas ire, redire suas;
Excipere hos, illos, et tota surgere coena,
Marmora calcantem frigidiora gelu:

Poëta. — *Roseam lampada.* Cave ad τὸ *siderei dei*, quod in mox sequuturo versu, verba ista, velut regimen, referas. Elegantius uamque absolute id sumere pro luce, aurora, aut aliis quibuscumque id genus.

2. *Magna ora.* Centies enim et sexagies magnitudine superat universae terrae globum globus solis, aiunt interpp. — At quis credat id cogitasse Martialem? Nonne rectius, si physice intelligendo *magna*, comparationem intellexeris tacitam inter siderum nocturnorum et solis magnitudinem. Ed. P. — *Siderei dei.* Hoc est, solem qui siderum proprie dictorum in numero, non in planetarum referendum.

3. *Virides ad aras.* Factas nempe ex cespite, et a romanis ornatas.

4. *Qui fueras, etc.* Quem natalem hucusque intra urbis Romae moenia celebravi.

5. *Tuis Kalendis.* In sexto casu: hoc est, quod tuis Kalendis uolo in urbe occupare officiis praestandis; sed malo rure genialiter vivere; quod in urbe fieri nequibat, ut docent sequentes versus, quos novum epigramma constituere negant multi.

6. *Et qua sum genitus, etc.* Nempe non minus die illa occupati erant in officiis vanis et anteambulationibus qua nati erant, quam ea qua domini natalem celebrare consueverant.

7. *Natali pallere.* In veteri codice sic distinguitur hoc epigramma a praecedenti, et lemma scribitur *de Sabello*. Sed melior videtur inscriptio quam subiecimus ex Radero, *De stulta natalis celebrandi cura*. Alaudam vero et Sabellum pro quovis obvio conviva nominavit Poëta. Hic ergo agitur tantum de nimia natalis celebrandi cura, quo die uni genio indulgendum docet Martialis; atque ita est praecedentis epigrammatis continuatio.

9. *Caecuba.* De quibus lib. II, epigr 40. — *Transmittere.* Hoc est, magna praecipitatione colare.

10. *Inter mensas ire, redire.* Sive ut Caecubum transmittentes observaret; sive, quod in sequenti versiculo innuit, ut hos, illos exciperet triclinium intrantes et iis locum suum assignaret.

12. *Marmora.* Nudis pedibus mensae accumbebant Veteres; saepe etiam venientem convivam excepturi, prae

Quae ratio est, haec sponte tua perferre patique,
Quae te si iubeat rex dominusque, neges?

nimia festinatione soleas petere nequibant, atque ita nudis pedibus calcabant marmora, quibus strata erant coenacula. — Credideris, notam illam legens, exsurgere una omnes convivas ad eum excipiendum qui ingrediebatur: sed immerito; nam surgebat solus dominus.

13. *Quae ratio est.* Quam verniliter, immo praepostere facis hoc convivator, rex et dominus, quod non faceret conviva et cliens?

61. — DE LIGVRRA

Versus, et breve vividumque carmen,
In te ne faciam times, Ligurra;
Et dignus cupis hoc metu videri:
Sed frustra metuis, cupisque frustra.
In tauros Libyci fremunt leones;
Non sunt papilionibus molesti.
Quaeras, censeo, si legi laboras,
Nigri fornicis ebrium poëtam;
Qui carbone rudi, putrique creta
Scribit carmina, quae legunt cacantes.
Frons haec stigmate non meo notanda est.

Laeserat quispiam ineptus et insulsus versificator poëtam, eo tantum fine, ut irritaret in se Martialem ab eoque nominatim refutaretur. Poëta negat se gry dicturum in eum, quem contemnereot omnes, sibi prorsus imparem ingenio et carmine: quod genus contumeliae gravissimum est, non videri dignum, quem ultum eas. *Rader.*

4. *Metuis cupisque.* Hoc est, metuere te simulas, cupis revera.

5. *In tauros Libyci fremunt leones.* Hoc est, in feras minores non saeviunt leones, et quidem generosiores. Sic Poëta se leoni, Ligurram autem papilioni comparat.

7. *Si laboras.* Si cupis.

8. *Nigri fornicis.* Hoc est, obscuri loci et vilis notae poëtam quaeras.

9. *Qui carbone rudi.* Carbonis aut cretae nota citissime evanescit: sic obscuri poëtae carmina citissime pereunt.

10. *Quae legunt cacantes.* Quae mandentur Deae Cloacinae. Qualis *Tanusii Annales* Senecae habentur, et Catullo *Annales Volusi cacata charta.*

11. *Frons haec.* Id est: Servilis tua frons non est digna, cui ego imprimam victuri carminis notas. Vide lib. VI, epigr. 64. — *Stigmate.* Innuit notam, quam ad infamandum virum carnifex inurit.

62. — AD SATVRNVM PRO PRISCO TERENTIO.

Antiqui rex magne poli, mundique prioris,
  Sub quo pigra quies, nec labor ullus erat,
Nec regale nimis fulmen, nec fulmine digna,
  Scissa nec ad Manes, sed sita dives humus;
Laetus ad haec facilisque veni solemnia Prisci
  Gaudia. quum sacris te decet esse tuis.
Tu reducem patriae sexta, pater optime, bruma
  Pacifici Latia reddis ab urbe Numae.
Cernis ut Ausonio similis tibi pompa macello
  Pendeat, et quantus luxurietur honos?
Quam non parca manus, largaeque nomismata mensae,
  Quae, Saturne, tibi pernumerentur opes?
Vtque sit his pretium meritis, et gratia maior,
  Et pater, et frugi sic tua sacra colit.
At tu sancte tuo sic semper amere Decembri;

Prisco Terentio post annum sextum, Ipso Decembri in patriam Hispaniam reduci epulum exstruitur, ad quod Poëta Saturnum invitat; et rogat, ut Prisco saepe revocet Saturnalia, diuque illi aevum proroget. *Rader.*

1. *Antiqui, etc.* Saturne, sub quo aurea illa aetas, secura, innocens, quieta, etc. Et *Antiqui poli regem* appellat Saturnum, quod Saturnus ante Iovem caelo imperitaverit, a Iove filio postea exsutus imperio, et deturbatus.

2. *Pigra quies.* Aureum quippe Saturni saeculum fuisse canunt poëtae.

3. *Nec fulmine digna.* Scelera enim tunc non perpetrabantur digna fulmine; necdum erant opes repertae, sed in visceribus terrae aurum atque argentum erant recondita.

4. *Scissa, etc.* Ad eruendum ex visceribus terrae imaque Manium sede *ferrum ferroque nocentius aurum.* Ovid. Metam. lib. I, 141.

7. *Tu reducem patriae.* Nempe post sexennium, mense Decembri, ab urbe Roma in Hispaniam reversus est Priscus.

8. *Pacifici Numae.* Qui nulla bella gessit, sed totum se populumque religionibus dedit et obstrinsit.

9. *Pompa.* Hoc est, apparatus carnis tantus est in Hispania ad celebranda Saturnalia, quantus in Romae ipsius moenibus.

11. *Largaeque nomismata.* Hoc est, quam multa pecunia impendatur, Saturne, in tuum honorem.

13. *Vtque sit his pretium.* Sensus est: O Saturne, ut tibi gratior sit haec celebritas, Ipse pater Prisci, vir tamen parcus, laute colit tua Saturnalia.

Hos illi iubeas saepe redire dies.

16. *Hos illi.* Nempe Prisco, aut eius patri, concede vitam longaevam, cuius per spatium possit iterum atque iterum diei illius reditu et celebratione frui.

63. — AD CORDVBAM.

Vncto Corduba laetior Venafro,
Histra nec minus absoluta testa,
Albi quae superas oves Galesi,
Nullo murice, nec cruore mendax,
Sed tinctis gregibus colore vivo;
Dic vestro, rogo, sit pudor poëtae,
Ne gratis recitet meos libellos.
Ferrem, si faceret bonus poëta,
Cui possem dare mutuos honores:
Corrumpit sine talione caelebs;
Caecus perdere non potest quod aufert.

In Cordubensem poëtam, et malum et furem carminum suorum scribit; rogatque Cordubam, ut suum clientem moneat, ne aliena pro suis recitet. *Rader.*

1. *Corduba.* Vrbs Hispaniae ad Baetim, ferax olearum, quam laudat, civem eius vituperaturus: unctum autem appellat Venafrum ab oleis, quae in Venafrano Campaniae agro nascuntur optimae.

2. *Histra.* Histria est Italiae terminus Illyrico ad ortum confinis, oleis abundans.

3. *Galesi.* Italiae fluvius est ad Tarentum, ubi oves lanam habebant candidissimam: lib. II, epigr. 43.

4. *Nullo murice.* Baeticarum enim ovium lana nullo fuco imbuta, sed nativo colore erat tincta; quod leges epigr. 100 infra.

6. *Si* pro *sit* aliter legitur. — *Dic.* Corduba, dic tuo civi et clienti, malo poëtae.

7. *Gratis recitet, etc.* Impune. Cui nulla vel mala scribenti carmina non possum ego referre gratiam, illius recitans cum honore, ut ille mea.

9. *Cui possem.* Eius quippe versus pro meis canendo, parem ipsi laudem impertirer.

10. *Corrumpit sine talione caelebs.* Caelebs; metaphora, nihil scribens. — Non translatio est, sed comparatio: nec *caelebs* nihil scribens, sed qui non habet uxorem. Is adulterat (hoc enim est *Corrumpit*) sine talione, ita ut par pro pari ei reddi non possit; caret enim uxore, quae vicissim corrumpatur. *Gronov.* — *Sine talione.* Vindicta parili.

11. *Caecus perdere, etc.* Non possis lege talionis agere cum caeco, qui alteri oculum eruerit.

Nil est deterius latrone nudo,
Nil securius est malo poëta.

12. *Nudo.... malo poëta.* Cui nihil est quod vicissim auferas. Cordubensem furem cum caeco et latrone comparat ignominiosis similitudinibus, ut acrius mordeat.

13. *Nil securius est.* Nam inepti poëtae carmina quis furetur?

64. — DE CINNA.

Vincentem roseos facieque comaque ministros
Cinna coquum fecit: Cinna gulosus homo est.

1. *Roseos.* Vt et *sidereos*, *roseos* epitheton est solemne ad eximiae formae iuvenes et pueros. — *Coma.* Diximus iam coma longa distingui pueros; neque hac eos ante spoliari quam inter viros admitterentur.

2. *Cinna gulosus.* Qui ut gulae suae satisfaceret, sustinuit tantam pueri pulchritudinem violare nigra culina, ut iam dixit de Theopompo: lib. X, epigr. 66.

65. — DE PHYLLIDE.

Formosa Phyllis nocte quum mihi tota
Se praestitisset omnibus modis largam,
Et cogitarem mane quod darem munus,
Vtrumne Cosmi, Nicerotis an libram,
An Baeticarum pondus acre lanarum,

Puellam ridet quae quum et elegantia formae et mobili morum procacitate multas superaret vel fastosissimas, et eo nomine multa ab amantibus potuisset, immo debuisset flagitare, vili mercede contenta est, nec se iusto aestimavit. Cogitabat nempe lectum relicturus poëta qua muneris magnificentia gratum animum testaretur, et lauta, magna, opulenta animo volvebat, quum illa parvulum quid, immo nihil submisse rogat. Id vero maxime ridendum, quum, ut meretriculae omnes, avida sit mercedum, praepropera eam rogatione quae daturus ille erat amittere. Ed. P.

4. *Cosmi, etc.* Libram unguenti a Cosmo, seu Nicerote myropolis confecti.

5. *Pondus octo lanarum.* Si toleramus *lanarum*, accipiendum est pro certi ponderis glomere lanae: ut quum Seneca dicit *multa millia frumenti*, ubi intelligimus, modiorum. Sed Pircheimeri codex, ut Anglic. et Palat. Gruteri *acre*: alludantque eodem, in quibus est *aere*. Et videtur eleganter

An de moneta Caesaris decem flavos;
Amplexa collum, basioque tam longo
Blandita, quam sunt nuptiae columbarum;
Rogare coepit Phyllis amphoram vini.

dici posse pro exacto, cui nihil desit: ut et *acerbum* accipere solent. Itaque huc inclino. Sequenti versu *Flavos* dici pro Flaviis contra morem Romanum est. *Flavi* sine dubio dicuntur aurei ob colorem. *Gronovius.*

6. *Flavos*, *etc.* Flavios vulgo explicant ex moneta Domitiani; sed vid. not. praeced.

9. *Rogare coepit*, *etc.* Vinosa mulier. *Digna est concubitus quoslibet illa pati*, Ovid. Art. III, 376. — Non is, si statuerim, sensus. Vid. not. prim.

66. — IN AMOENVM.

Bis quinquagenis domus est tibi millibus empta,
Vendere quam summa vel breviore cupis.
Arte sed emptorem vafra corrumpis, Amoene,
Et casa divitiis ambitiosa latet.
Gemmantes prima fulgent testudine lecti,
Et Maurusiaci pondera rara citri.
Argentum atque aurum non simplex Delphica portat;

Fraudulentum venditorem describit, qui deceptus, male materiatam domum, centum millibus HS. emerat, quam vel quinquaginta venditam cupiebat. Is ergo ut emptori fumum venderet, aurea argenteaque supellectili domum ornavit, illamque ducentis millibus aestimavit. Poëta ait, vili instructam domum vendi; sed vacuam caro nimis. Aedes autem non erat cum ornamentis venditurus Amoenus, sed vacuas; ornamenta apposuit, ut obiiceret escam emptori. *Rader.*

1. *Bis quinquagenis.* Nempe millibus sestertium. Quod quid efficiat gallicae monetae si nosse velis, adi ad calcem volum. primi tabulas monetarum. Ed. P.

3. *Corrumpis.* Hoc est, deludis, vitias, ad falsam domi aestimationem trahis.

4. *Et casa divitiis*, *etc.* Et domum nullius per se pretii instruis pretioso ornatu, quo sit venalior.

5 *Gemmantes prima.* Primam testudinem intelligit Raderus, atrium, et vestibulum aedium, ubi ponebantur lecti geniales.

6. *Et Maurusiaci.* Et mensae citreae pretiosissimae ex Mauritania.

7. *Non simplex Delphica.* Hoc est, ornata laminis auri vel argenti. Delphicae mensae, inquit Heraldus, marmoreae erant, ut colligere est ex Cicerone lib. VI, in Verrem. Cuiacius, lib. X Observationum, c. 13, de Delphicis agens probat fuisse abacos ex quibus vina ministrarentur.

Stant pueri, dominos quos precer esse meos.
Deinde ducentas sonas, et ais, non esse minoris.
Instructam vili vendis, Amoene, domum.

8. *Dominos, etc.* Amasios nempe pueros, ut amica dicitur *domina*.

9. *Sonas, etc.* Poscis pretium.

10. *Instructam vili.* Sensus est: Equidem, o Amoene, domum sic instructam et magnificentia tali undique explendescentem vili pretio vendere videris; sed quum omnem supellectilem atque ornatum sublaturus sis, et vacuam traditurus, nimis cara est tua domus.

67. — IN NATALEM MARONIS.

Maiae Mercurium creastis Idus.
Augustis redit Idibus Diana.
Octobres Maro consecravit Idus.
Idus saepe colas et has, et illas,
Qui magni celebras Maronis Idus.

Celebrat natalem Virgilii, et eundem celebrantibus optat mille natales.

1. *Maiae.* Ausonius Idyllio de feriis Romanis: *Et medias Idus Maii, Augustique recursu Quas sibi Mercurius, quasque Diana dicat.* — *Creastis Idus.* Edidistis in lucem, natalitiae estis. Nusquam tamen legitur Idus Maias natalitias fuisse Mercurio. Sed quod eo die, Mercurio templum haud procul a Circo maximo dedicatum a veteribus Romanis, A. V. C. CCLIX, ipso Livio teste. Templi autem dedicatio natalis erat numinis. — Idus vero est dies mensis vel tertius decimus vel quintus decimus, et ita dicebatur ab Etrusco vocabulo *iduare*, quod idem sonabat ac dividere; dividebatur enim sic mensis in duas fere aequales partes. Erant ergo Maiae Idus *le* 13 *mai*; Augustae Idus, *le* 15 *août*; Octobres Idus, *le* 15 *octobre*. Ed. P.

2. *Diana.* Natalis Dianae.

4. *Idus saepe colas.* Hoc est, Diu vivas, et sic possis colere Idus Mercurii et Dianae, qui Virgilii natalem colis.

68. — AD CLIENTES.

Matutine cliens, Vrbis mihi caussa relictae,

Poëta non desiderat officiosos, vel patrocinium implorantes clientes, quos ait se fugisse etiam Romae, quam et ipsam clientium caussa reliquerit. *Rader.*

1. *Matutine cliens.* Salutationis vel patrocinii caussa me summo mane visens. — *Vrbis mihi, etc.* Cuius importunitatem ut omnino effugerem, ipse ex urbe Roma in hanc provincialem solitudinem profugi.

Atria, si sapias, ambitiosa colas.
Non sum ego causidicus, nec amaris litibus aptus;
Sed piger, et senior, Pieridumque comes.
Otia me somnusque iuvant, quae magna negavit
Roma mihi: redeo, si vigilatur et hic.

2. *Atria ambitiosa*. Divitum, quibus ad honorem gradus est clientium turba.

6. *Si vigilatur et hic*. Romam, inquit, sum rediturus, si nec Bilbili per clientes importunos mihi licest dormire.

69. — AD PAVLLVM.

Sic tanquam tabulas, scyphosque, Paulle,
Omnes archetypos habes amico.

Paullum avarum ait ornari ab amicis, sed amicos non a Paullo. Quemadmodum antiqua opera poculorum et tabularum ornant quidem dominum, sed a domino nihil accipiunt: ita amici a Paullo nihil beneficii accipiebant. *Rader*.

2. *Archetypos*. *Archetypus* prima est forma, ex qua exprimuntur simulacra; ab ἀρχὴ, principium, et τύπος, figura et umbra, et veluti imago ac symbolum veritatis. Ergo, *archetypi* amici, per metaphoram, pro veteribus, germanis et honorificis amicis. Ed. P.

70. — DE APRO.

Lintea ferret Apro vatius quum vernula nuper,
Et supra togulam lusca sederet anus,
Atque olei stillam daret enterocelicus unctor,

1. *Lintea ferret Apro*. Lintea quibus Aper lotus abstergeretur. Postquam enim in balneis laverant, oleo sese perfundebant, et quandoque unguento beatiores, ac linteis postea tergebantur, quae domo sibi afferenda curabant. Apul. Metam. lib. I. Sed beatiores delicatioresque ac molliores mollius tergebantur. Petronius: *Itaque intravimus balneum, et sudore calefacti, momento temporis ad frigidam eximus. Iam Trimalchio unguento perfusus tergebatur, non linteis, sed palliis ex mollissima lana factis*. Herald. — *Vatius*. Vatius ille dicitur qui pedes extrorsus distortos habet, dum *varus* est qui introrsus distortis est cruribus. Ed. P.

2. *Et supra togulam*. Ne subduceretur, nec enim habebat servos qui illam custodirent.

3. *Atque olei*. Quum in balneis ungerentur Veteres, tam pauper erat Aper, ut nec satis olei ad bene un-

Vdorum tetricus censor et asper erat.
Frangendos calices, effundendumque Falernum
Clamabat, biberet qui modo lotus eques.
A sene sed postquam patruo venere trecenta,
Sobrius a thermis nescit abire domum.
O quantum diatreta valent, et quinque comati!
Tunc, quum pauper erat, non sitiebat Aper.

gendum corpus emere posset. — *Enterocelicus*; qui enterocela laborat: enterocele autem dicitur, quum intestinum caecum (ἔντερον) dilatatur in scrotum; epiplocele, quum omentum; hydrocele, quum in alterum e testibus humor confluit: omnes has species Latini vocabant Hernias, ut inquit Cels. lib. VII, c. 18. Ed. P.

4. *Vdorum*, vino scilicet madidorum. — *Vdorum tetricus*, etc. Aper lavantium luxum qui in balneis potabant, aspere reprehendebat; clamitans nempe frangendos calices, id est, non admittendas potationes. Quam multos enim istius generis invenias homines, Catones saeculi sui, virtutem laudantes, vitiis irascentes, sed qui *detestantur haec in felicibus, eadem, si potuerint, facturi* (Sen. Benef. lib. I, cap. 9), *et sic aliorum vitiis irascuntur, quasi invideant*. Plin. lib. VIII, Epist. 22.

5. *Frangendos*. Clamabat Aper tollendas potationes, idcirco frangendos calices et humi mittendum merum illius equitis, qui modo lotus biberet.

6. Pro *qui modo*, forte leg. *si modo*, aut *quod modo*.

7. *A sene..., nummi venere trecenta*. Quum trecentos nummos sibi relictos cuiusdam senis testamento accepisset. — *A sene.... patruo venere trecenta*, millia nempe sestertiorum, quae summa longe maior. — Ego tamen non satis scio an eam ob caussam magis arrisuram rear lectionem novam. Nonne enim acutius quiddam et malignius poëta dicit, dum trecentos tantum nummos satis esse ait ut et sapientiam et sesquipedalia verba Censor ille obliviscatur? Ed. P.

8. *Sobrius a thermis*, etc. Aper modo in re tenui tam gravis censor damnatorque potationum in balneis, iam in re aliquanto lautiori mutavit animum, factus bibo ad ebrietatem. Multi sane ea reprehendunt et tristissima damnant, quae, si possent, lubentes facerent. Invident plerisque beatis: et vitia in iis improbant, quae ipsi, si ad beatorum gregem transcriberentur, ambitiosissima colerent.

10. *Tunc, quum pauper*. Scilicet sibi opus esse vino, opus continuis potationibus credidit dives modo factus, quod idem non credebat, quum egenus et pauper.

71. — AD LYGDVM.

Nil non, Lygde, mihi negas roganti;
At quondam mihi, Lygde, nil negabas.

1. *Lygde*. Lygdus, Lygdamus, nomina usitata hisce temporibus ad servulos elegantiores et amatos a dominis pueros designandos

2. *Nil negabas*. O nunc castissime, impurissimus fuisti. Vid. lib. IV, epigramm. 12.

72. — AD PANNICVM.

Iugera mercatus prope busta latentis agelli,
Et male compactae culmina fulta casae,
Deseris urbanas, tua praedia, Pannice, lites,
Parvaque sed tritae praemia certa togae.
Frumentum, milium, ptisanamque, fabamque solebas
Vendere pragmaticus: nunc emis agricola.

Pannicum causidicum, fructuosa dicendi arte deserta, agellos ementem steriles, irridet.

1. *Prope busta*. Gallica intelligunt interpretes: ubi nempe Galli in depresso seu latente loco fuerant sepulti a Camillo deleti, vel pestilentia interempti in obsidione Romae. Livius. lib. V, 45.

3. *Deseris*. Forum scilicet, ex quo maiores et certiores fructus, quam ex fundo empto, percipiebas.

5. *Frumentum*. Munera intellige, quibus donabatur Pannicus: *ptisanam* interpretare hordeum ex quo saepe fit.

6. *Pragmaticus*. Est is qui recte iuris formulas novit, atque oratoribus leges et consuetudines suggerit. Iuvenal. sat. VII, 123. — A Graecis sumpserunt hanc dictionem, quam nos etiam gallice, quamquam intersectam, retinemus. Nam πραγματικοὶ Graecis appellantur, quos nos practicos appellemus, chartaceos et calamarios homines. Quintil. tamen lib. II, cap. 6, πραγματικοὺς Graecis vocari *Iuris interpretes* dicit. *Herald.* — *Nunc emis agricola*. Propter agri sterilitatem.

73. — AD CATVLLVM.

Haeredem tibi me, Catulle, dicis.
Non credam, nisi legero, Catulle.

2. *Nisi legero*. Hoc est, nisi mortuus fueris: tabulae enim testamentariae non aperiebantur, nisi mortuo testatore. Vel intellige, *nisi legero*, tua scilicet esse: sic tacite Catullo mortem optat, quo citius eius bona possideat.

74. — AD FLACCVM.

Quum tibi Niliacus portet crystalla cataplus,

Anteponit usum calicum fictilium, calicibus vitreis et crystallinis ex Aegypto allatis, propter usum et pretium vilius; minusque incommodum si frangantur, aut frangendi sint. *Rader*.

1. *Niliacus portet*. Ex Aegypto. — *Crystalla*. Calices vitreos et crystal-

Accipe de circo pocula Flaminio.
Hi magis audaces, an sunt qui talia mittunt
Munera? sed geminus vilibus usus inest.
Nullum sollicitant haec, Flacce, toreumata furem,
Et nimium calidis non vitiantur aquis.
Quid, quod securo potat conviva ministro,
Et casum tremulae non timuere manus?

linos. — *Cataplus.* Navigatio et navigia Aegyptiorum. Ex Aegyplo vero merces istae allatae. Lib. XIV, epigramm. 115. Crystalla ista quae afferebantur Alexandrino Cataplo, non fuere vera crystalla, sed χρυσταλλοφανῆ, seu vitra, crystalli similitudine, quae in Alexandria conficiebantur, et magno erant in pretio. At quae Romae fiebant χρυσταλλοφανῆ, asse venibant. Nam ὑαλουργούς Romanos multa adinvenisse tradit Strabo ad facilitatem vitri conficiendi ac vilitatem. Pretiosa nihilominus habita semper, quae in Aegypto fiebant, atque inde afferebantur. Ideo Poëta crystalla Niliaci cataplia, hoc est χρυσταλλοφανῆ cum Romae venentibus comparat, cara vilibus. Calices eiusmodi vitreos, qui Romae conflabantur, eo nomine commendat etiam Martialis, quod calidioribus aquis non vitiarentur: *Nostra nec ardenti gemma feritur aqua.* At χρυσταλλοφανῆ Alexandrina non patiebantur aquam calidam. *Salmas.* Vid. Turneb. lib. Adv. XXX, cap. 26; et lib. X, cap. 23.

2. *Flaminio.* Vbi vendebantur fictilia, aut vitrea vasa.

3. *Hi magis.* Videtur Poëta allusisse ad *calices audaces*, de quibus l. XIV, epigr. 94: audaces vero illi vocabantur, quod specie quadam crystallina pocula imitari auderent.

4. *Gemmis* pro *geminus* habuere edd. vett. fere omnes, imitantibus recentiorum nonnullis; ita ut in quibusdam legatur *gemmis utilis usus.* — *Sed geminus vilibus.* Haec nempe duo commoda vilibus poculis insunt, quod nec furem alliciant, nec aqua calida rumpantur. Qui legunt, *Sed gemmis utilis usus inest* obiectionem hic credunt esse Flacci: at falso; nam gemmas magno usui esse credebant antiqui in pellendis morbis et venenis.

5. *Toreumata.* Vasa sunt e metallo aliisve e materiis torno confecta et elaborata. Dicitur tamen magis proprie de caelaturis illis quas nos vocamus *bas-reliefs.* Talibus vero caelaturis quum saepissime Veterum, modo ditiorum, pocula et scyphi at crateres, omnes denique omnis modi paterae ornarentur, pro *poculis, scyphis, pateris* saepissime dictum *toreuma.* Ed. P.

7. *Securo ministro* At vero quum crystallina pocula porrigerent servi, ne aut convivis aut sibi e manibus exciderent valde metuebant, ita ut ex ipsa sollicitudine et cura peccarent, poculaque frangerent, non minus ac qui nimium audaces et negligentes: quod lib. XIV, 111, docet Poëta lemmate, in epigr. sub *Crystallina*, sic puerum alloquens: *Frangere dum metuis, frangis crystallina: peccant Securae nimium, sollicitaeque manus.*

Hoc quoque non nihil est, quod propinabis in istis,
Frangendus fuerit si tibi, Flacce, calix.

10. *Frangendus fuerit.* Quum nempe in vitreo huiusmodi poculo aliquis ore impuro et male olenti biberit: at vero crystallinum quanquam frangi aliquando necessarium est, non sine magna iactura frangi potest.

75. — DE PVERIS.

Festinat Polytimus ad puellas;
Invitus puerum fatetur Hymnus;
Pastas glande nates habet Secundus;
Mollis Dindymus est, sed esse non vult;
Amphion potuit puella nasci.
Horum delicias, superbiamque,
Et fastus querulos, amice, malo,
Quam dotis mihi quinquies ducena.

1. *Festinat, etc.* Polytimus grandior est et canletus.

2. *Invitus puerum, etc.* Vix fatetur, negans sibi esse voluptati.

3. *Pastas glande, etc.* Βαλανοβόρρυς, quod dixit Diogenes de cinaedo quodam. Hic autem *glans*, seu βάλανος, est τὸ τοῦ καυλοῦ ἄκρον. Vbi non pinguitudo pueri significatur; sed pathici effeminatique impudicitia. Acumen enim sensus est in dictione ambigua *glande*, qua significatur pars obscoena genitalium virorum. Salse ergo dicit, eum habere nates glande pastas: tamquam subactione illa praepostera concubini, veluti cibo, nates pascerentur. *Beroaldus.* — Eamdem acuminis nequitiam notaveris in epigrammate hoc graeco anonymi cuiusdam: Ἁ ὗς τὰν βάλανον, τὰν μὲν ἔχει, τὰν δ' ἔραται λαβεῖν· Χ' ἁ πορνὰ βάλανον, τὰν μὲν ἔχει, τὰν δ' ἔραται λαβεῖν. Quae Choriambica latinis hexametris si invertere placuerit, habebis: *Hanc vorat, hancque cupit glandem sus horrida: glandem Sic vorat hanc meretrix, hancque vorasse cupit.*

4. *Mollis Dindymus, etc.* Lascivus est et nequam: sed dissimulat et rogari vult.

5. *Potuit puella nasci.* Formae est adeo ambiguae, et ipse facilis. Haud multum ab hac sententia abludit Ausonius in lepido epigrammate de venusto adolescentulo: *Dum dubitat natura, marem faceretne puellam, Factus es, o pulcher paene puella puer.* Horat. II, od. 5, 20, sic de Gyge Gnidio, « Quem si *puellarum* insereres choro, Mire sagaces falleret hospites Discrimen obscurum solutis Crinibus, *ambiguoque vultu.* » Ed. P.

8. *Quam dotis, etc.* Quam uxorem cum maximae dotis modo, decies scilicet centenis millibus sestertium. Vid. tab. monetarum ad calcem primi Voluminis, ut iam saepe diximus. Ed. P.

76. — DE AGRICOLA.*

Amphora vigessis, modius datur aere quaterno.
Ebrius et crudus nil habet agricola.

* *De caritate vini* edd. vett. omnes et Delph. Certe, ait Plosculus, titulus male conceptus: nam de vilitate annonae agit, quod Cic. in Verr. III, diserte explicat: *Ad incertum casum et eventum incertus quotannis labor et certus sumptus impenditur.* Annona porro pretium, nisi in calamitate maxima, non habet.

1. *Datur aere quaterno.* Hoc est, inquit Farnabius, tam vili pretio venditur annona, ut malit agricola ingurgitare se ad crapulam usque et ebrietatem, quam tantulo pretio vinum et frumentum vendere. Gronovius vero intelligit beatos quidem esse agricolas, quum abundent vino et frumento; at infelices, quia ex frumento et vino vendito nihil nummorum reficere possunt in tanta annonae vilitate. Quare inscribunt, *De vilitate vini et frumenti.* Alii *De Agricola.* Eligat lector.

2. *Ebrius et crudus.* Hoc est, Agricola coenam potentiorum captat; atque ita in magna vini et frumenti caritate, licet pauper sit, tamen semper ebrius et satur est. *Crudus* dicitur, qui nimios, quos comedit, cibos coquere nequit. Vel intellige, inquit Raderus, agricolam si vel semel potet vel coenet lautius, ad egestatem redigi. — Prior sensus unice bonus.

77. — DE AETHONTE.

Multis dum precibus Iovem salutat,
Stans summos resupinus usque in ungues,
Aethon in Capitolio pepedit.
Riserunt comites: sed ipse Divum
Offensus genitor trinoctiali
Affecit domicoenio clientem.
Post hoc flagitium misellus Aethon,

1. *Multis.* Nonne *mutis* satius foret? Sed codd. manu exarati nescimus an faveant.

2. *Stans summos.* Mos erat precantium, ut caelum respicientes resupini, summis pedum digitis insisterent. *Domitius.*

4. *Comites.* Alii *homines*: recte. *Schrev.* Sic cod. Beverl. manu exaratus et ed. *Barb.*

5. *Trinoctiali, etc.* Quo castigaret ventrem alienis luxuriantem coenis, quasi nulla esset ciborum captatori tristior poena quam domi coenare. Et quidem inops ille forsan et pauperrimus aut vilissima per triduum esurus erat, aut ieiunia longa passurus.

Quum vult in Capitolium venire,
Sellas ante petit Patroclianas,
Et pedit deciesque, viciesque.
Sed quamvis sibi caverit crepando,
Compressis natibus Iovem salutat.

8. *In Capitolium.* Ad salutandum Iovem.

9. *Patroclianas.* Publicas quasdam latrinas interpretare.

12. *Compressis.* Aethon parasitus pedendi vitio sic laborabat, ut, licet sibi cavisset, crepitum semper comprimere cogeretur.

78. — DE EODEM.

Ante Iovis statuam crepuit satur histrio: poenam
Iupiter indixit, vivere de proprio.

Eomdem cavillatur, ut minus procaciter, sic salse magis. Coenipetam et pauperem arguit. Vtrumque autem contumeliae loco habendum; quum parasitus et usque et ubique spretus, et tunc Romae nil paupertate odiosius. Horat. lib. III, od. XXIV, 42, *Magnum pauperies opprobrium.* Tacit. Ann. *Neque illi obiiciendum quidquam, nisi quod maximum malorum paupertatem haberet.*

2. *Vivere de proprio.* Quum vero pauper esset iste Aethon, domi ieiunare cogebatur.

79. — AD BITHYNICVM.

Nil in te scripsit, Bithynice: credere non vis,
Et iurare iubes: malo satisfacere.

2. *Et iurare iubes, etc.* De more fori, qui se iureiurando purgare recusarat, eum oportebat damnatum solvere: Poëta dicit ergo se non iuraturum, et malle satisfacere. Sed et hoc ambigue: solverene? an deprecari? an scribere aliud carmen? — Lusit elegantissime in ancipiti significatione vocis *satisfacere.* Amici offensa tollitur duobus modis: vel si fecisse negemus; vel si factum excusemus, et peccatum nobis condonari supplici prece petamus. Bithynicus Martialem iurare voluit non esse factum a se quod ille arguebat; recusat poëta iurare, et ait, *Malo satisfacere.* Potest intelligi malle illum, ut hominem religiosum, deprecari culpam quam iurare. At ille aliud sentit, nempe paratum se potius fateri id cuius arguebatur. *Casaubon.*

80. — AD ATTICILLAM.

Donavi tibi multa, quae rogasti;
Donavi tibi plura, quam rogasti;
Non cessas tamen usque me rogare:
Quisquis nil negat, Atticilla, fellat.

In feminam avarissimam Atticillam, cui excusatum se vult quod magna etiam atque etiam flagitanti tandem abnuerit.

1. *Donavi*, *etc.* Notanda tibi in his duobus versiculis duo sunt, gradatio nempe et paronomasia; cuius enim rhythmi et formae versus prior, eiusdem est posterior.

4. *Quisquis nil.* Lepide iocatur in Atticillam semper aliquid petentem, et hac saepius dum peteret formula utentem, Decet te nihil negare. Adeo turpe est, inquit, nihil negare, ut idem etiam fellare significet.

81. — DE CALLISTRATO.

Ne laudet dignos, laudat Callistratus omnes.
Cui malus est nemo, quis bonus esse potest?

Callistratus, ut neminem laudandum monstraret, laudabat omnes. Rem intelligit Poëta et negat verum esse iudicium, quod nec omnes sint pares, nec omnes sint boni; ita fieri, ut improbi etiam laudentur. Neque enim esset malitia, si nulla in mundo bonitas; et contra. Cui omnia alba, qui malos aeque ac bonos promiscue laudat, et indulgentia tanta utitur, arguit sese iudicii infirmi et vel livore vel adulatione praepediti.

1. *Ne laudet dignos.* Invidia, aut iudicii infirmitate, omnes laudabat Callistratus: boni vero tantum laudandi, atque a malis distinguendi sunt. Vid. not. praeced.

82. — DE VMBRO.

Brumae diebus, feriisque Saturni,

Notat avaritiam Vmbri, qui plus pauper donarat in Saturnalibus poëtae, quam dives: pauper aliculam; dives alicam donabat. Quum vero alica crassior sit et vilior quam alicula, poëta dum laudare Vmbrum videtur, carpit, ut sordidiorem factum quam olim, quum pauper fuit. Sed audi quid H. Salmuth. adferat ad Pancirol. cap. de vestibus Veterum. Taxat, inquit, Vmbri avaritiam, qui olim pauper miserit aliculam; nunc dives alicam mittat. Alicula, togae vel chlamydis genus est; alica autem, potus ex Zea. Lib. XIII, epigr. 6, infra. Cuius tamen quum alicula videretur diminutivum, credi posset haec illa vilior.

1. *Brumae diebus Mittebat.* Idem fere lib. X, epigr. 14: *Quando brevis*

Mittebat Vmber aliculam mihi pauper;
Nunc misit alicam: factus est enim dives.

gelidae missa est toga tempore brumae.

2. *Aliculam.* Invenio, inquit Turnebus lib. XVIII, cap. XXIII, et in antiquo Vocabulario *aliculam* genus vestis esse. Lex XXIII, §. 2, ff. de auro, argento, mundo: *Puerilia (vestimenta nempe) sunt quae ad nullum alium usum pertinent, nisi puerilem, veluti togae, praetextae, aliculae, chlamydes, pallia, quae filiis nostris comparamus.* Aliculae, inquit Gothofredus, sunt togae breves.

83. — DE MENOGENE.

Effugere in thermis et circa balnea non est
Menogenen, omni tu licet arte velis.
Captabit tepidum dextra laevaque trigonem,
Imputet exceptas ut tibi saepe pilas.
Colliget, et referet laxum de pulvere follem,
Et si iam lotus, iam soleatus erit.
Lintea si sumes, nive candidiora loquetur,
Sint licet infantis sordidiora sinu.
Exiguos secto comentem dente capillos,
Dicet Achilleas disposuisse comas.
Famosae feret ipse tropin de faece lagenae,

Coenipetam ad unguem describit: unde discis, quibus artibus olim ceparint adulatores, clientes, et parasiti potentiorum bene olentes culinas. *Rader.*

1. *Non est, etc.* Menogenes scilicet dextra iuxta ac laeva pilam excipiet, et tibi adscribet exceptam, velut docto artis pilae. Pilam ergo trigonalem, non a figura ipsius pilae, sed ludentium, et in trigono stantium appellat. *Raderus.* — *Non est.* Non licet, non potes.

3. *Tepidum.* Et tepidum addit, scil. sudore ludentium madefactum. — *Trigonem.* Pilae genus.

4. *Imputet.* Hoc est, ut excepta pila et tibi oblata aliquam apud te ineat gratiam.

6. *Iam soleatus.* Post lotionem soleas ponebant, quas coenaturi deponebant. Sensus est: Menogenes e balneis exiturus remanebit sua tibi officia praestiturus.

7. *Lintea.* Sumebantur ad corpus post lavationem abstergendum.

9. *Secto dente.* Hoc est, pectine.

10. *Achilleas comas.* Hoc est, tuas esse flavas, et pulchras, quales Achillis comas laudat Homerus.

11. *Tropin.* Quae est infima navis pars, at hic sumitur pro vino vapido, quod est in lagenae fundo. Huiusmodi vino utebantur Veteres, vel ad

Frontis et humorem colliget usque tuae;
Omnia laudabit, mirabitur omnia, donec
Perpessus dicas taedia mille, Veni.

corpora abluenda in balneis, val ad vomitum ante coenam ciendum, inquit *Raderus*.
12. *Ipse* pro *usque* ed. *Barb.* quod alios legere notavit Farnab. Praestat tamen vulgata lectio.
14. *Veni*. Ad caenam.

84. — DE FABIANO.

Derisor Fabianus herniarum,
Omnes quem modo colei timebant
Dicentem tumidas in hydrocelas,
Quantum nec duo dicerent Catulli,
In thermis subito Neronianis
Vidit se miser, et tacere coepit.

3. *Hydrocelas*. Morbus erat ex genere enterocelarum, et idem fere quod hernia, nempe quum intestina dilabuntur in scrotum. Ed. P.
4. *Quantum nec duo*. Catullus in hasce hyperbolice dicit.
5. *In thermis Neronianis*. Erant thermae Neronianae unum ex vastissimis, atque splendidissimis Romae aedificiis. Pulchriores tamen posthac Domitianus, Caracalla, Diocletianus exstruxere.
6. *Tacere coepit*. Quia nempe factus at ipse est herniosus.

85. — AD POLYTIMVM.

Nolueram, Polytime, tuos violare capillos;
Sed iuvat hoc precibus me tribuisse tuis.
Talis eras modo tonse Pelops, positisque nitebas
Crinibus, ut totum sponsa videret ebur.

1. *Violare*. Quasi nefarie ille acturus esset qui eos ferro rescinderet. Neque anini pars ulla, credo, pulchritudinis magis in pretio fuit Romae, item in Graecia, apud delicatos viros quam caesaries. Neque usquam gentium plures cincinnandi, colorandi, exstruendi capillitii modi. Ed. P.
2. *Sed iuvat*. Tonsis enim capillis lactea tua colla iam apparent, quae comis tegebantur.
3. *Pelops*. Cui humerus a Cerere decerptus, alter eburneus a diis restitutus est, quem totum videre poterat Hippodamia, eius uxor. Quae historia satis nota.

86. — IN FABVLLVM.

Paediconibus os olere dicis.
Hoc si, sicut ais, Fabulle, verum est,
Quid tu credis olere cunnilingis?

1. *Olere*. Male nampe, quamvis et bene aliquando significat anceps vocabulum.

3. *Quid tu*. Notat Fabullum turpi vitio.

87. — IN NON ARRIGENTEM.

Triginta tibi sunt pueri, totidemque puellae;
Vna est, nec surgit mentula: quid facies?

1. *Triginta*, etc Mos enim ditioribus quibusdam tunc fuit *γυναικεῖον* quoddam, ut privatum *πορνοβοσκεῖον*, et quod recentiores nos *sérail*, *harem*, vocitamus, habere ad voluptates suas, quamquam numerosiores ibi forent aut pueri aut puellae quam omnibus ipsi potirentur.

2. *Quid facies*. Quasi dicat: Linges.

88. — DE COTTA.

Bis Cotta soleas perdidisse se questus,
Dum negligentem ducit ad pedes vernam,
Qui solus inopi praestat, et facit turbam;
Excogitavit homo sagax, et astutus,
Ne facere posset tale saepius damnum;
Excalceatus ire coepit ad coenam.

Irridet dissimulantis Cottae extremam inopiam.

2. *Ducit ad pedes*. Servus a pedibus is dicebatur, qui ad pedes domini accumbentis stabat, et soleas, quas dominus exsuerat (nam sine calceamentis veteres accumbebant), custodire solebat.

3. *Qui solus*, etc. Qui pauperi Cottae unicus est servus et pro toto comitatu, pro turba quae illustrem virum sequitur. Nam magnus comitatus clientum patronos deducebat.

6. *Excalceatus*. Hac clausula Cottae extremam inopiam sic deridet malignus Poëta.

89. — DE TONGILIANO.

Tongilianus habet nasum; scio, non nego: sed iam

1. *Habet nasum*. Hoc primo versu nasus sumitur pro acumine iudicii; nam denotabat apud Veteres *nasus* acumen ioci, irrisionis et dicacitatis.

Nil, praeter nasum, Tongilianus habet.

Sed in secundo sumitur proprie. Sensus ergo is est: Tongilianus est tam pauper, ut nihil habeat ultra nasum.

2. *Nil praeter nasum.* Quod hic aiunt hunc tam pauperem ut nihil iam habeat, nihil possideat (vid. notata praecedenter ad vs. 1), num bene intelligunt? Ego equidem dubito, et libentius statuam voluisse Martialem coenipetam cavillari gratiosum quidem olim omnibus, at qui nunc frustra trechedipna induens *circuit et fatuos non invenit.* Ergo nasutus ille, qui ubi lautae mensae, magnifici apparatus, ubi *clara epula ante alias et opimus in aethere nidor* optime callet; sed frustra nasutus, sed nasum solum, unde odoretur, non epulas iam habens. Ed. P.

90. — AD CHARINVM.

Quod lana caput alligas, Charine,
Non aures tibi, sed dolent capilli.

Hominem exagitat qui, quum calvus foret, sese infirmum alia ex parte simulabat et sic caput sibi involvebat ut credidissent facile multi auribus eum laborare, non capillorum nudatione.

1. *Quod lana, etc. Non aures...* Quasi diceretur *ex eo quod* lana caput soleas tibi alligare, non sequitur caput dolere tibi. Ergo voces illae duae *quod ....non* eaedem sunt ac soluta oratione *quod... non ideo*, *quod... non continuo*, hoc est, *ex eo quod... non sequitur.*

2. *Non aures tibi, etc.* Non adhibes focale ad muniendas aures, sed ad tegendum calvitium.

91. — DE MARONE.

Pro sene, sed clare, votum Maro fecit amico,

Lepide et acerbe tangit Maronem quemdam testamenti captatorem deceptum.

1. *Sed clare.* Ita ut audiat senex, quem captat Maro; innuit nimirum Martialis non haec esse vera vota captatoris, quippe qui ore tantum et labris tenus amici salutem optat. Sic Persius Sat. II, vs. 6: *Haud cuivis promptum est murmurque humilesque susurros Tollere de templis et aperto vivere voto. Mens bona, fama, fides haec clare et ut audiat hospes; Illa sibi introrsum et sub lingua immurmurat: O si Ebullit patrui praeclarum funus! etc. — Votum Maro fecit amico.* De more huius voti, vide Iuv. sat. XI, vs. 98 sqq. Hac consuetudine usi peculiariter Galli; ut observat Caesar lib. de Bello Gall. VI. Quin et erant qui se ipsos morti offerrent, aut inter se depugnarent, quia mortem morte redimi existimabant. Caeterum se ipsos etiam vovebant aliquando iidem ipsi, qui aegrotabant, sodales Aesculapio. Tum haec vota signabantur in statuis deorum, aliquando in porticibus, aut portis tem-

Cui gravis et fervens hemitritaeus erat;
Si Stygias aeger non iret missus ad undas,
Vt caderet magno victima grata Iovi.
Coeperunt certam medici spondere salutem:
Ne votum solvat, nunc Maro vota facit.

plorum. Vnde *signare votum*, et *incerare genua deorum*, quae pridem magno Turnebo explicata in Adversariis. *Heraldus.*

2. *Hemitritaeus.* Nominata sic a graecis vocibus ἡμι, semi, et τριταῖος, tertianus.

3. *Si Stygias, etc.* Si convalesceret.

6. *Ne votum solvat.* Propter quod haeres institutus fuerat a sene; hoc est, ne surgat a lecto incolumis, ne ab imminentis mortis faucibus ereptus reviviscat: aliis verbis, ut moriatur mox senex, neu haereditatem eius amittat. Porro acumen est quoddam in ἀντιθέσει duarum vocum, scilicet, *Ne solvat votum, Maro vota facit.*

92. — IN MAGVLLAM.

Communis tibi cum viro, Magulla,
Quum sit lectulus, et sit exoletus,
Quare dic mihi non sit et minister?
Suspiras: ratio est, times lagenam.

2. *Sit exoletus.* Hoc est, quum eodem concubino tu aeque quo maritus, atque eumdem uterque ametis.

3. *Quare non sit et minister.* Cur non et communi uterque utamini pocillatore?

4. *Times lagenam.* Times nempe venenatum poculum.

93. — AD PRISCVM.

Saepe rogare soles qualis sim, Prisce, futurus,
Si fiam locuples, simque repente potens.

Fingit se interrogatum a Prisco, qualis futurus fuerit, si dii fortunatum et beatum fecissent: respondet id quidem certo neminem providere: si tamen licet ex vobis divitibus coniectare, leo essem, quia vos tales estis; tenues enim opprimitis et devoratis. Argute et salse. *Rader.*

1. *Qualis.* Hoc est, quibus moribus, quo ingenio, qua agendi et vivendi nova consuetudine.

2. *Locuples .... potens.* Duas res coniunxit, quibus ut plurimum nutant et vertuntur mores, summas opes et summam potestatem.

Quemquam posse putas mores narrare futuros?
Dic mihi, si fias tu leo, qualis eris?

3. *Quemquam, etc.* Nam multa vitia, quae coërcet et supprimit tenuis fortuna, ampla et sublimis manifestabit: *Magistratus indicabit virum.*

4. *Si fias tu leo.* Sensus est: Leo futurus leonis naturam habiturus est, atque ita dives futurus divitis moribus usurus est, nempe superbis; seu tenues et debiliores est oppressurus, et tanquam validissimus animalium leo devoraturus.

94. — DE FABVLLA.

Qua moechum ratione basiaret
Coram coniuge repperit Fabulla.
Parvum basiat usque morionem;
Hunc multis rapit osculis madentem
Moechus protinus, et suis repletum
Ridenti dominae statim remittit.
Quanto morio maior est maritus!

1. *Qua moechum.* Eadem techna osculi in Aristaeneto, l. I, ep. 3.

7. *Quanto morio.* Hoc est: Quanto stolidior est maritus, qui hoc artificium non animadvertat, vel animadvertens patiatur! Sic fere Nostras *Lafontaine*, lib. III, fab. I:

Le plus âne des deux n'est pas celui
qu'on pense.

95. — IN TVCCAM.

Scribebamus epos, coepisti scribere; cessi,
Aemula ne starent carmina nostra tuis.
Transtulit ad tragicos se nostra Thalia cothurnos;
Aptasti longum tu quoque syrma tibi.
Fila lyrae movi Calabris exculta Camoenis;

In aemulum Tuccam, omnia poëtae studia imitantem, quem eleganter monet, ut sibi tantum ea relinquat, quae ipse nolit: superbum esse omnia velle, quum in uno excellere vix possis. *Rader.*

1. *Epos.* Carmen Epicum seu heroicum.

3. *Cothurnos.* Hoc est: Scripsi tragoedias.

4. *Aptasti, etc.* Tu quoque contulisti te ad tragoediam. *Syrma* autem tragicorum vestis est, ut lib. IV, epigramm. 49, vs. 8.

5. *Fila lyrae movi.* Scripsi lyrica. — *Calabris Camoenis.* Notum est ly-

Plectra rapis nobis ambitione nova.
Audemus satiras; Lucilius esse laboras.
Ludo leves elegos; tu quoque ludis idem.
Quid minus esse potest? epigrammata fingere coepi;
Hinc etiam petitur iam mea fama tibi.
Elige, quid nolis; quis enim pudor omnia velle?
Et si quid non vis, Tucca, relinque mihi.

ricorum principem Horatium e Calabris oriundum fuisse. Ed. P.

7. *Lucilius.* Qui primus inter Latinos poëtas satiras scripsit.

8. *Elegos.* Quales sunt Tibullus, Propertius, Ovidius. *Ludere* dicuntur poëtae, quum versus leviores iuvat scribere. Virg. Eclog I, vs 10.

9. *Quid minus.* Quam scribere epigrammata.

96. — AD RVFVM.

Musaei pathicissimos libellos,
Qui certant Sybariticis libellis,
Et tinctas sale pruriente chartas,
Instanti, lege, Rufe: sed puella
Sit tecum tua, ne Thalassionem
Indicas manibus libidinosis,
Et fias sine femina maritus.

1. *Musaei.* Non illius sane qui eleganter satis pro saeculo de Heronis et Leandri amoribus poëmatium concinnavit. — *Pathicissimos libellos.* Mollissimos et nefandi argumenti; tales fuere Elephantidos, poëtriae et meretricis; epigr. 43 supra, 4.

2. *Sybariticis libellis.* Libris abominandae nequitiae, quos scripsit Hemitheon quidam Sybarita, ut testatur Lucianus, πρὸς ἀπαίδευτον· quorum meminit et Ovidius, in lib. Tristium II, Epist. ad Augustum, 417: *Nec qui composuit nuper Sybaritida, fugit.*

3. *Sale.* Quem putavere ad libidinem valde stimulare. Unde salacitas pro impudicitia. Hor. lib. I, sat. II, 45, *caudamque salacem.*

4. *Instanti, lege, Rufe.* Ad hunc Rufum est epigramma 68, lib. VII, et epigr. 51 lib. VIII.

5. *Ne, etc.* Illo scilicet e genere libellorum quos una tantum manu tenere est. — *Thalassionem.* Coniugale illud.

97. — IN ZELOTYPAM.

Quum tibi nota tui sit vita fidesque mariti,
Nec premat ulla tuos sollicitetve toros;
Quid, quasi pellicibus, torqueris inepta ministris,
In quibus et brevis est et fugitiva Venus?
Plus tibi quam domino pueros praestare probabo;
Hi faciunt, ut sis femina sola viro.
Hi dant, quod non vis uxor dare. Do tamen, inquis,
Ne vagus a thalamis coniugis erret amor.
Non eadem res est: Chiam volo, nolo mariscam.
Ne dubites quae sit Chia, marisca tua est.
Scire suos fines matrona et femina debet:
Cede suam pueris; utere parte tua.

2. *Vlla.* Pellex, aut alia matrona.

3. *Ministris.* Pueris quos amat ille, quasi id aemulatio et contumelia esset.

6. *Sola viro.* Vt non utatur alia femina quam te.

9. *Non eadem res est.* Dictum lib. et epigr. modo citatis. De Chia et marisca iam lib. VII, epigr. 25. Hic autem Chiam, quae novit pungere, de pueris dicit, mariscam vero fatuam de feminis.

11. *Scire suos fines matrona et femina debet.* Scire debet intra quos fines contineantur sua officia; nec eos praetergredi licet. Ed. P.

12. *Vtere parte tua.* Qua femina es.

98. — IN BASSVM.

Vxor quum tibi sit puella, qualem
Votis vix petat improbis maritus,
Dives, nobilis, erudita, casta;
Rumpis, Basse, latus, sed in comatis,
Vxoris tibi dote quos parasti:
Et sic ad dominam reversa languet

Bassi uxor in eum invehitur. *Te*, inquit, *pauperem ego grandi dote et praeclaris insuper dotibus emi. Non sum ergo tua, cui possis illudere, detrahendo meam pecuniam in turpes et infidos amores; sed tu es meus, qui te mihi vendideris.* Ed. P.

2. *Improbis.* Maritus qui suis votis non ponat modum: gallice *exigeant.*

4. *Rumpis latus.* Venereo scilicet opere. — *Comatis.* Pueris, amasiis.

Multis mentula millibus redempta;
Sed nec vocibus excitata blandis,
Molli pollice nec rogata surgit.
Sit tandem pudor, aut eamus in ius.
Non est haec tua, Basse: vendidisti.

8. *Vocibus blandis.* « Gannitus et subantis voculas » intelligit, quales ψυχὴ καὶ ζωή, μέλι μου, etc.

9. *Molli.* Blando, ut Ovid. Amor. lib. III, eleg. VII, 74: *Molliter admota sollicitasse manu.*

10. *Sit tandem pudor, etc.* Haec sunt derelictae coniugis verba, qua divortium infideli et invalido minitatur. Quod Iuvenalis expressit sat. IX: *Tabulas quoque ruperat (uxor) et iam Signarat, tota vix hoc ego nocte redemi ..... testis mihi lectulus, etc.* Ed. P.

11. *Vendidisti.* Vxori diviti, nomine dotis quam tibi attulit. Vide supra analysin. Ed. P.

99. — AD BAETIM.

Baetis olivifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis vellera tingis aquis;
Quem Bromius, quem Pallas amat; cui rector aquarum
Albula navigerum per freta pandit iter:
Omnibus laetis vestras Instantius oras
Intret; et hic populis, ut prior, annus eat.

Instantium Rufum Macro successurum in provincia Baetica, excipit carmine. Scilicet, fausta ei precatur, et civibus suis optimum promittit procuratorem. Ed. P.

1. *Baetis olivifera.* Ad Baetim fluvium Hispaniae sunt multae oleae. Quum autem saepe flumina apud Veteres humano habitu repraesententur, Martiali placuit Baetim oliva decorare, qua ditabantur ipsius ripae. Ed. P.

2. *Aurea qui tingit, etc.* Saepius poëta lanas Baeticas praedicavit.

3. *Quem Bromius.* Illic nempe magna est vini atque olei copia. Vnum est illud e sexcentis Bacchi nominibus. Dictum est a graeco βρομός, h. e. fragor; qualis fiebat, verbi causa, inter Bacchanalia. Ed. P. — *Rector aquarum.* Neptunus.

4. *Albula freta*: canum quippe, seu spumosum est mare, maxime ubi se in illud exonerant fluvii.

5. *Instantius.* De quo lib. VIII, epigramm. 73; qui in administratione Hispaniae successurus erat Macro, viro integerrimo, de quo lib. X, ep. 88. — *Vestras oras.* Quid vult sibi τὸ *vestras*, quod de pluribus dicitur, dum Poëta Baetim solum iam allocutus sit? Quis scilicet in mente nunc habet cives suos, Hispanos qui prope Baetim incolunt. Ed. P.

Non ignorat, onus quod sit, succedere Macro.
Qui sua metitur pondera, ferre potest.

7. *Onus quod sit, etc.* Quam difficile sit, quid exspectetur ab illo, qui sancto et integro successerit praesidi, qualem se gessit Macer.

8. *Qui sua metitur pondera, etc.* Qui habita virium suarum ratione, videt quam grave subeat onus, ille ferre poterit.

100. — IN EFFRONTEM.

Os atavi, patris nasum, duo lumina patris,
Et matris gestus dicis habere tuae.
Quum referas priscos, nullamque in corpore partem
Mentiris; frontem, dic mihi, cuius habes?

1. *Os atavi.* Tria haec ultima epigrammata per se loquuntur; et argumentum ipsa suum quam clarissime exponunt.

4. *Habes.* Nullius, nullam. Ea itaque effrons, ut patet ex lemmate.

101. — AD MATTVM.

Qui negat esse domi se, tunc quum lumina pulsas,
Quid dicat, nescis? Dormio, Matte, tibi.

Non mihi liquet huius epigrammatis acumen. Credo tamen tangi seu Mattum, seu eum etiam qui aditum negat. Si Mattum admittis, eum his verbis excipit alter quibus ipse Mattus, uxoris amasios excipiat; si alterum autem, voluerit Martialis eum uti erga inviaentem amicum formula qua, nimis uxorius, utitur erga nobiliorem quemdam. Ed. P.

2. *Dormio, tibi.* Tibi, *non sum, non possum, non licet esse domi.* Forsan respicit ad Galbam qui dormiebat Maecenati, dum ipsius coniugi ille blandiretur; vel ad Ennium respondentem quadam die Scipioni, *se non esse domi.* Sensus prior plus saperet.

102. — AD MILONEM.

Thura, piper, vestes, argentum, pallia, gemmas
Vendere, Milo, soles, cum quibus emptor abit.
Coniugis utilior merx est, quae, vendita saepe,
Vendentem nunquam deserit, aut minuit.

3. *Vendita saepe.* Pretio prostituta.

4. *Vendentem, etc.* Triopeia altera, quam famelicus pater Erisichthon in varias se mutantem figuras saepius vendidit. Ovid. lib. VIII Metamorph. — Caeterum voce hic Noster aut parum apta utitur, aut apta abutitur. Nam quae sui copiam viris non amatis pro pecuniola dat, illa proprie conducitur, non emitur. Ed. P.

M. VAL. MARTIALIS

EPIGRAMMATVM

LIBER XIII.

CVI XENIA INDITVM NOMEN.*

I. — AD LECTOREM.

Ne toga cordylis, ne paenula desit olivis,
Aut inopem metuat sordida blatta famem,
Perdite Niliacas, Musae, mea damna, papyros;
Postulat ecce novos ebria bruma sales.
Non mea magnanimo depugnat tessera talo,

* Xenia dicta, quod τοῖς ξένοις, id est, hospitibus, nec non amicis apponebantur mittebanturve. Haec quum pictores tabellis, tum poëta carminibus imitatus est, infra epigrammate 3, et Vitruv. l. VI, c. 10. — Id vero notandum omnia haec quae pro Xeniis missa in hoc libello continentur, edulia esse, aut res quasdam in Veterum conviviis et utiles et usitatissimas, ut nardum quo vel ungebantur vel coronabantur, ligna quibus coquuntur alimenta, thus ad colendos et invocandos ante epulas deos, etc.

2. *Aut inopem.* Vt habeant tineae et blattae cum quibus rixentur, et quam arrodant escam, chartas. — *Blatta*, quae rodit chartas, genus est vermis.

3. *Perdite.* O Musae, quarum oestro ego percitus, meo cum damno scribo carmina; perdite et has chartas. — *Niliacas papyros.* Quia in Aegypto nascuntur papyri, quas per appositionem vocat sua damna: mali nam versus perdunt bonas chartas. Iuven. Sat. I, vs. 15: *Stulta est clementia, quum tot ubique Vatibus occurras, periturae parcere chartae.*

4. *Ebria bruma.* Saturnalia intellige, quibus genio indulgebant Romani.

5. *Non mea magnanimo.* Calcagninus de Tesseris sic ait: *Duabus tri-*

Senio nec nostrum cum cane quassat ebur.
Haec mihi charta nuces, haec est mihi charta fritillus:
Alea nec damnum, nec facit ista lucrum.

busve tesseris, quatuor autem ad minimum talis contendebatur in acie lusoria. Vnde talis pares non sunt tesserae, sed inferiores; lib. XIV, epigr. 15: *Non sim talorum numero par tessera, dum sit Maior, quam talis, alea saepe mihi.* Haec ratio ad explicandum τὸ *magnanimo* mihi quidem levior videtur, sed meliorem non reperi. Iudicet lector.

6. *Senio.* Dicitur, quum in iactis talis seuarius apparet; *canis* autem, quum unicum senario oppositum punctum apparet. *Ebur nostrum*, ex quo scilicet fiebant tesserae, ut et tali, quos hoc loco intelligi censet idem Calcagninus de Tesseris.

7. *Haec mihi.* Sensus est: Ego, inquit Poëta, Saturnalium tempore, nec tesseris, nec nucibus, nec talis ludo, sed Musis vaco.

8. *Alea ista.* Ludus hic meus epigrammatarius.

2. — IN DETRACTOREM.

Nasutus sis usque licet, sis denique nasus,
Quantum noluerit ferre rogatus Atlas,
Et possis ipsum tu deridere Latinum,
Non potes in nugas dicere plura meas,
Ipse ego quam dixi : quid dentem dente iuvabit
Rodere? carne opus est, si satur esse velis.
Ne perdas operam; qui se mirantur, in illos
Virus habe: nos haec novimus esse nihil.

Epigramma hoc in Zoilum et sciolum, quo monet lectorem Theoninum, uti ne carpat id quod a se iam carptum et abiectum contemptumque sit satis.

1. *Nasutus.* Licet sis maximus derisor; nasus enim irrisionis sedes est.

2. *Quantum noluerit ferre rogatus.* Totus ex irrisione compositus et conflatus, *deos rogabis Totum ut te faciant, Fabulle, nasum*, dixit Catullus, sed sensu alio. — *Atlas.* Hyperbolice. Qui Atlas caelum tamen humeris sustinuisse dicitur, lib. IX, ep. 4, vs. 5.

3. *Latinum* Mimum nempe tunc celebrem.

5. *Ipse ego.* Nam superiori carmine appellavit eas, togas cordylarum, esculenta blattarum, nuces puerorum, et fritillos, etc. — *Quid dentem, etc* Quid limam frustra rodis, dentes tibi erasura vipera? quid carminibus meis reprehensoriis, reprehensor?

6. *Carne opus est.* Hoc est: Si velis explere invidiam, carpe illos poëtas, qui grandis promittunt, et in bicipiti somniasse Parnasso se dicunt.

Nec tamen hoc nimium nihil est, si candidus aure,
  Nec matutina si mihi fronte venis.

9. *Nec tamen.* Hoc est: Tamen hi versus non sunt plane abiiciendi, sed placebunt lectoribus candidis, atque iis qui genio indulgent. — *Matutina fronte.* Hoc est, tristi supercilio: mane enim non pransi homines sunt severi.

3. — AD LECTOREM.

Omnis in hoc gracili Xeniorum turba libello
  Constabit nummis quatuor empta tibi.
Quatuor est nimium: poterit constare duobus,
  Et faciet lucrum bibliopola Tryphon.
Haec licet hospitibus pro munere disticha mittas,
  Si tibi tam rarus, quam mihi, nummus erit.
Addita per titulos sua nomina rebus habebis;
  Praetereas, si quid non facit ad stomachum.

Pretium et argumentum libelli significat: pretium est geminus nummus seu victoriatus; argumentum, Xenia distichis singulis comprehensa.

1. *Xeniorum, etc.* Vide quae notavimus de genere hoc epigrammatum ad inscriptionem libri huius p. 275.

3. Malim *Quatuor? est nimium.* P. De Rooy.

6. *Si tibi tam, etc.* Malum scilicet omnibus fere poëtis familiare.

7. *Per titulos.* Lemmata, seu argumenta intellige uno verbo constantia.

8. *Non facit ad stomachum.* Hoc de suis versibus dicit Poëta; sed alludit ad esculenta, quae in hoc xeniorum libro describuntur.

4. — THVS.

Serus ut aethereae Germanicus imperet aulae,
  Vtque diu terris, da pia thura Iovi.

Quidam hinc initium Xeniorum faciunt, et IV pro primo numerant epigrammate. Poëta usum thuris ostendit, atque monet Deos rogandos esse pro diuturna Caesaris vita.

1. *Serus ut.* « Serus in caelum redeas, Neve te nostris vitiis iniquum Ocyor aura Tollat. » — *Germanicus.* Domitianum hic intelligunt interpretes; unde colligunt, non extremis Martialis annis, sed vivo adhuc Domitiano, scripta esse haec disticha.

2. *Pia thura.* Religioni nempe et Superis destinata sunt.

5. — PIPER.

Cerea quae patulo lucet ficedula lumbo,
Quum tibi forte datur, si sapis, adde piper.

1. *Cerea*. Hoc est, pinguis. Lib. III, epigr. 57: *Inde cereus turtur*. De ficedula infra epigr. 49. — *Lucet*. Avis illa prae pinguedine.

2. *Adde piper*. Insipida quippe est ficedula.

6. — ALICA.

Nos alicam; mulsum poterit tibi mittere dives.
Si tibi noluerit mittere dives, eme.

1. *Alicam*. Vidend. lib. II, epigr. 37. Alica dicitur, inquit Festus, quod alit corpus. Genus est praestantissimi tritici, unde fiebat potio, quae dicebatur alica. Ita Raderus. Videtur non multum differre ab ea potione, quam gallice vocamus *de la bière*.

7. — CONCHIS FABA.

Si spumet rubra conchis tibi pallida testa,
Lautorum coenis saepe negare potes.

1. *Si spumet*. Scilicet, dum coquitur: conchis vero faba est viridis, quae oleo uncta optimi est saporis, et elixa pallescit. — *Rubra testa*. Hoc est, in vase fictili rubro.

2. *Lautorum coenis*. Te divite invitante ad coenam, nega; nam fabam bene conditam comedens domi laute coenabis.

8. — FAR.

Imbue plebeias Clusinis pultibus ollas,
Vt satur in vacuis dulcia musta bibas.

1. *Imbue plebeias*. Hoc disticho praecipit Martialis, ut in ollas, quae Clusini farris pulte imbutae fuerint, mustum mittatur, quod eo tamquam condiatur, et ad bonitatem proficiat, commendeturque. Clusium vero maritimum Tusciae oppidum est, hodie Chiusi. — *Plebeias* vero *ollas* ob id praecipue nuncupat, quod e terra fictili testae, amphorae, cadi et omnia fere formarentur quibus vinum condebant Veteres.

2. *Vt satur*, etc. Gratiora enim bibebantur apud Veteres e vasis pulte imbutis vina. Item Theophrast lib. de odoribus scribit, demissis in dolia farris offis, vinum domari, mollescere et cum saporis gratia mitescere.

9. — LENS.

Accipe Niliacam, Pelusia munera, lentem;
Vilior est alica, carior illa faba.

1. *Niliacam.* In ea nempe Aegypti parte, quae Aegyptus Inferior, sive Delta, ob literae illius similitudinem vulgo dicitur, circa oppidum Pelusium nascitur lens optima. Virgilius Georg. I, 228: *Nec Pelusiacae curam aspernabere lentis*; et Plin. lib. XVIII, cap. 12.

10. — SIMILA EX TRITICO.

Nec poteris similae dotes numerare nec usus,
Pistori toties quum sit et apta coquo.

1. *Similae.* Quae est flos farinae. Exstat adhuc apud nos haud absona vox, *semoule.* — *Dotes nec usus.* Munera et usus, farina enim similaginea variis pistorum usibus servit.

2. *Pistori toties.* Quum variis et placentarum et cibariorum generibus condiendis inserviat.

11. — HORDEVM.

Mulio, quod non des tacituris, accipe, mulis.
Haec ego cauponi, non tibi, dona dedi.

1. *Tacituris.* Hoc est, non dicturis defraudatos esse se hordeo.

2. *Haec ego cauponi, etc.* Quod tu veodes cauponi, pabulum equis futurum, non panem tibi. Dabat domimus mulioni hordeum in pastum mularum. Ille eas foeno saturare contentus, gnarusque mutas pecudes furtum non prodituras, mavult id vendere cauponi, et eius pretio aut mercedulam augere, aut curare cutem. Loquitur ergo, tanquam minime dubitans de fraude servili: Accipe quidem hordeum, etsi nimis verear ut id mulis apponas: itaque quia fraudator es, et foeno mulas pascis, videor hordeum tibi quum maxime dans, non tibi, furcifer, sed cauponi dare. *Gronovius.*

12. — FRVMENTVM TRITICEVM.

Tercentum Libyci modio de messe coloni

Frumentum triticeum. Optimum frumenti genus triticum habebatur. Cuius de natura variisque generibus vide Ioann. Bruyerinum de re cibaria, lib. V, cap. 1 et 2. Galenus πολυχρηστότατον καὶ πολυχρηστότατον appellat.

1. *Tercentum.* Numerus certus pro incerto, quod more poëtarum pro magna copia ponitur. Sic quoque sex-

Sume, suburbanus ne moriatur ager.

centi, apud Graecos *μύριοι*, et gallica lingua *vingt*, *cent*, *mille*. — Numerum incertum vulgo quidem hic innui credunt, sed forsan non bene. Vide infra. — *Modios*. Modius, quo triticum, hordeum et alia id genus Romani metiebantur, duo et triginta heminas continebat, vel, quod idem est, sexdecim sextarios; et si Gallicis mensuris conferatur, idem erit ac 432 *pouces cubes* 296, vel 8 *litres* 82. Quinque vero modios soliti erant consumere, ut iugerum unum consererent. Inde non immerito coniicias hic agi de agro sexaginta iugerorum, itaque non pro incerto numero *tercentum*. — *Libyci*. Libye nempe graecum est nomen quo Africa designabatur, sed non eo tamen sensu, quo nos vulgo intelligimus, sed quo Romani Africam dioecesim: Africa vero dioecesis eam tantum Africae partem continebat, quae a Cyrenaica Pentapoli et Syrtica regione ad Atlanticum mare protendebatur. Immo tibi notandum est videri antiquos Asiae, non Africae adiunxisse Aegyptum; et de hoc vide Sallustii bellum Iugurthin. cap. 16. Africa vero iis temporibus, sub imperio Romano et administrandarum rerum peritissimis viris, tritici feracissima fuit, et post Aegyptum ubertate prima habebatur. Horat. lib. I, od. 1: *Quidquid de Libycis verritur areis*. Item Senec. in Thyest. *Non quidquid Libycis terit Fervens area messibus.* Et ipse Martialis, lib. VI, epigramm. 86, vs 5: *Possideat Libycas messes, Hebrumque Tagumque*. Et ob id Ceres Libyssa nominata, ut refert Festus.

2. *Suburbanus ne moriatur ager*. Hoc est, triticum ipse seras in agro suburbano, ne sterilescat: vel quo slatur Vrbs alioqui peritura ob agri suburbani sterilitatem, seu continua cultura effoeti.

13. — BETAE.

Vt sapiant fatuae fabrorum prandia betae,

In his quas praecedunt et libelli initium efficiunt epigrammatibus, enumeravit poëta noster, plerasque fruges, farinas, frumenta et quae nos gallice *céréales* appellamus, cum aromatibus. Transit nunc ad legumina, et circa haec per novem epigrammata ludit. Ed. P.

1. *Vt sapiant*. Hoc est, ut saporis aliquid habeant, et edentis gulam eviuscule saltem stimulent. Insipidae quippe sunt betae, nisi bene condiantur. — Et quidem ita insipidae, ut usitatum Graecis fuerit dicere pro *stulta*, *fatua*, *vana effutire*, *βητίζειν*. Diogenes Cynicus solebat dicere: *Canis non vescitur beta*. Quo dicterio non vilem et ipsis canibus spretam betam indicabat, sed nullius saporis, quasi dixisset: *Cynicum* (eadem nempe voce canis et Cynicus latine, graece Κυνικὸς φιλόσοφος et κύων) *non decent quae sine acumine et vi edulia sunt*. Id autem sumptum a maligno viro ἀλληγορικῶς, ut stulta et vana respuenda discipulis suis innueret. Caeterum de beta vel alba vel sanguinea vide disserentem Ioannem Bruyerinum lib. VIII, cap. 8. — *Fabrorum prandia*. Fabros hic nominat ut artificum mi-

O quam saepe petet vina piperque coquus!

serrimos, at pauperrimum quemque ex infima plebe. Vnde sensus hic est, cibus vilior et levior. Namque beta hortensium levissima est, τεύτλιον, τεῦτλον, et ditiorum mensis, si sine condimento, minus apposita quam plebeiorum hominum et tenuiorum. Vnde Persius Sat. III, vs. 113 et 114: *tenero latet ulcus in ore Putre, quod haud deceat plebe a radere beta* Et Symposius Aenigm. IV, iocatus in nomen βῆτα leguminis simul et literae commune: *Tota vocor graece, sed non sum tota latine: Pauperibus semper proponor namque tabernis.*

2. *Saepe petit vina.* Affectat vinum beta, et betam vinum; odore enim betae, foliis in dolium demersis, vinum restituitur, ut tradit Plinius in lib. XIX, cap. 8. *Rader.*

14. — LACTVCA.

Claudere quae coenas lactuca solebat avorum,
Dic mihi, cur nostras inchoat illa dapes?

1. *Lactuca.* Quam sic dictam vulgo aiunt, quod abundantia lactis exuberet.

2. *Dic mihi.* Causam attulit ipse lib. XI, epigr. 52: *Prima tibi dabitur ventri lactuca movendo.*—*Claudere.* Namque constat satis in fine coenae lactucam apponi solitam apud Veteres, quoniam insita frigiditate ebrietatem retundit. Et hinc in Mor. Virg., sive quicumque lepidi opusculi auctor exstitit: *Grataque nobilium requies lactuca laborum.* Item Athenaeus, lib. II: Οἱ μὲν ἀρχαῖοι, κ. τ. λ. Domitiani vero temporibus videtur potissimum usus ille de lactuca inverti coepisse.

15. — LIGNA ACAPNA.

Si vicina tibi Nomento rura coluntur,
Ad villam moneo, rustice, ligna feras.

1. *Ligna acapna.* Hoc est, quae incensa non fumant. Nomentum autem oppidum erat Latinorum, ad decimum ab Vrbe lapidem situm, ubi multae paludes; ubi nota ligna non erant sicca, proindeque non igni, sed fumo excitando idonea: atque ita ferenda illuc ligna acapna monet Poëta, nativis longe meliora.

16. — RAPA.

Haec tibi brumali gaudentia frigore rapa
Quae damus, in coelo Romulus esse solet.

1. *Gaudentia frigore.* Quo nempe dulciora fiunt et maiora.

2. *In caelo Romulus.* Tam dulcia nimirum, ut vel in caelo iis Romu-

lus liberis vescatur. — Sic plurimi. Sed melius de paupertate illius saeculi intelligas, quo Romulus vixerat, quasi nimirum in caelo iisdem cibis victitet, quibus in terra alebatur. Namque credidisse videntur Prisci non tantum nectare et ambrosia deos pasci, verum etiam vilibus quibusdam cibis, ut Romulum rapis, etc. Ed. P.

17. — COLICVLI.

Ne tibi pallentes moveant fastidia caules,
Nitrata viridis brassica fiat aqua.

Brassicae vim, laudes, medicinam Cato de Re Rustica cap. 156 commemorat. Caules (unde coliculi, pro cauliculi) suot brassicae pars interior.

2. *Nitrata*, *etc.* Nitro enim olera viridiora fiunt.

18. — PORRI SECTIVI.

Fila Tarentini graviter redolentia porri
Edisti quoties, oscula clausa dato.

1. *Fila.* Porrum sectivum intellige, qui optimus Tarenti nascitur, et in herbulas fruticescit, in tenuia quaedam stamina crescens veluti fila. Eo autem comeso male olet os; unde dicit Poëta, non esse aperiendum ad danda oscula. Voci utilem hunc autumabant Veteres; unde statis mensium omnium diebus porrum comedebat Nero. Plinius lib. XIX, cap. 6. — *Tarentini.* Quod optimum nascitur agro Tarentino.

2. *Clausa dato.* Ea nimirum quae *muta.... maligna,... clusis aditum negant labellis.* Lib. XII, epigr. 55. Vid. not. praeced.

19. — PORRI CAPITATI.

Mittit praecipuos nemoralis Aricia porros;
In niveo virides stipite cerne comas.

1. *Aricia.* Latii civitas, in qua porrus capitatus optimus, ut Tarenti sectivus nascebatur. Dicitur *nemoralis* a nemore vicino, de quo quamquam et celeberrimo ob Dianae Aricinae cultum et sacerdotem, neque hactenus in his commentariis enarrati, nihil dicemus. Sed vide Ovidium Fast. VI, 59.

2. *Virides comas.* Caput porri viride intellige, cuius stipes albus est, ubi maturuit. Vide Columellam de Re Rustica, lib. XI, cap. 3.

20. — NAPI.

Nos Amiternus ager felicibus educat hortis;
Nursinas poteris parcius esse pilas.

1. *Hos* Ald. Iunt. Colin. — *Napi*. Qui parum differunt a rapis. Colum. lib. II, cap. 10. — *Amiternus*, *etc*. Amiternum urbs Italiae, Aquileiae vicina. In qua palude (inquit Sidonius Apollinaris lib. I, epist. 8) muri cadunt, aquae stant: turres fluunt, etc. Mare autem Adriaticum Ravennae paludibus immiscetur. Vitruv. lib. I, cap. 4.

2. *Nursinas pilas*. Rapa rotunda interpretare: Nursia vero civitas est Sabinorum, hodie *Norsa*. — *Parcius esse*. Vel quod Nursinae illae pilae napis Amiternis cariores sint, vel quod iniucundiores.

21. — ASPARAGI.

Mollis in aequorea quae crevit spina Ravenna,
Non erit incultis gratior asparagis.

1. *Mollis spina*. Plinius lib. XXI, cap. 15: *In totum spina est asparagus*. Sensus est epigrammatis: Asparagi sylvestres et inculti non cedunt Ravennatibus asparagis cultis et satis; de quibus Plin. lib. XIX, c. 4: *Nullum gratius his solum, quam Ravennatium hortorum*; mox c. 8: *Trium librarum asparagum Ravenna aliquando produxit*.

22. — VVA DVRACINA.

Non habilis cyathis, et inutilis uva Lyaeo;
Sed non potanti me, tibi nectar ero.

Vva duracina. Plinius lib. XVI, cap. 1: *Vva non alicubi gratiar callo, ut inde possit invenisse nomen duracini*. Legunt alii *duraciuae*. Colum. de Re Rustica lib. III, cap. 1, appellat uvas duri acini: acinus autem vel acinum est granum, quod vocamus gallice *pique-poule*.

1. *Non habilis*. Quia ex ea vinum exprimi nequit.

2. *Non potanti*. Sed comedenti tibi nectar ero.

23. — CHIA FICVS.

Chia seni similis Baccho quem Setia misit,
Ipsa merum secum portat, et ipsa salem.

2. *Ipsa merum*. Hoc est, Sapit merum et salem.

24. — CYDONIA.

Si tibi Cecropio saturata Cydonia melle
  Ponentur, dicas haec melimela licet.

1. *Saturata.* Hoc est, melle incocta, ut docet fuse ex Catone Plinius lib. X, cap. 17. Dicta sunt *Cydonia* a Cydone urbe Cretae. Mollissima autem lana tecta Romam advehebantur, ne per viam laederentur aut putrescerent. Ipse namque Martialis lib. X, epigramm. 42, vs. 1, 2 et 3: *Tam dulcia est lanugo tibi, tam mollis, ut illam Halitus et soles, et levis aura terat. Celantur simili ventura Cydonia lana.*

2. *Melimela.* Quasi nempe diceretur μέλι καὶ μῆλον, hoc est latine, mel et pomum, aut si uno verbo rem efferas, mellitum pomum. — Mihi videtur, non eiusdem generis melimela fuisse et Cydonia, et idcirco lusisse circa verba Martialem. Nimirum vi sua quadam naturali et sponte melimela sapiunt, sed coquuntur in melle Cydonia. Tunc autem finge tibi aliquem haec alii vel apponentem, vel porrigentem, dicere, En accipito melimela; respondebit alter, Melimela, erras! Cydonia sunt. — Non erro; Cydonia sunt mella tincta, Cydonia poma mellita, ergo μελίμηλα.

25. — NVCES PINEAE.

Poma sumus Cybeles: procul hinc discede, viator,
  Ne cadat in miserum nostra ruina caput.

Nuces pineae. Sic nempe appellabantur pini arboris fructus, qui alio nomine coni ob formam et strobili passim nominantur. Nos vocamus *pommes de pin.*

1. *Cybeles.* Cui nempe sacra erant propter Atyn ab ea adamatum et in pinum conversum.

2. *Ne cadat.* Hoc est: Ne cadamus in tuum caput. Iocus est poëtae, qui poma ipsa loquentia inducit. Nam nec tanti sunt voluminis ut cadentia vulnerent viatorem; et Theocritus, Idyll. V, id ipsum ut gratum commendat.

26. — SORBA.

Sorba sumus, molles nimium durantia ventres;

1. *Sorba.* Gallice *des cormes.* — *Molles durantia ventres.* Hoc est, stomachum adstringentia, et lubricam sistentia alvum. Idem aiunt Dioscorides, lib. I, cap. 173, et Plinius lib. XVIII, cap. 7. Vid. praeterea idem Plin. lib. XVI, cap. 21, ubi quatuor sorborum genera distinguit, et Theophrastus lib. III, cap. 12.

Aptius haec puero, quam tibi, poma dabis.

2. *Aptius haec puero.* Saepe enim alvi profluvio laborant pueri. Forte subest aliquid nequius, propter illud Gildae in Querolo: *Nam si insuper nuces et sorba dederis, totum pupillum ceperis.*

27. — SPATHALION CARYOTARVM.*

Aurea porrigitur Iani caryota Kalendis;
Sed tamen hoc munus pauperis esse solet.

* Termes ab arbore palma decerptus. Diosc. lib. I, cap. 123. Salmasium censet legendum esse *spalathion* vel *palathion*; παλάθη enim ficuum dicebatur globus vel massa. In massam conditae similiter afferebantur caryotae. Hesychius: παλάθη, ἡ τῶν σύκων ἐπάλληλος θέσις. Inde σπαλάθιον et σπάλάθιον. Cottana etiam ac pruna in massas sic componebantur. Ad verbum, *globus prunorum* est παλάθη. *Salmas.*

1 *Iani.* Kalendis Ianuariis, mittebantur a pauperibus palmulae inauratae, vel crusta illitae, ut placet Ios. Scalig. in Tibull. lib. I. Vid. Martial. lib. VIII, epigr. 33, vs. 11. — *Caryota Kalendis.* Palmularum fructus ita dicti, quod capiti graves sunt.

2. Aliquid procul dubio subaudiendum est. Ego crediderim libentius voluisse poëtam per hunc versiculum monstrare, quam exiguum munusculum sit, sic nempe λεπταλογῶν: Aurea est caryota et tamen porrigit cliens inops, parva ergo est; vel si Raderi sententia magis delecteris, eam hunc sic explicare scito, ut ad semetipsum revocet illud Noster: Aureum munus tibi porrigo, aureum munus pauper; aureum tu dives mihi porrigito, sed maximum, sed eximium, sed te divite et divitiis tuis dignum.

28. — COCTANA.

Haec tibi quae torta venerunt condita meta,
Si maiora forent coctana, ficus erant.

1. *Torta meta.* Hoc est, e tortis iuncis texta sporta, vel testa turbinata in metae formam, ut lib. I, epigr. 44, 7, quam lib. V, ep. 18, 3, dixit acutam testam. Ita Farnabius. Legunt alii, *torta mentha*, hoc est, inquit Domitius, coctana coronata mentha torta, ut recentia servarentur. Videat lector.

29. — PRVNA DAMASCENA.

Pruna peregrinae carie rugosa senectae
Sume: solent duri solvere ventris onus.

1. *Peregrinae senectae, etc.* Nempe pruna allata e meridionali Syria, cuius Damascus est civitas nobilitate, industria, opibus principumque domicilio ante conditam Antiochiam celeberrima.

30. — CASEVS LVNENSIS.

Caseus Etruscae signatus imagine Lunae
Praestabit pueris prandia mille tuis.

1. *Imagine*. Etruriam inter et Liguriam *Lunae portus*, hodie *Porto Venere*. Oppidum maritimum erat, unde Romam mittebantur casei tantae magnitudiols, ut unus multis praodiis sufficeret.

31. — CASEVS VESTINVS.

Si sine carne voles ientacula sumere frugi,
Haec tibi Vestino de grege massa venit.

2. *Haec massa*. Hoc est, hic caseus, nempe e lacte in massam coagulato, de quo Plinius lib. XI, cap. XLII. Vestini vero Italiae orientalis sunt populi ad mare Adriaticum habitantes, circa Matrinum fluvium. Alii sunt in Campania ad inferum, h. e. Tyrrhenum mare.

32. — CASEVS VELABRENSIS.

Non quemcumque focum, nec fumum caseus omnem,
Sed Velabrensem qui bibit, ille sapit.

1. *Fumum*. « Fumus imbibitus auget gratiam casei, qualis in ipsa Vrbe conficitur cunctis praeferendus » Plin. lib. XI, cap. 42. Caeterum *fumum bibit* dictum Nostro est ad Horatii imitationem, qui lib. III, od. VIII, vs. 9: *Hic dies, anno redeunte, festus Corticem adstrictum pice dimovebit Amphorae fumum bibere institutae Consule Tullo*.

2. *Velabrensem*. Velabrum locus fuit Romae in regione secunda, prope Aventinum. Et dictum fuit quod, quum locus esset paludosus, volentes viatores transire in Aventinum, ferrentur cymbula et solverent stipem nautis, quae pecunia tunc *velatura* appellabatur, unde corrupta vocis terminatione Velabrum. Volunt alii derivari Velabrum a vehendo, minus quidem bene; nobis tamen suffragantes, quum Aventinum et olim paludosum fuisse et ratibus transvehi solitum fateantur. Porro in Velabro multae erant *casearia*e, seu tabernae, ubi veteres caseos reponebant, et fumos bibere instituebant: recens enim ille caseus fistulosus erat, et facile hauriebat fumum; et quos sic caseos infumabant, cunctis praeferendi habebantur. Vid. sup not. 1. — *Sapit*. Nulla sequente voce adiectitia, nullo adverbio, pro boni, eximii, *delicati* saporis esse, vel simpliciter saporem habere. Parum enim discrepantiae est, inter illud quod insipidum et id quod male sapit. Et sic gallice dicimus de fructibus, carne et omnis modi eduliis, *avoir du goût*, quod in bonam partem, invalescente usu, fere semper accipitur. Sic e contrario in malam partem dicitur *olere*, et gallica lingua *sentir*. Ed. P.

33. — CASEI TREBVLANI.

Trebula nos genuit; commendat gratia duplex,
Sive levi flamma, sive domamur aqua.

1. *Trebula nos genuit.* Vicus in Sabinis de quo iam nos ad lib. V, ep. 71, vs. 1. Hinc casei Romam afferebantur, qui grati erant saporis, sive tosti, sive aqua macerati. — *Commendat gratia duplex.* Vsus duplex nobis esse potest, et duobus modis cum suavitate in cibum paramur.

2. *Sive levi flamma.* Sive torremur. *Sive domamur aqua.* Sive descobinati maceramur iure.

34. — BVLBI.

Quum sit anus coniux, et sint tibi mortua membra,
Nil aliud bulbis quam satur esse potes.

Bulbi, qui graece βόλβοι, gallice *oignons*, et *ail.* Ed. P.

2. *Bulbis.* Romani bulbum vocant allium agreste, alii marinum. Genus est cepae non absimile ascaloniae. Venerem maxime excitare credebatur; itaque ex his cum nucleis pineis, eruca, pipere, in nuptiali coena sponso ferculum parari solitum. Alex. ab Alexandr. lib. II, cap. v. Citat Athenaeus lib. II, cap. 23, adagium quod ad hoc pertinet: Οὐδέν σ' ὀνήσει βολβός, ἂν μὴ νεῦρ' ἔχῃς. Quem iambicum sic Iambico reddas: Nil te iuvabit cepe, si nervis cares.

35. — LVCANICA.

Filia Picenae venio Lucanica porcae;
Pultibus hinc niveis grata corona datur.

1. *Filia Picenae, etc.* Farcimen e concisis carnibus porcae in agro Picentino natae.

2. *Pultibus, etc.* Oras patinae habentis pultem ex tritico candidam ergo et niveam ut triticum, cingit. Sic et hodie ad brassicam apponuntur.

36. — OLIVAE.

Haec, quae Picenis venit subducta trapetis,
Inchoat, atque eadem finit oliva dapes.

Olivae nomen est commune et arbori qua baccae feruntur, et ipsis baccis, quae proprio magis nomine colymbades dictitantur.

1. *Subducta.* Hoc est, oliva integra, ex qua scilicet oleum non est expressum.

2. *Inchoat.* Vt cibi appetentiam incitet. Sic et apud nos hodie. — *Finit.* Vt fastidium arceat.

37. — MALA CITREA.

Aut Corcyraei sunt haec de frondibus horti,
Aut haec Massyli poma draconis erant.

1. *Corcyraei, etc.* Ex horto Alcinoi regis Phaeacum in Corcyra, quae insula fuit in Adriatico mari Epirum inter et Calabriam sita; hodie *Corfou.* Nil hic autem Alcinoi hortis notius quos Homerus, Odyss. lib. VII, ut fuse, ita eleganter descripsit iis versibus quorum initium: Εκτοσθεν δ' αὐλῆς μέγας ὄρχατος, κ. τ. λ.
2. *Aut haec Massyli, etc.* Aut Hesperidum mala. Lib. X, epigr. 94, vs. 1. Haud abest multum a Martiale Aquinas, Sat. V, vs. 150, 151 et 152: *Poma... quorum solo pascaris odore, Qualia perpetuus Phaeacum autumnus habebat, credere quae possis surrepta sororibus Afris.* Neque alia credintur fuisse aurea illa poma, quam haec aurantia, citrea, medica. Athenaeus lib. III, cap. 4, 7 et 43.

38. — COLOSTRVM.

Surripuit pastor quae nondum stantibus haedis,
De primo matrum lacte colostra damus.

Colostrum. Vocatur prima a partu spongiosa densitas lactis, quae maxime prodest stomacho.

1. *Nondum stantibus.* Hoc est, antequam matris uberibus ora admovissent haedi.

39. — HAEDI.

Lascivum pecus, et viridi non utile Baccho,
Det poenas: nocuit iam tener ille Deo.

1. *Lascivum pecus.* Haedus, qui victima est Baccho sacra, quod soleat corrodere vites.

40. — OVA.

Candida si croceos circumfluit unda vitellos,
Hesperius scombri temperet ova liquor.

1. *Candida.* Ova recentia undam albam, seu liquorem lacteum habent, quem cum scombrorum garo commiscendum esse docet Poëta. — *Croceos.* Quod in aqua sulphureum induit colorem ovi recentis vitellus, ut Plinius tradit. Dicitur *Hesperius liquor*, hoc est, Hispanus, quia ex Hispania Romae mittebantur scombri, de quibus supra. De garo iam passim diximus, et copiose infra agetur huius lib. epigr. 102.

41. — PORCELLVS LACTENS.

Lacte mero pastum pigrae mihi matris alumnum
Ponat, et Aetolo de sue dives edat.

1. *Lacte mero, etc.* Malo edere lactentem porcellum, quam aprum: ille mihi sapit, non invideo lautis aprum. Lactens autem porcellus (non lacteus, ut Domitius) est *modo raptus ab ubere matris*, qui nil aliud gustavit quam lac de porca matre. Sic lactentes pueri, infantes. Sic tenerrimus et lacte matris solo hactenus pastus onager, lalisio; infra, epigr. 97. — *Pigrae matris.* Periphrasis effoetae porcae.

2. *Et Aetolo, etc.* Et diviti apponatur pro more lautorum aper, vel Arcadici vel Aetoli illius aemulus.

42. — APYRINA ET TVBERES.

Non tibi de Libycis tuberes, et apyrina ramis,
De Nomentanis sed damus arboribus.

1. *De Lybicis tuberes, etc.* In Africa primum nata, sed translata et alibi postea sata poma, quibus, quod iis liguosus abesset nucleus, nomen ἀπύρηνον inditum fuit ex α privativo, et πυρήν, *nucleus.* Plin. lib. XIII, cap. 29, et lib. XV, cap. 14: *Aeque peregrina sunt zizipha et tuberes, quae et ipsa non pridem venere in Italiam. Haec ex Africa, illa ex Syria Sext. Papinius, quem consulem vidimus, primus utraque attulit, D. Augusti novissimis temporibus*, et quae sequuntur. — Malorum granatorum genera duo: alteri nucleus est lignosus: alteri aut nullus, aut certe minimus; ob id *apyrenum* vocatur. *Brod.*

2. *De Nomentanis, etc.* Nata in villa mea in agro Nomentano, qui ad decimum ab Vrbe lapidem.

43. — IDEM.

Lecta suburbanis mittuntur apyrina ramis,
Et vernae tuberes: quid tibi cum Libycis?

De iisdem fructibus idem dicit, ac in praecedenti epigrammate: nasci nempe tam exquisiti saporis in suburbanis Italiae agris apyrina et tuberes quam in Libya; inutile ergo Libyam ad haec habenda et edenda, magna cura, sumptibus magnis explorare.

2. *Vernae tuberes.* Hoc est, nati domi aut in vicinis agris; nam verna ille appellabatur servorum qui in domo natus erat, non emptus aut quovis alio modo paratus: *Verna* autem supplend. ante *apyrina.* Hic autem sensus exoritur: Quum sint ii optimi, quid petis peregrinos tuberes? Quorum meminit Suetonius in Domitiano, cap. 16.

44. — SVMEN.

Esse putes nondum sumen; sic ubere largo
Effluit, et vivo lacte papilla tumet.

1. *Sumen.* Farcimen nempe quod fiebat ex mammis suillis post primum partum resectis, antequam illis os admovisset foetus: tanta autem lactis copia redundabant papillae in isto sumine, ut non crederes hoc esse farcimen e papillis suis a partu caesae resectis, sed sui adhaerere adhuc, in sue etiamdum vivere papillae viderentur. Scriverius pro *nondum sumen* vult scribi *nudum sumen*. Nam alias, inquit, cum muria thynnive liquamine aut garo apponebatur. — *Esse* autem hic est non verb. substantiv., sed *edere*. Haud scio quam bene.

45. — PVLLI GALLINACEI.

Si Libycae nobis volucres, et Phasides essent,
Acciperes: at nunc accipe cortis aves.

1. *Libycae nobis volucres.* Id est, si mihi copia esset peregrinarum avium, illas mitterem; quae quum desint, boni consule domesticas. — *Libycae.* Numidicas gallinas dicit. — *Phasides essent.* Qui et Phasiani: infra, epigr. 72.

46. — PERSICA, NVCIPERSICA.

Vilia maternis fueramus praecoqua ramis;
Nunc in adoptivis Persica cara sumus.

Persica. Quippe quae ex Perside allata, gallice *pêches*: *nucipersica* vero illa dicuntur, quod a nucleo difficulter solvantur.

1. *Praecoqua.* Vox parum usitata ante Martialem, nec tamen nulli usurpata. Columell. lib. XII, cap. 31: *Vvas praecoquas quam maturissimas legit*: Senec. Thebaid. Act. I: *Lethum praecoqui fati tulit.*

2. *Nunc in adoptivis, etc.* An quia in nativa stirpe vilia; pruno insita fiunt nobilia? ut habet Pallad. lib. IV de Inst. An quia in sua Perside noxia et venenosa; sed translata, mutatoque coelo et solo dulcia fiunt et salubria? ex opinione Columellae.

47. — PANES PICENTINI.

Picentina Ceres niveo sic nectare crescit,
Vt levis accepta spongia turget aqua.

1. *Picentina Ceres.* Hoc est, panem Picentinum aridum ex alicae seu tritici optimi macerati materia factum; qui sic durus erat, ut non nisi lacte

madefactus comedi posset Plinius lib. XVIII, cap. 11. Panes autem ii Picentini videntur buccellati esse Amiano. Athenaeus, lib. III, vocat panem capyrium, hoc est, aridum, friabilem, biulcum.

48. — BOLETI.

Argentum atque aurum facile est, laenamque togamque
Mittere: boletos mittere difficile est.

2. *Boletos mittere.* Fungorum nempe genus nobilissimum et delicatissimum, lib. I, epigr. 21, vs 2 Hanc autem vocem aiunt a graeco βῶλος derivari quod ea lingua, glebam et rubricam pictoris sonat, quia nempe dehiscentes boleti tubent forinsecus, interius luteo colore. — *Difficile est.* Ipsi malunt edere, quam amicis mittere. Vel quia rarissimi sunt, et ipso auro pretiosiores.

49. — FICEDVLA.

Quum me ficus alat, quum pascar dulcibus uvis;
Cur potius nomen non dedit uva mihi?

Ficedula avicula est lusciniae simillima, tum colore, tum magnitudine, Graecis dicta συκαλίς, Latinis ficedula, quod ficorum maturentium tempore pinguis fiat et capiatur. Gallice vocamus *becfigue*. Eas autem Romani in epulis delicatiores valde appetebant; et refert Suetonius donata quadam die a Tiberio Caesare Asellio Sabino HS. ducenta (V. Tab. num. Tom. I fin), ob institutum ab eo in quodam dialogo certamen inter boletos, ficedulas, ostrea et turdos. Turdos autem, boletos et ostrea in deliciis apud Romanos fuisse nullus ignorat qui vel Petronii, vel Iuvenalis, vel Martialis nostri pauca delibavit; et si quis ignoret, adeat huius lib. epigr. 48, 51, 82. Ed. P.

1. *Quum me ficus alat, quum, etc.* Aristoteles tamen ficedulas docet vermiculis ali. Verum id quidem, nec vetat tamen, quin autumni tempore et ficus et uvas libentissime edant. Varro de lingua latina ad vocem *ficedulam*: « ficuum, inquit, esu pinguis fit. » Athenaeus, Deipnosophistarum lib. II, de συκαλίσιν (quod supra vidimus idem sonare cum ficedulis) idem testatur. Idem Eusthatius. Et hinc forsan illud proverbium Graecorum: Σῦκα φίλ' ὀρνίθεσσι· φυτεύειν δ' οὐκ ἐθέλουσιν, hoc est, Gratae avibus ficus sunt, sed plantare recusant.

2. *Cur potius nomen non dedit uva mihi?* Hoc est, cur non potius dicor uvedula quam ficedula? Vvedula enim ab *uva* et *edere* eodem modo derivetur quo a *ficu* et *edere* ficedula, eamdem nempe terminationem literarum finalium loco accipiens. Hic Raderus interroganti Martiali respondere tentans: An quia serius cognitum est ficedulam uva vesci, et prius fico? Quod ingeniosum; at ubi legit Raderus, quamve ob caussam conficit, cognitum serius uva ficedulam vesci? Notat mox idem interpres Graecos nomen huic avi ab uva etiam dedisse, si modo ἀμπελίδες (sic aves quaedam ab ἄμπελος, *vitis*) eaedem sunt cum συκαλίσιν.

50. — TVBERA.

Rumpimus altricem tenero quae vertice terram
Tubera, boletis poma secunda sumus.

1. *Rumpimus*, *etc*. Foris quippe prodeunt tubera, ubi terra mollior est.

2. *Tubera*. « Tubera » inquit Isidorus de Re rustica lib. XVI « tumor terrae prodit; eaque caussa illis nomen dedit.» Hoc falsum esse ex Plinio, Dioscoride et Galeno disces, qui tubera radicibus ademerunt. Namque Plinius, in rerum naturalium historia lib. XIX, cap. 2: *Tubera vocantur haec undique terra circum data, nullisque fibris nixa aut saltem capillamentis, nec utique extuberante loco in quo gignuntur, aut rimam agente, nec ipsa terrae cohaerent. Cortice etiam includuntur, ut plane nec terram esse possim dicere, neque aliud quam terrae callum. Siccis haec fere et sabulosis fruticosisque nascuntur. Excedunt saepe magnitudinem cotonei, etiam librali pondere. Duo eorum genera: arenosa et dentibus inimica; altera sincera. Distinguuntur et colore rufo, nigroque et intus candido. Laudatissima quae Africae crescunt*, etc. Mox eadem describit: *De tuberibus*, inquit, *haec traduntur peculiariter: quum fuerint imbres autumnales ac touitrua crebra, tunc nasci et maxime e tonitribus, nec ultra annum durare; tenerrima autem verna esse, Asiae nobilissima, circa Lampsacum et Alopeconnesum* De iisdem idem fere Dioscorides lib II, cap. 139. *Poma secunda*. Poma haec vocat improprie; sed nil refert. Non ergo boletis anteponebantur apud Veteres tubera: res mira sane, quum optime hodiernis gulis cum Romanis helluonibus conveniat circa omnia, apros, verbi gratia, Phasianos, rhombos, anserum anatumque iecinora, etc. Vnam tamen e primariis sedibus obtinuere, teste vel Iuvenale sat. V, vs. 116 sqq. *post hunc (aprum) tradentur tubera, si ver Tunc erit, et facient optata tonitrua coenas Maiores. Tibi habe frumentum, Alledius inquit, O Libye! disiunge boves, dum tubera mittas*. Eo P.

51. — TVRDORVM CORONA.

Texta rosis fortasse tibi, vel divite nardo;

Turdorum corona. Pro hoc titulo, *Turdorum decuria* legitur in veteribus codicibus, ut ait Turnebus lib. XXV, cap. 28. Intellige coronam textam turdis, nempe e vimine undique pendentibus. — *Corona*. De coronis more Veterum in convivio usurpatis iam ad lib. III, epigramm. 47, 19, et passim egimus. Quibus e floribus coronae et quot earum genera fuerint, Athenaeus, Deipnosophistarum lib. XV, fusissime.

1. *Texta rosis*. Quibus coronabantur Veteres in lautis conviviis. — *Divite nardo*. Vbique sua nardo laus qui delicias pariebat simul et oculis et naribus. *Divite* autem dixit Martialis, quia apud ditiorum et elegantiorum mensas solas in usu erat ob immensum pretium illud unguenti

At mihi de turdis facta corona placet.

genus; et *in conviviis* refert Plinius lib. XXI, cap. 3, *lautissimum habetur e nardi folio coronas dari*. Ed. P.

2. *De turdis etc.* Serta nempe redimibant eam lancem qua turdi apponebantur. Quae aves apud Romanorum delicatiores tunc exquisitissimae habebantur. Martialis infra, huius libri epigr. 92, *Inter aves turdus, si quis me iudice certet, Inter quadrupedes mattea prima lepus*. Vel accipe potius de vimine in orbem flexo, a quo pendebant turdi: hinc mihi coronam, dicit, tese; quam et gratabo libens, et postea coctam devorabo. Sic hodie coronae feruntur venum in forum, e viminis circulo seu ramo in orbem flexo, factae. Favet huic interpretationi ipsemet Auctor supra lib. III, epigr. 47, 10: *Illic coronam pinguibus gravem turdis* — Nec dubium quin ea interpretatione verum sensum attigeris. Epigrammatarius nempe noster circa voces ludum quaerit. Atqui num salse iocaretur, num lepide, si eodem semper sensu *Coronam* usurparet? Contra nonnihil est acuminis in sensus variatione; de rosea, myrtea, liliacea corona cani putabatur, ille de inexspectata corona avium canit. Ed. P.

52. — ANAS.

Tota quidem ponatur anas: sed pectore tantum,
Et cervice sapit: caetera redde coquo

1. *Sed pectore.* Pectus enim et cervix gratioris sunt saporis. Hic vero cum multis libenter quaesierim, quomodo de iecinore nil cecinerit, quod optimum, immo et anserino longe melius, famam sibi apud Romanos architriclinos conciliare debuerat; nisi forte *pectore* hic pro *iecore* positum ab illo fuerit. Ed. P.

53. — TVRTVR.

Dum pinguis mihi turtur erit, lactuca, valebis,
Et cochleas tibi habe: perdere nolo famem.

Apposito pingui turture, abstinendum a lactucis dicit et cocleis, veluti vilioribus, stomachumque servandum delicatioribus.

1. *Lactuca, valebis.* Puto scripsisse auctorem: *lactuca valebit*. Alloquitur enim convivatorem, vel quicumque coenam instruxit: quod apparet ex illo: *Dum pinguis mihi turtur erit.* Turturem sic a voce appellatum per onomatopoeam tradunt Antiqui; nam graece τρύζειν turturum vocem proprie denotat, et τρύζειν a τρυγὼν derivatur, unde per levem mutationem *turtur*.

2. *Et cochleas.* H. e. Nolo cochleas, quae sunt species conchyliorum (minus nempe delicatae quam haec Romae tanti aestimata ostrea, echini, etc.): hoc est, dum habebo cibos delicatiores, a vilioribus abstinebo. — *Perdere nolo famem.* Hoc est nolo consumere famem in comedendis lactucis et cochleis, Vid. supr.

54. — PERNA.

Cerretana mihi fiet, vel missa licebit
De Menapis: lauti de petasone vorent.

1. *Cerretana.* Dicitur a Poëta perna allata ex Cerretanis Hispaniae populis ad montes Pyrenaeos. Athenaeus lib. XIV: *Convalles montium*, inquit, *tenent Cerretani, maxima Hispanorum natio, apud quos excellentes pernae conficiuntur, quae vel cum Cantabricis de principatu contendunt.* Turneb. lib. XVI, cap. 18, de hoc epigrammate et sequenti: « Ego putem, *inquit*, petasonis partem pernam vocari; vel Athenaeo auctore, cuius haec verba sunt lib. XIV: Επεὶ δὲ πετασῶνος μέρος ἑκάστῳ κεῖται, ἣν πέρναν καλοῦσι. » De petasone vero vid. dicta infra ad proximum epigr. 55.

2. *De Menapis.* Qui Mosam fluvium incolebant. Hodie vocantur Gueldrenses, Iuliacenses, ubi pernae multum etiam nunc laudantur.

55. — PETASO.

Musteus est: propera, caros nec differ amicos;
Nam mihi cum vetulo sit petasone nihil.

Petaso est porci pars ea, quam coxam vocant quae ab alis incipit, costam comprehendit. Non videtur ista cibus magno in pretio fuisse. Iuvenalis Sat. VII, 119: *Quod vocis pretium! siccus petasunculus.* Et ipse Noster lib. III, epigr. 77, 6: *Et pulpam dubio de petasone voras.*

1. *Musteus.* Recens est et plenus succi: nam, inquit Poëta, non amo vetulum et durum et siccum petasonem.

56. — VVLVA.

Te fortasse magis capiet de virgine porca;
Me materna gravi de sue vulva capit.

1. *De virgine porca.* Vulva virginis suis, sterilis, utpote castratae.

2. *Materna, etc.* Vulva porcaria, i. e. suis ante editum partum enectae.

57. — COLOCASIA.

Niliacum ridebis olus lanasque sequaces,

1. *Niliacum.* Colocasia faba est Aegyptia, Graecis κύαμος Αἰγύπτιος. Elevat poëta et contemnit eius gustatum, propter inhaerentes quasi fusos et fila quae saepe, ubi morsa illa est, dentibus adhaerescunt et extenduntur, nec in gutturem comedenda descendunt.

Improba quum morsu fila manuque trahes.

2. *Fila trahes.* Lib. VIII, epigr. 33, 13, *Lenta minus gracili crescunt colocasia filo.* Hinc constat colocasia esse feminini generis simul et neutrius.

58. — IECVR ANSERIS.

Aspice, quam tumeat magno iecur ansere maius!
Miratus dices, Hoc, rogo, crevit ubi?

Iecur anseris notissimae avis Romani, ut nos hodie maxime probamus, potissimum probabant. Plin. X, 26: *Nosti sapientiores qui (anserem) iecoris bonitate novere. Fartilibus in magnam amplitudinem crescit; exemplum quoque lacte, mulso augetur. Nec sine caussa in quaestione est quis tantum bonum invenerit, Scipio Metellus vir consularis, an M. Sestius eadem aetate eques Romanus.* Alio loco: *In omni iecinorum genere praestat anserinum tanquam humidius, tenerius et suavius. Adhibetur et ars iecori suum, sicut anserum · inventum M. Apicii fico, carica saginatis, a satietate necatis, repente mulsi potu dato.*

1. *Tumeat.* Mulso, lacte, ficu, et carica, ut supra iam indicavimus, fartum. Quin et iis temporibus frequentissime apud luxuriae cupidissimos et lautissimum quemque, teste eodem Athenaeo, anseribus saginandis adhibiti servuli, quibus inde inditum nomen χηνοβοσκοί. — *Iecur maius.* Propter illa quibus fartum iam diximus, mulso scilicet, lacte, ficu, et carica. Sic fere Farnabius.

2. *Hoc, rogo, crevit ubi?* In culina nempe iecur ita crevit fartum: sed hospes imperitus, et luxuriae artes et gulae ingenium experientia nondum edoctus (nam ut ipse ait infra epigr. 61, *ingeniosa gula est*), primum iecinoris magnitudine perspecta, putabit anseres alicubi terrarum esse tanto maiores, et quaeret ubi tanti nascantur, aut unde ferantur. Hunc sensum Martialis nemo, opinor, negabit. Nam qui in saginario seu *μαστώσει* exponunt, non de iecore, sed toto ansere loquuntur. Hic vero de iecinore tantum est sermo. Sic, nisi propriis verbis, Raderus.

59. — GLIRES.

Tota mihi dormitur hiems, et pinguior illo
Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.

Glires. Genus sunt murum, quibus a *gliscendo* nomen fuit: nam *gliscere* est *crescere*. Tacite nimirum ac veluti nescientes illi crescunt, dum hieme tota dormiunt et immobiles quasi mortui iacent, tempore aestivo reviviscunt.

60. — CVNICVLVS.

Gaudet in effossis habitare cuniculus antris;
Monstravit tacitas hostibus ille vias.

2. *Monstravit.* « Aliud genus oppugnationis est subterraneum atque secretum, quod cuniculum vocant (Gallica lingua *mine* id vocatur) a leporibus, qui cavernas sub terris fodiunt, ibique conduntur. » Vegetius lib. IV, cap. 24. Omnes prope historici meminere cuniculorum. Et quidem nullum nostris quoque temporibus stratagema usitatius: at multo etiam terribilius quam antiquorum saeculis fuerat, ob nitrum et sulphureas massas et flammivomos globos quibus non tantum corruunt expugnatarum urbium muri et domus, sed in aëra late exsiliunt praecipites, et disiecti hac illae feruntur.

61. — ATTAGENAE.

Inter sapores fertur alitum primus
Ionicarum gustus attagenarum.

62. — GALLINA ALTILIS.

Pascitur et dulci facilis gallina farina,
Pascitur et tenebris: ingeniosa gula est.

Gallina altilis. Ea dicitur quae domi saginatur farina quidem et tenebris, *quod motus earum et lux pinguedini inimica.* Varro lib. III, cap. 9. Item Columella: *Locus ad hoc desideratur calidus maxime et minimi luminis.* — *Ingeniosa gula est.* Plinius lib. X, cap. 50: *Invenit mille artes viasque deliciarum luxus et gula.* Gulones isti ingeniosi sunt ad luxuriam. Sic lib. XIV, epigr. 117. Sic et Petronius: *Ingeniosa gula est, Sicula scarus aequore mersus Ad mensam vivus perducitur.*

63. — CAPO.

Ne nimis exhausto macresceret inguine gallus,
Amisit testes: nunc mihi Gallus erit.

1. *Ne nimis.* Gallus gallinaceus facilius saginatur, postquam castratus est. — *Exhausto, etc.* Per coitum nempe, quo vires depereunt et quidquid affuerat modo pinguedinis evanescit. — *Macresceret.* Vide supra.

2. *Gallus erit.* Aeque castratus erit, ac illi sacerdotes Cybeles qui Galli dicebantur exsectis virilibus. Lib. II, ep. 45. — Rectius forsan credes voce Gallum hic indicari non Cybeles duntaxat sacerdotem, sed et gallinae

maritum, qui latina lingua Gallus Gallinaceus, mox brevitatis studio Gallus vocatus fuit; quasi nempe diceretur: *Ne miserum exseca, Gallus est*; *exseca, Gallus est*; vel alio modo; *Ante et postquam exsecetur, Gallus ille est*. Res mira! sive vir, sive evlratus, idem ille est; nec ulla, praesente absente sexu, differentia in nomine est. Ed. P.

64. — IDEM.

Succumbit sterili frustra gallina marito;
Hanc matris Cybeles esse decebat avem.

1. *Frustra*. Quum maritum habeat Gallum seu castratum. Vide epigr. praecedens.

2. *Matris Cybeles avem*. Namque Deae illius sacerdotes, quibus nomen Galli, Corybantes, Curetes esseeti erant. Mater autem Cybele dicta erat, sive quod deos et deas omnes genuisset, sive quod eadem esset ac Terra, communis omnium sive hominum et animantium, sive mutarum et inmotarum rerum mater, et ut aiebant uno vocabulo Graeci, παμμήτωρ. Ed. P.

65. — PERDIX.

Ponitur Ausoniis avis haec rarissima mensis;
Hanc in lautorum mandere saepe soles.

1. *Ponitur, etc.* Perdix lauta et nobilis ales, magnique pretii, potentium mensis ponebatur, ut et hodie etiam ponitur. Nam 50 drachmis unicam ab Aristippo emptam legimus. Infra Noster epigr. 76: *Carior est perdix; sic sapit illa magis*.

2. *Hanc in lautorum*. Divitum.

66. — COLVMBINI.

Ne violes teneras periuro dente columbas,
Tradita si Cnidiae sunt tibi sacra Deae.

Columbini. Hoc est pulli columbarum, qui proprio magis nomine pisiones, graece περιστεριδεῖς (a περιστέρα, *columba*), gallice *pigeonneaux*.

1. *Periuro dente columbas*. Docet enim sequens versus interdictum fuisse columbinorum esum Mystis Veneris, qui initiati erant sacris Deae Ven. Cnidiis religiose cultae, et cui columba sacra. Hinc de Aenea dictum (Aen. lib. VI, 191) columbas adspicienti: *Maternas adgnoscit aves*. Hinc Ovid. Metamorph. lib. XIII: *Colla Cytheriacae splendent agitata columbae*. Cnidum autem, insulam non longe a Caria, maxime coluit Venerem.

2. *Tibi*. Sacerdoti scilicet et Mystae Veneris.

67. — PALVMBVS TORQVATVS.

Inguina torquati tardant habetantque palumbi:
Non edat hanc volucrem, qui cupit esse salax.

Palumbus torquatus. Sic dictus a circulo seu torque circa collum. Propert. IV, 5, 63, ait: *Cape torquatae guttura secta columbae.* Avis casta ex moribus appellatur, quod comes sit castitatis. Dicitur enim amisso corporali consortio solitaria perpetuum incedere, nec carnalem copulam ultra requirere.

1. *Inguina.* Sensus acriores in Venerem, salacitatem.

68. — GALBVLA.

Galbula decipitur calamis et retibus ales,
Turget adhuc viridi quum rudis uva mero.

1. *Galbula.* Galbulae seu galbeae atque etiam balbulae, aves sunt viridis aut lutei coloris: Graecis χλωρίδες dicuntur. Alio tamen nomine vocat Plinius lib. XXX, cap. 11: *Avis icterus vocatur a colore,* flavo scil. *quae si spectetur, sanari id malum tradunt, et avem mori. Hanc puto latine vocari Galgulum.* Alii tamen affirmant sanari eos qui illam comedunt avem, non qui vident. — *Calamis.* Viscatis nimirum.

2. *Viridi mero.* Hoc est, quum uvae sunt adhuc immaturae atque acidi potius liquoris quam lenis et suavis plenae. Quod nos gallice vocamus *verjus.*

69. — CATTAE.

Pannonicas nobis nunquam dedit Vmbria cattas;
Mavult haec domino mittere dona Pudens.

Cattae. Avis quoddam genus est, ut putant interpretes. Alii mustelas sylvestres esse opinantur. Cattas e Pannonia missas Pudens habitans in Vmbria (lib. VII, ep. 97), non sibi servat, sed Romam mittit domino, quem bene alii Domitianum, male alii divitem quemdam patronum intelligunt. De se autem ipse Pudens loquitur.

70. — PAVO.

Miraris quoties gemmantes explicat alas,

Carmen est apertum; miratur pecidi et vorari posse tam elegantem et venustam avem; sed Apiciorum gula nec elegantiae nec venustati unquam parcit. Ed. P.

1. *Gemmantes.* Vox ad eximiam

Et potes hunc saevo tradere, dure, coquo?

pavoninarum alarum pulchritudinem designandam poëtis, immo et omnibus scriptoribus, saepe usurpata. Hac voluit quidam innui magno olim pretio emptam avem et ex Asia in Europam invectam; alii melius, splendorem caudae cui diceres adspersas gemmas. Ed. P.

71. — PHOENICOPTERVS.

Dat mihi penna rubens nomen: sed lingua gulosis
Nostra sapit; quid si garrula lingua foret?

1. *Dat mihi penna.* Φοινικόπτερος, h. e. puniceus alas. Phoenicopterus ergo avis circa lacus et paludes victitans, visu pulchra, et colore decora purpureo, magnitudine ciconiae, etc. cuius lingua optimi est saporis. Mirum vero fortean videbitur non potuisse nomen in versu poëtam et περιφράσει unum esse, quasi hexametri rhythmo repugnarent syllabae, ut in hoc Horatii de Equotutio vel Equotutico; *Oppidulum quod versu dicere non est.* Lib. I, sat. v. Atqui tamen constat Phoenicopterus e longis tribus quas sequuntur duae breves. Quanquam et hoc tamen passim fecit, et praecipue in huius lib. epigram. 66, cuius lemma *Columbini.* Optime enim versui inserendum erat vocabulum id e brevi una constans et tribus longis. Maluit tamen cum περιφράσει dicere *teneras columbas.* Ed. P. — *Gulosis.* Apicio, Heliogabalo, Vitellio. Vid. de hoc Suetonium qui in Vitellio, de immensae magnitudinis patina quam clypeum Minervae, αἰγίδα, πολιοῦχον, iste dictitabat: *In hac scarorum iecinora, linguas phoenicopterum, muraenarum lactes, a Carpathio usque fretoque Hispaniae per navarchos ac triremes petitarum, commiscuit.* Ed. P.

2. *Quid si garrula.* Quum tacita tam grata sit. Forte alludit Poëta ad patinam Clodii Aesopi tragici histrionis refertam linguis avium canorarum.

72. — PHASIANVS.

Argiva primum sum transportata carina;
Ante mihi notum nil, nisi Phasis, erat.

1. *Argivo carino.* Qua nempe vecti sunt Argonautae, de quibus iam dictum.

2. *Phasis.* Colchorum fluvius unde dicti et allati sunt phasiani.

73. — NVMIDICAE.

Ansere Romano quamvis satur Hannibal esset,
Ipse suas nunquam barbarus edit aves.

1. *Satur Hannibal.* Dum bellum gessit in Italia, pastus est anseribus, et abstinuit gallinis Numidicis, licet delicatioribus, quia tunc illae nondum mensis apponebantur, ut aiunt interpretes. — Martialem reor tacite cavillari frivolam saeculi superbiam qui gulae scientia gloriabatur. Tunc enim et dives et pauper, bonarum artium negligens, delicati viri laudem magis aucupabatur, quam magni et probi; et vix ullum reperire erat cui non placeret magis Petronius ille neronianarum arbiter elegantiarum, quam liberator Capitolii Manlius aut Hannibalis victor Scipio, aut victor ipse tamdiu Romanorum Hannibal. Ex iis enim nullus munditiae novae peritus erat, nec callebat quanti mullus et rhombus, quanti lingua phoenicopteri, quanti murseoarum lactes, quanti anserum atque anatum iecinora, quanti gallina aestimanda; barbari sane et rudes viri! Ed. P.

74. — ANSER.

Haec servavit avis Tarpeii templa Tonantis.
Miraris? nondum fecerat illa Deus.

1. *Templa.* Quae a Gallis obsidentibus expugnata fuissent, nisi anseris clangoribus excitati fuissent vigiles.
2. *Nondum fecerat illa.* Domitianus qui incensum Capitolium restituit, quod iam alio custode quam Domitiani numine non indiget.

75. — GRVES.

Turbabis versus, nec litera tota volabit,
Vnam perdideris si Palamedis avem.

1. *Nec litera tota.* Alii intelligunt Υ, alii vero Δ: quae sententia videtur melior. Cicero quidem de Nat. Deor. lib. II: *Illud vero ab Aristotele animadversum, a quo pleraque, quis potest non mirari? Grues, quum loca calidiora petentes maria transmittant, trianguli efficere formam. Eius autem summo angulo aër ab iis adversus pellitur: deinde sensim ab utroque latere, tanquam remis, ita pennis cursus avium levatur. Basis autem trianguli, quam efficiunt grues, ea tanquam a puppi ventis adiuvatur, etc.* His Tullii verbis Δ Graecum plane exprimitur. Grues vero Palamedis aves esse dicuntur: ex earum enim volatu quasdam literas didicerat, atque illas homines docuerat Palamedes.

76. — RVSTICVLA.

Rustica sim, an perdix: quid refert, si sapor idem est?
Carior est perdix, sic sapit illa magis.

1. *Rustica sim.* Rusticam antem dictam putem ad contentionem alterius perdicis, quae elegantior est. *Rader.*

2. *Sic sapit illa magis.* Hoc est, nimis sapiunt quae pluris emuntur. Sic Petronius, *Quidquid quaeritis optimum videtur.* — *Sic.* Alii *nec.*

77. — CYCNVS.

Dulcia defecta modulatur carmina lingua
Cantator cycnus funeris ipse sui.

1. *Dulcia.* Poëtis et quibusdam philosophis receptum, cycnum mortis praescium cum voluptate et cantu mori. Sed fabulam censebant iam apud antiquos Plinius, Aelianus, aliique sanioris iudicii; et poëticum mendacium id esse nunc nullus nescit. Ed. P. — *Defecta lingua.* Hoc est, iam deficiente lingua: namque *deficere* est λείπεσθαι: et *defectus* qui deficit: unde *defectus annis*, de sene. Sic *indefectus* ἄλειπτος: ita vocabantur athletae qui vinci non poterant.

78. — PORPHYRIONES.

Nomen habet magni volucris tam parva gigantis?
Et nomen Prasini Porphyrionis habet.

Porphyriones. Aves scilicet quibus (si e Veterum testimoniis eas descripsisse gratum erit, nam quaenam eae sint in incerto), rostra et praelonga crura purpureo rubore mirifice exsplendescunt, caeruleus reliquo corpori inest color, albicante in cinerem media caudae extremae parte, nigricantibusque oculis. Aelianus, Animant. hist. lib. III, cap. 42, Porphyriona dicit ὡραιότατόν τε ἅμα καὶ φερωνυμώτατον ζῶων, hoc est: *pulcherrimum simul atque celebratissimum (namque male intelligunt nomine suo dignum φερώνυμον) animal.* Ed. P.

1. *Magni gigantis.* Qui dictus est Porphyrion. Horat. Carm. III, ode IV, 51: *Sed quid Typhoeus et validus Mimas, Aut quid minaci Porphyrion statu? etc.* Hunc Apollonii Scholiasta ad Argonautic. lib. III, scribit filium Sisyphi fuisse et immensa magnitudine ita insignem, ut cum Alcyoneo principatum inter illos Gigantas obtineret, *ausos caelum rescindere fratres.* Caesus est ab Hercule quod Iunoni voluisset vim inferre ab Alcaeo liberatae. Gigantem Pindarus, Pyth lib. Eid. VIII, Apollinis arcu domitum narrat.

2. *Purpurionis* MS. in marg. ed. Par. 1617. Alii *Purpureonis*, quod idem est. Nam in adiectivis quibusdam aut adiectivorum similibus sub-

stantivis qui per *eus* aut *eo* desinebant, nos iam nascebatur *ius* aut *io* terminationis loco dicere. Sic *Herculius*. Vtrumque vero idem valet, et latine idem sonat ac graece *Porphyrion*: πορφύρα enim graece purpura est; et eo modo πορφυρίων a πορφύρα derivatur quo *purpureo* a *purpura*. Porphyrion vero fuit auriga Neronis factionis Prasinae seu viridis. Vida lib. X, epigr. 48. Vide et aliam Lipsii expositionem huius epigramm. lib. I Quaestion. Epistolic. 5. — *Pr. Porph.* Sensus ergo totius distichi is est: Hunc avem, licet exiguam, habere nomen commune cum magno gigante, miraris? non magis mirum est quam et licet tubtam; habere nomen aurigae factionis viridis.

79. — MVLLVS.

Spirat in advecto, sed iam piger, aequore mullus;
Languescit? vivum da mare, fortis erit.

De avibus delicatissimis hactenus; nunc ad pisces transit Noster, et omnium primum nominat optimum hunc simul et celeberrimum, et ipsi rhombo apud Romanos fere adaequatum mullum. Namque aliquando 8,000, immo et 10,000 nummum mullus Romae constitit. Iuv. *Mullum sex millibus emit*. Id autem summopere mirabantur, quod varios morientis colores indueret. Quam ob caussam antequam coquis traderetur, eum gaudebant mensis vivum apponi et hic vulneratum exspirare. Ed. P.

1. *Spirat in advecto*. De mullo saepius iam dictum, qui captus languescit, licet in aqua marina feratur. — *Advecto aequore mullus*. Vase pleno aqua marina.

80. — MVRAENA.

Quae natat in Siculo grandis muraena profundo,
Non valet exustam mergere Sole cutem.

Piscis pretiosissimus cuius lactes praecipue requirebant Quidam, ut famosus ille Ved. Pollio, muraenas in piscinis sedulo nutriebant, quae inde muraenaria dicta.

2. *Non valet*. Summa enim aqua innatans sole exuritur, nec amplius potest curvare se, nec immergere.

81. — RHOMBVS

Quamvis lata gerat patella rhombum,

Rhombus; gallice *turbot*, piscis qui romanis Apiciis tunc maxime in deliciis fuit; neque sane recentiores nos ab illorum iudicio recessimus. Quanti autem quosdam rhombos fecerint, argumento esse potest vel illa celeberrima satyra quae quarta Iuven. in lib. reperitur. Ravennae optimum inveniri dicit Plin. lib. IX, cap. 54. Non silendum praeterea triplicem

Rhombus latior est tamen patella.

esse huius vocis *Rhombus*, quae quidem graecae originis est, significationem. Illa nempe primo designatur instrumentum mathematicum magicumque quo sagae ad lunam deducendam utebantur; tum rota quam agitantes tramam glomerare solent; denique piscis ille de quo in hoc disticho Martialis. Ed. P.

1. *Lata*. Verborum sensus in promptu est, aliquando scilicet rhombum eo latitudinis pervenire ut grandem patinam excedat. Sic Horat. Ser. lib. II, sat. II, 95: *grandes rhombos*; et supra citata satyra Iuv. vs. 39: *Incidit Hadriaci spatium admirabile rhombi* Ed. P.

82. — OSTREA.

Ebria Baiano veni modo concha Lucrino;
Nobile nunc sitio luxuriosa garum.

1. *Ebria* H. e. saturata et pasta in lacu Lucrino prope Baias. Macrobius, in Saturnalium lib. II, cap. 11: *Sergius Orata.... primus optimum saporem ostreis Lucrinis adiudicavit.*

2 *Nobile garum.* Quo nempe liquamine capta condiuntur ostrea.

83. — SQVILLAE.

Coeruleus nos Liris amat, quem silva Maricae
Protegit: hinc squillae maxima turba sumus.

1. *Coeruleus Liris.* Fluvius scilicet Campaniae qui Minturnas alluit. Horat. lib I, Ode xxxi, 7: *Non rura quae Liris quieta Mordet aqua, taciturnus amnis.* Ad illum fluvium est silva sacra Maricae nymphae, illius fluvii accolae, quae regi Fauno nupsit et postea dea habita est litoris Minturnensium. Vid. Hor lib. III, Ode xvii, 7: *Et innantem Maricae Litoribus tenuisse Lirim.* Quidam voluere per Maricam intelligi debere Minturnensem Venerem; an satis bene nescio.

2. *Hinc.* Ex Liri fluvio. — *Squillae.* Pisciculi nimirum qui gregatim natant, unde *maxima turba* dicitur. Alias *scilla*, sive *squilla*, herba bulbo insigni praedita.

84. — SCARVS.

Hic Scarus, aequoreis qui venit obesus ab undis,
Visceribus bonus est: caetera vile sapit.

1. *Aequoreis.* In piscinis servatus ingrati est saporis. Plinius, lib. IX, cap. 17: *Nunc scaro datur principatus, qui solus piscium dicitur ruminare.*

2. *Caetera.* Subaudi κατὰ, Graecorum more.

85. — CORACINVS.

Princeps Niliaci raperis, Coracine, macelli;
Pellææ prior est gloria nulla gulae.

Coracinus. Aegyptius piscis, qui quum Graecis nominaretur κόραξ vel κορακῖνος (non ut quidam credidere ἀπὸ τοῦ δινεκῶς κινεῖν τὰς κόρας, vel παρὰ τὸ κορὸν τὸ μέλαν), identidem apud Latinos *corvus* appellatus fuit. Vilem eum Athenaeus scribit ex Amphide: Ὅστις κορακῖνον ἐσθίει θαλάττιον Γλαύκου παρόντος, οὗτος οὐκ ἔχει φρένας. Sic apud eumdem Athenaeum dicit Archestratus φαυλότατον κορακῖνον. At utrique contrarius Plinius lib. IX, cap. 18, in Aegypto Coracinum optimum esse testatur. Ed. P.

1. *Niliaci macelli*. Hoc est, nullus piscis delicatior habetur Alexandriae, quae est urbs Aegypti, Pellaea dicta ab Alexandro conditore, qui ipse Pellaeus nominatur a Pella urbe Macedoniae ubi natus est. Plinius lib. XXXII: *Coracini pisces Nilo quidem peculiares sunt: sed nos haec omnibus terris demonstramus*.

2. *Gloria nulla*. Hoc est, nullius piscis laus tanta est ut gratior sit Alexandrinis.

86. — ECHINVS

Iste licet digitos testudine pungat acuta,
Cortice deposito mollis echinus erit.

2. *Cortice deposito*. Hoc est, testa spinosa devulsa. — *Mollis*. Hoc est, cibus erit delicatus et tenerrimam carnem convivantibus praebebit.

87. — MVRICES.

Sanguine de nostro tinctas, ingrate, lacernas
Induis, et, non est hoc satis, esca sumus.

Murex concha est illius ordinis quem Κεφαλοφόρων, Σιφωνοστόμων nunc vocant zoologistae. Et eo nomine apud poëtas celebratissimus quod illius sanguini inerat purpureus color: quam ob caussam exspirantis in cruore tingebantur pretiosissimae vestes; quum autem parum sanguinis quisque baberet, ita ut e sex septemve muricibus vix una gutta exprimeretur, non mirum, purpuram tanti constitisse. Ed. P.

1. *Sanguine*, *etc*. Queruntur murices iniquam sortem suam, et crudelitatem hominum; quod nempe et sanguine suo ornatum, carne vero escam sibi pariant.

2. *Et, non est hoc satis, etc.* Nam inter conchylia mensis tum inferebantur murices, Δύναται γὰρ βάπτειν, οὐκ ἐσθίεσθαι μόνον, τῆς πορφύρας κρέας. Lucian. κνιστός.

88. — GOBIVS.

In Venetis sint lauta licet convivia terris,
Principium coenae gobius esse solet.

1. *In Venetis.* Veneti sunt Italiae septentr. populi ad mare Hadriaticum, Galliae Cisalpinae proximi: in ea autem Armoricae regionis parte quam Lugdunensem tertiam (hodie *Bretagne*) appellavit Augustus, praeterea alii sunt populi dicti Veneti; quorum urba praecipua, nomen adhuc servans, *Vannes*.

2. *Gobius.* Pisciculus, qui in Venetorum lacunis frequens est, ori gratissimus, de quo Galenus lib. III de Alimentorum facultatibus.

89. — LVPVS.

Laneus Euganei lupus excipit ora Timavi,
Aequoreo dulces cum sale pastus aquas.

Lupus, Graece λάβραξ, piscis est sic dictus a vorandi aviditate propter similitudinem lupi terrestris. Neque est tamen, ut quibusdam placuit, famosus amnium nostrorum helluo lucius (gall. *brochet*); neque credendus est, ut voluere alii, idem cum lupo marino (hic enim monstris adnumerandus potius videtur, quam collocandus inter pisces). Ille vero de quo hic Martialis agit, fluminum oras potissimum tenet, et si quando in mari reperitur, a litoribus paullum recedit et fluminum ostia amat Oceano illabentium; et id ipsum Poëta in suo epigrammate indicavit. Neque exiguus vero erat, neque debilis; teste Ovidio qui in Hal. vs. 38: *Lupus acri concitus ira Discursu fertur vario, fluctusque ferentes Prosequitur, quassatque caput, dum vulnere saevus Laxato cadat hamus, et ora patentia linquat.* Ed. P.

1. *Laneus*, *etc.* Quid hic significet *laneus*, et quo sensu de pisce aut marino aut fluviatili accipi debeat, in ambiguo est. Colorene albus? an carne mollis? an mandendo araneosus, ut de colocasiis supra epigr. 57? an alludit ad Euganeas et Altinates oves iuxta Timavum, quae lanarum mollitie laudantur, unde et poëtice piscibus ora eiusdem fl. excipientibus idem tribuit? Addam quod Gruterus refert: Si quis carpos et lucios immiserit salientibus aquae frigidioris, intra xx diem fiunt supra cutem quasi lanei: villos certe exhibent toto dorso notabiles colore cineritio; iis praesertim, quos piscatores vendebant familiae eius pro Rhenanis, quum essent lacustres. Faciatne istud Martiali interpretando, diiudicent quibus palatum sapit.

2. *Aequoreo dulces*, *etc.* Namque illi lupi sunt laudatissimi qui ad ostia fluviorum degunt, dulci pariter ac salsa aqua pasti. Videtur tamen maximi quoque eos aestimatos fuisse qui Romae, ipsa in urbe, inter duos pontes capti essent. Ed. P.

90. — AVRATA.

Non omnis laudem pretiumque aurata meretur,
Sed cui solus erit concha Lucrina cibus.

Piscis marinus qui sic latine *aurata* (vel, mutata aliquantulum, perperam fortisan, scriptura, *orata*) nuncupatur, graece vero χρύσοφρυς, quod auri (χρυσοῦ) colorem referat ejus caput. De hoc Oppianus, Halieutic. lib. I, Ἀγλαΐῃ χρύσοφρυς ἐπώνυμος, hoc est, « Splendidae pelli aptum nomen ferens *aurata*; » et Ovidius, sive quicumque fragmenti poëtici de arte piscatoria auctor exstitit, vs. 110: *Auri Chrysophrys imitata decus.* Nominavit tamen hunc piscem Athenaeus τώνισκον. Famae autem nonnihil obtinuit, non solum quod convivantium gulae gratus esset, sed veneni vim emolliret. Ed. Par.

2. *Erit concha Lucrina cibus.* Conchas Lucrinas optimis esse saporis diximus epigr. 82 supra, quibus pastas auratas suavissimas affirmat Poëta. — Et hic licet rursus notes, stupeasque rursus Romanorum incredibilem luxuriam et gulam, qui postquam orbem universum, hi ense suo et fortitudine debellassent, hi latrociniis per pacem spoliassent, eo devenere opulentiae ut nescire iamiam ipsi viderentur quo pacto immensis divitiis suis uterentur et pecuniam *traherent*, *vexarent*. Hinc solo aequari montium ardua et impervia; hinc *magis Extenta* spectari *Lucrino Stagna lacu*; hinc Baianis undis irrepere caementa et palatiorum moles; hinc ipso sub mari effici amoenissimos accessus et voluptarias aedes. Hinc denuo rarissimis et delicatissimis piscibus pisces ipsos enutriri, ut fastidiosis gulis irritamenta pararentur, et sestertium decies, centies millies forsan, ut in mensa Cleopatrae, uno velut haustu vorarentur.

91. — ACIPENSIS.

Ad Pallatinas acipensem mittite mensas;
Ambrosias ornent munera rara dapes.

Acipensis. Acipensis vel acipenser, quem vulgo sturionem dicunt, piscis fuit maximo in honore apud Romanos.

1. *Ad Pallatinas.* Hoc est, ad Caesarum mensas.

2. *Ambrosias.* Hoc est, divinas dapes Caesarum, quasi Deorum. — *Munera rara.* Plinius lib. IX, cap. 17: *Apud antiquos piscium nobilissimus habitus acipenser, unus omnium squamis ad os versis, contra aquam nando meat: nullo nunc in honore est; quod quidem miror, quum sit rarus inventu.*

92. — LEPVS.

Inter aves turdus, si quis me iudice certet,
Inter quadrupedes mattea prima lepus.

2. *Mattea.* Illa vox significat, deliciae, cupedia: lib. X, epigr. 59. *Sed te mattea sola iuvant.*

93. — APER.

Qui Diomedaeis metuendus setiger agris
Aetola cecidit cuspide, talis erat.

1. *Diomedaeis.* Hoc est, Aetoliae arvis, quorum incola fuit Diomedes Tydei filius, de quo Homerus Iliad. Z.

2. *Aetola cuspide.* Meleagri, de quo lib. Spect. epigr. 15. — Sic fere Iuvenalis de apro, ut eum eximium et grandem significet, sat. V, vs. 115: *Flavi dignus ferro Meleagri.*

94. — DAMAE.

Dente timentur apri; defendunt cornua cervos;
Imbelles damae quid, nisi praeda, sumus?

1. *Dente timentur apri, etc.* Sic Anacreon ludit in ferarum armatura nativa, Carm. II: Φύσις κέρατα ταύροις, Οπλὰς δ' ἔδωκεν ἵπποις, Ποδωκίην λαγωοῖς, κ. τ. λ.

2. *Imbelles damae.* Quae sola pedum velocitate se a canibus defendere possunt.

95. — ORYX.

Matutinarum non ultima praeda ferarum
Saevus oryx, constat quot mihi morte canum?

1. *Matutinarum.* Seneca, lib. I, epist. 7: *Mane leonibus et ursis homines, meridie spectatoribus suis obiiciebantur.* Diximus iam lib. X, epigr. 25, homines mane pugnavisse cum feris.

2. Sensus est: In venatione matutina, quae nempe dabatur in amphitheatro, oryx captus vel interfectus multos canes prius interfecit.

96. — CERVVS.

Hic erat ille tuo domitus, Cyparisse, capistro?
An magis iste tuus, Silvia, cervus erat?

97. — LALISIO.

Quum tener est onager, solaque lalisio matre
Pascitur; hoc infans, sed breve nomen habet.

2. *Sed breve nomen.* Hoc est, sed per breve tempus, namque statim atque lalisio a lacte depellitur, vocatur onager. Non breve ergo nomen est quoad syllabas, quae sunt quatuor; sed quoad temporis spatium, quo durante sic lalisio dicitur.

98. — DORCAS.

Delicium parvo donabis dorcada nato;
Iactatis solet hanc mittere turba togis.

1. *Delicium parvo, etc.* Cicurantur enim dorcades, mansuetae et familiares fiunt, quum aliquandiu inter homines fuere; ita ut se tractari a pueris sinant, et a manu illorum cibum capiant, quod in Germania, quia frequentes sunt, usitatum est, et nemini ignotum.

2. *Iactatis solet, etc.* In arenam mitti solet, dato a Quiritibus signo togae iactatae; sic Turneb. lib. XXV, cap. 28. Vel hanc in arena missam agitare et venari solet turba iactatis togis. — Mihi, ait Ferrarius, huic sensui favens, simplicior sensus videtur, dorcadem seu damam animal timidum in arenam missum nullo canum terrore, sed sola togarum iactatione agitatam a spectatoribus. Quod tamen non vetat quin togarum iactatione aliquando bestias Romani in arenam miserint.

99. — CAPREA.

Pendentem summa capream de rupe videbis:
Casuram speres, despicit illa canes.

1. *Pendentem, etc.* Respicit ad Virgilii versum: *Dumosa pendere procul de rupe videbo.* Eclog. I, 77.

2. *Canes.* Inter venandum. — Alii *decipit.*

100. — ONAGER.

Pulcher adest onager: mitti venatio debet
Dentis Erythraei: iam removete sinus.

1. *Mitti.* Quia scilicet pulchrius est onagrorum pugnantium quam elephantorum spectaculum. Alii sic intelligunt, immittendos in arenam elephantos cum onagris pugnaturos. Videat lector.

2. *Dentis Erythraei.* Hoc est, elephantorum, qui sunt ad mare Erythraeum seu Rubrum. — *Removete sinus.* Scilicet retia, quibus non erat opus ad venationem onagrorum.

101. — OLEVM VENAFRANVM.

Hoc tibi Campani sudavit bacca Venafri
Vnguentum, quoties sumis, et istud olet.

1. *Hoc tibi.* De Venafro Campaniae agro, ubi praestantissimae suot olivae, egimus iam l. XI, epigr. 64. — *Bacca*, h. e. oliva.
2. *Et istud olet.* *Oles* vett. edd. habuere et Raderus. — *Olet.* Vult enim odorem ipsi etiam oleo, non his tantum, quae oleo condiuntur, deberi. — *Sumis.* Ad ungendum corpus.

102. — GARVM SOCIORVM.

Exspirantis adhuc scombri de sanguine primo,
Accipe fastosum munera cara garum.

1. *Exspirantis adhuc.* Docet quod genus gari optimum sit, confectum nempe sanguine scombri palpitantis in caede.

103. — MVRIA.

Antipolitani, fateor, sum filia thynni:
Essem si scombri, non tibi missa forem.

Proprie muria dicitur aqua sale commixta affectaque gustu in modum marinae. Quo autem pacto muria haec sale commixta fieret, indicat Columell. lib. XII, capp. 7 et 25: *Deinde salsugo piscium: pisces enim in liquamine seu salsamento soluti humorem liquant quam salsuginem seu muriam appellant.* Tria namque liquaminum erant genera, primum quod e scombro *garum* appellabant: alterum ex thynno pisce factum, quod *muriam*: tertium quod ex quovis minutiore, deterrimum, idqne *halec* vel *alec* dicebant.

1. *Antipolitani.* Antipolis, civitas provinciae Narbonensis, unde thynnus afferebatur laudatissimus. — *Filia thynni.* Liquameo sale thynni soluti.
2. *Essem si.* Hoc est, Si essem garum, de quo supra, non ad te pauperem, sed ad divitem mitterer.

104. — MEL ATTICVM.

Hoc tibi Thesei populatrix misit Hymetti
Pallados a silvis nobile nectar apis.

1. *Thesei Hymetti.* Montis in Attica, sic dicti a Theseo.
2. *Pallados a silvis.* Atticae enim praesidet Pallas. — *Nobile nectar.* Hoc est, mel Atticum omnium praestantissimum.

105. — FAVI SICVLI.

Quum dederis Siculos mediis de collibus Hyblae,
Cecropios dicas tu licet esse favos.

1. *Hyblae.* Montis in Sicilia, cuius mel aeque nobile ac mel Atticum, dicit poeta.

2. *Cecropios.* Atticos: Cecrops enim Athenis primus regnavit.

106. — PASSVM.

Gnossia Minoae genuit vindemia Cretae
Hoc tibi, quod mulsum pauperis esse solet.

Passum. Plinius lib. XIV, cap. 9: *Passum a Cretico Cilicium probatur, et Africum, et in Italia provinciisque finitimis. Fieri certum est ex uva, quam Graeci Sticham vocant, nos Apianam. Item scirpula, diutius in vite sole uvis adustis, aut ferventi oleo, etc.* Caeterum de τοῦ *passi* ἐτυμολογίᾳ ambigitur. Volunt enim quidam, quod unice probandum videtur esse, hoc verbum ab uva passa, quae nempe sicca percutitur et decoquitur; et sic quodammodo patitur. Quibusdam vero placet a pandendo *passum* derivari, et ob id *passum* appellari quod ad solem uvae expandantur.

1. *Gnossia.* Hoc est, Cretensis: Gnossus vel Cnossus urbs est Cretae. De mulso infra epigr. 108. — *Mulsum pauperis.* Vilius est passum mulso; hoc enim ex melle et Falerno fiebat, illud ex uvis, aqua semper in secundaria.

107. — PICATVM VINVM.

Haec de vitifera venisse picata Vienna
Ne dubites: misit Romulus ipse mihi.

2. *Misit Romulus.* Si Vienna ab urbe praecipua Allobrogum sunt allata haec vina picata, ut ex Plinio lib. XIV, 1, quomodo Romulus ipse misit? An idem in Italia postea natum, satum vel illatum? Nam Romulus pro Italico ponitur haud dubie. *Raderus.* — Picatum hoc vinum, in ipsa urbe Romana factum arte ex picis fluxu, ita picis gratiam olet, ut dubites an nativum sit picatum a Vienna Allobrogum. *Farnabius.* — Simplicius forte et melius intelliges mercatorem Viennensem dictum Romulum, et quidem celebrem.

108. — MVLSVM.

Attica nectareum turbatis mella Falernum;
Misceri decet hoc a Ganymede merum.

2. *Misceri.* Hoc est, subministrari, Iovi nempe.

109. — ALBANVM.

Hoc de Caesareis mitis vindemia cellis
Misit, Iuleo quae sibi monte placet.

1. *De Caesareis cellis*. Hoc est, de monte Albano, in quem secedere solebat Caesar Domitianus, ut iam superius dictum. Dicitur *Iulus* ab Iulo Aeneae filio, Albae conditore.

110. — SVRRENTINVM.

Surrentina bibis? nec myrrhina picta, nec aurum
Sume: dabunt calices haec tibi vina suos.

1. *Nec myrrhina*. Pocula Surrentina, fictilia scil., idonea sunt ad bibendum vinum Surrentinum; nec opus est myrrhinis iis quos delicatissimae figurae ornent, nec aureis calicibus, de quibus lib. XIV, ep. 113. Surrentum vero urbs est Picentinorum, non longe ab urbe Neapoli.

111. — FALERNVM.

De Sinuessanis venerunt Massica praelis;
Condita quo quaeris consule? nullus erat.

2. *Nullus erat*. Sic hyperbolice innuit Poëta vetustissima esse haec vina Massica. Simili fere artificio extremae senectutis Lesbiam arguerat, his versibus: *Consule te Bruto quid iuras, Lesbia, natam? Mentiris, nata es, Lesbia, rege Numa*. Lib. X, ep. 39. Ed. P.

112. — SETINVM.

Pendula Pomptinos quae spectat Setia campos,
Exigua vetulos misit ab urbe cados.

1. *Pendula Setia*. Setia oppidulum fuit Campaniae in editis locis sita. Lib. X, ep. 74, 10: *Nec quae paludes delicata Pomptinas Ex arce clivi spectat uva Setini*. Optimum autem vinum in hac nasci iam dictum fuit. Plinius lib. XIV, cap. 6: *Divus Augustus Setinum praetulit cunctis: nascitur supra forum Appii*. Pariter Athenaeus Dipnosophist. lib. I, cap. 24: ὁ δὲ Σητῖνος τῶν πρώτων ἐστὶν οἴνων, ἐμφερὴς τῷ Φαλέρνῳ, οὐ πληκτικός.

113. — FVNDANVM.

Haec Fundana tulit felix autumnus Opimi;
Expressit mustum consul, et ipse bibit.

2. *Expressit mulsum*. Hoc est, vinum adeo dulce beneque effectum, ut mulso non esset inferius. Quod si legas *mustum*, vinum decoctum et diffusum, vel vinum recens intellige. — *Ipse bibit*. Laus vini est, quod eo anno quo expressum, esset iam mulsum: hoc est, mulsum videretur. *Domitius*.

114. — TRIFOLINVM.

Non sum de primo, fateor, Trifolina Lyaeo,
Inter vina tamen septima vitis ero.

1. *Lyaeo*. Lyaeus cognomen est Bacchi qui hic pro vino sumitur.

2. *Septima*. Supra sex vini species enumeravit Poëta: iam Trifolino dat septimum locum. Et hoc Galenus apud Athenaeum, I, c. 24, qui hunc ordinem assignat: Falernum, Albanum, Surrentinum, Rheginum, Privernas, Formianum, dein Trifolinum.

115. — CAECVBVM.

Caecuba Fundanis generosa coquuntur Amyclis;
Vitis et in media nata palude viret.

116. — SIGNINVM.

Potabis liquidum Signina morantia ventrem;
Ne nimium sistant, sit tibi parca sitis.

1. *Signina*. E Signia opp. Italiae. — *Morantia ventrem*. Sistentia alvum.

2. *Sit tibi parca sitis*. Parce bibe.

117. — MAMERTINVM.

Amphora Nestorea tibi Mamertina senecta

Mamertinum. Mamertino vino auctoritatem et famam primus conciliavit C. Iulius Caesar dictator. *Mamertinum nascitur extra Italiam, quod in Sicilia Iotalinum dicitur, suave et robustum*.

1. *Nestorea senecta*. Hoc est, Mamertina vetustissima, quae tres homi-

Si detur, quodvis nomen habere potest.

num aetates vixere.

2. *Quodvis nomen.* Hoc est, vel Falernum, vel Setinum, vel Caecubum, etc. nominari potest, his enim vini speciebus aequiparari potest.

118. — TARRACONENSE.

Tarraco, Campano tantum cessura Lyaeo,
Haec genuit Tuscis aemula vina cadis.

1. *Tarraco.* Civitas Hispaniae nobilis, hodie *Tarragona*, ubi vinum erat tam egregium, ut praeter Campaniae vina, de quibus supra, cum aliis Italiae vinis comparari posset. *Tuscis* pro *Italicis*.

119. — NOMENTANVM.

Nomentana meum tibi dat vindemia Bacchum;
Si te Quintus amat, commodiora bibes.

120. — SPOLETINVM.

De Spoletinis quae sunt cariosa lagenis
Malueris, quam si musta Falerna bibas.

Spoletinum. In Vmbria populi sunt Spoletini, hodie *Spoleto*, unde vinum allatum a vetustate commandat Poëta: nec minus esse dulce sit quam Falernum recens expressum vel decoctum.

1. *Cariosa.* Vetusta et rugosa, sive malueris, coeno, sabulo, situ et aranearum filis obducta. Et hoc de vino dicit quod de lagena aptius et proprie diceretur. Ed. P. — *Lagenis.* Vas vinarium, quod modo e testa fiebat, interdum ex filis radicum tum fici, tum silvestrium arborum.

2. *Musta.* Legend. ex vat. codice *mista* notat Flosculus.

121. — PELIGNVM.

Marsica Peligni mittunt turbata coloni;

1. *Massica* edd. vett. Marsi Pelignis sunt vicini: partem faciunt regionis illius quae dicitur *Abruzzo*. Tum in vinis nominandis et laudandis ordinem quemdam bonitatis et excellentiae Poëta servavit. At Massicum vinum, quod Campania inter optima, Falernum v. g. Setinum, Surrentinum nominari debuerat. Caeterum non aspernendum Marsicum, de quo Athenaeus: *Marsicum valde austerum et confert stomacho.* Tum Horat. Carm. III, od. 14, 17: *I, pete unguentum, puer, et coronas Et cadum Marsi me-*

Non tu, libertus sed bibat ille tuus.

morem duelli, Spartacum si qua potuit vagantem Fallere testa.

2. *Non tu.* Supple, *here*. Significat domino bibenda vina multo meliora. Nimis enim austera erant vina Marsica quam aut domino aut convivantium illustrissimis biberentur.

122. — ACETVM.

Amphora Niliaci non sit tibi vilis aceti;
Esset quum vinum, vilior illa fuit.

1. *Amphora Niliaci.* Acetum ex vino Aegyptio confectum carius est quam vinum ex quo fit; illud enim debile et pessimum. Iuven. Sat. 13, 85: *Pharioque madentis aceto.*

123. — MASSILIANVM.

Quum tua centenos expugnet sportula cives,
Fumea Massiliae ponere vina potes.

1. *Quum tua.* Hoc est, quum sis tam dives ut centum clientes alere possis, cur convivis apponis vinum Massilianum vile et infumatum? Vide lib. X, epigr. 36. Sic interpretantur qui legunt cum interrogatione. Sed potes ita explicare: Quum habeas centum clientes, quos alis, appone ipsis vinum ingratum vilis pretii. Est enim, ut docet Plinius, lib. XXIII, cap. 1, fumo inveteratum insaluberrimum. Non tamen nimis vituperat Athenaeus qui libro primo illud dicit: *bonum, densum, corpulentumque, sed exiguum.* Martialis vero sententiam reprehendit, ut lib. III, ep. 82, 23, *Vel cocta fumis musta Massilitanis;* et lib. X, epigr. 36, 1, *Improba Massiliae quidquid fumaria cogunt,* atque aliis locis passim.

124. — CAERETANVM.

Caeretana Nepos ponat, Setina putabis.
Non ponit turbae, cum tribus illa bibit.

Caeretanum. Caere urbs est Tusciae, hodie *Cervetere*, in regione patrimonii D. Petri. de qua epigr. 54, supra, cuius vinum laudat, et cum Setino comparat, de quo sup. epigr. 112.

2. *Non ponit turbae.* Sed nobile illud vinum bibit cum intimis amicis. Vinum domini illud Petronius appellat quod convivator et flos convivantium, non omnes convivae potabant. Ed. P.

125. — TARENTINVM.

Nobilis et lanis, et felix vitibus Aulon,
Det pretiosa tibi vellera, vina mihi.

1. *Nobilis et lanis*, etc. Poëta enim facetissimus, diviti et cuicumque delicatulo lanas illas mollissimas relinquit, sibi vinum poscit. Qui tamen locus erit illustrior si Tarentum lanis non nativis tantum, sed purpura tinctis laudari meminerimus, ut in Hor. lib. II, epist. 1, 207: *Quid placet ergo? Lana Tarentino violas imitata veneno.* — *Aulon*. Vrbs est in ora occidentali Macedoniae, teste Ferrario huc referente hunc versum Martialis. *Aulon* tamen seu *Caulon* ab eodem dicitur oppidum Magnae Graeciae, hodie *Castelvetere*, in ora Calabriae ulteriori, iuxta promontorium Cocynthum.

126. — VNGVENTVM.

Vnguentum haeredi nunquam, nec vina relinquas.
Ille habeat nummos: haec tibi tota dato.

1. *Vnguentum*, etc. Praeceptum hoc est Epicuri disciplina, ut quisque suis bonis praesens praesentibus fruatur, potissimum quae ad cutem curandam pertinent. In quo genere, vina, odores, unguenta, etc.

127. — CORONA ROSEA.

Dat festinatas, Caesar, tibi bruma coronas;
Quondam veris erat, nunc tua facta rosa est.

Extremo disticho adulatur Caesari Domitiano, veluti Deo, ad cuius nutum natura vertat vices, solita prius rosam vere tantum gignere, nunc autem et autumno, immo ipsa hieme: quodque hominum solertia fiebat, id Caesaris divinae potestati aut Caesarem amantibus Diis attribuit, *Rader*.

1. *Festinatas coronas*. Hoc est, coronas praecoces, ante tempus et vernos dies provenientes. Et addit *bruma dat*, quia mense Decembri Saturnalia celebrabantur et Xenia mittebantur. Vide lib. VI, epigr. 80, ubi de rosis hibernis quas in gratiam Domitiani hieme nasci assentatorie dicit poëta. — *Caesar, tibi bruma coronas*. Domitiane. Supra epigr. 4, vss. 1 et 2. — *Bruma*. Solstitium hibernum intellige, qua anni tempestate nulla est frigidior.

2. *Quondam veris erat*, etc. Natura sua rosae erant vernae, in tuam gratiam hibernae factae sunt. Adulatorie scilicet. Vid. quae supra ad titulum.

M. VAL. MARTIALIS
EPIGRAMMATVM
LIBER XIV
CVI APOPHORETA INDITVM NOMEN.*

I. — AD LECTOREM.

Synthesibus dum gaudet eques, dominusque senatu,
Dumque decent nostrum pilea sumpta Iovem;

* *Apophoreta.* Quae sic explicat Turnebus c. 23, l. IX. Ego, inquit, eo nomine esistimo significari munera, quae convivis dantur, ut ea domum referant, unde et nomen adepta sunt, scilicet ab ἀποφέρω. Epigr. huj. v. 6, Poëta videtur sic accipere Apophoreta: *Praemia convivae det sua quisque suo.* Suetonius in Vespasiano, cap. 19: *Sicut Saturnalibus dabat viris apophoreta, ita per Kalendas Martias feminis.*

— Ad lectorem hoc epigramma scriptum quasi praefatiunculae loco; quo describit carptim Saturnalium celebrationem et libri materiam humiliorem escusat, opusque ab ipsa brevitate distichorum commendat. *Rader.*

1. *Dominisque senatus* alii. *Domini* vero hic essent servi, quibus tunc serviebant senatores, aliique domini. — *Synthesibus.* Bayfius de Re Vest. cap. 10: Saturnalibus, inquit, per quinque dies S. P. Q. R. togas reponebant, et synthesibus utebantur; et erant viliores vestes. Infra ep. 141: *Dum toga per quinas gaudet requiescere luces, Hos poteris cultus sumere iure tuo.* — Erat syuthesis vestis coenatoria, ut lib. II, epigr. 46; et lib. V, epigr. 79, 1 et 2: *Vndecies una surrexti, Zoile, coena; Et mutata tibi est synthesis undecies.* Et si fuisset villor vestis, ut ait Bayfius, quid illam ostentavisset Zoilus? Verum Saturnalium tempore synthesi utebantur equites et senatores, quod tunc continua convivia agerent.

2. *Dumque decent nostrum.* Hoc est, Domitianum, quem saepius Iovem appellavit. Saturnalibus vero pileati incedebant Romani.

Nec timet aedilem moto spectare fritillo,
　Quum videat gelidos iam prope verna lacus:
Divitis alternas, et pauperis accipe sortes;
　Praemia convivae det sua quisque suo.
Sunt apinae, tricaeque, et si quid vilius istis.
　Quis nescit? vel quis tam manifesta negat?
Sed quid agam potius madidis, Saturne, diebus,
　Quos tibi pro caelo filius ipse dedit?
Vis scribam Thebas, Troiamque, malasque Mycenas?
　Lude, inquis, nucibus: perdere nolo nuces.
Quo vis cumque loco, potes hunc finire libellum;

3. *Nec timet aedilem.* Vid. lib. V, epigr. 86, 5. Praeteritis enim Saturnalibus ab aedilibus castigabantur aleatores.

4. *Quum videat*, Quum servi videant adesse Decembrem mensem hibernum. *Farnab.* Puto explicandum, in quos alias, quum Saturnalia non sunt, deprehensus ab aedile soleret demergi. *Lacus* interpretor cloacas. Et huc alludi puto lib. V, epigr. 84, 4 sq. *Arcana modo raptus e popina Aedilem rogat udus aleator.* Neque enim *udus* mihi vino madens, sed aqua, in qua, poenae caussa tenetur, et rogat, ut celerius ex poena mittatur, et una mersione defungatur. Quamquam et perfundi aqua potuerint contumeliae caussa: ut ipsum aedilem, *succensens curam viis verrendis non adhibitam*, Caius *luto iussit oppleri, congesto per milites in praetextae sinum*, Sueton. Vespas. cap. 5: Sic Bibulo καταβαίνοντι κοπρίων ἐπεσκεδάσθη κόφινος a factione Caesaris, ut refert Plutarchus in Catone Vticensi. *Gronovius.*

5. *Divitis alternas.* Hunc versum sic explicat Turnebus lib. XI, cap. 23: quod nempe misceantur in his Apophoretis alternatim dona divitum, citrei pugillares et eburnei, chartae maiores, etc. cum donis pauperum, qualia sunt quincuplices, triplices, chartae epistolares, etc. atque haec per sortem, et ita ut si interdum, inquit, plura lemmata unius sortis continuentur: subiiciantur tamen diversa, alternenturque divitum et pauperum sortes.

7. *Sunt apinae.* Sic respondet lector. De apinis vero dictum lib. I, epigr. 114, 2.

8. *Quis nescit.* Hoc lectori subiicit Poëta.

9. *Madidis, Saturne, diebus.* Saturnalibus, quibus promiscue a servis et dominis indulgebatur genio, Baccho et festis, ita ut per quinque dies fere totos vino madescerent. Amat autem Noster hac voce *madidus* uti ad designandam ebrietatem.

10. *Pro caelo.* E caelo nempe Saturnus a Iove filio eiectus fuit. Haec fabula satis nota.

11. *Vis scribam Thebas.* Bellum Thebanum, Troianum, aut raptam Helenam, expeditionemque Agamemnonis, qui rex fuit Mycenarum; quas vocat *malas* propter scelera illic

Versibus explicitum est omne duobus opus.

a Tantalo et posteris Tantali commissa.

14. *Explicitum*, etc. Hoc est, finitum, numeris omnibus absolutum.

2. — APOPHORETA.

Lemmata si quaeris cur sint adscripta, docebo;
Vt, si malueris, lemmata sola legas.

3. — PVGILLARES CITREI.

Secta nisi in tenues essemus ligna tabellas,
Essemus Libyci nobile dentis onus.

Pugillares. Gallice *tablettes à écrire*. 1. *Secta nisi in tenues essemus*. Ipsi nimirum pugillares loquuntur, et dicunt: Nos ligna, nisi in tenues laminas arte mira dissecta fuissemus, etc. Hoc est: Mensae citreae essemus fultae eburneis pedibus. Nam frequentes in Libya et viciniis regionibus elephanti. Iuvenalis Sat. X, 149: *Rursus ad Aethiopum populos, altosque elephantos*. Secabantur ligna in laminas tenuissimas, cera illinebantur, et stylo exarabantur ut Gellius lib. 17, cap. 9, exponit; unde forsan venit nomen pugillares, quasi pungerentur. Colore etiam diversi erant, lutei, virides, crocei, albi, gilvi, etc.

4. — QVINCVPLICES.

Caede iuvencorum Domini calet area felix,
Quincuplici cera quum datur auctus honor.

2. *Quincuplici cera*, etc. Id est: decretus consulatus vel triumphus denunciatur hoc genere pugillarium, a forma et circumgestationis commoditate, quod manu pugno ve tenerentur: unde *ἐγχειρίδια* et *manuales* dictae; a numero vero foliorum dicebantur duplices, triplices, quincuplices.

5. — PVGILLARES EBOREI.

Languida ne tristes obscurent lumina cerae,
Nigra tibi niveum litera pingat ebur.

Pugillares eburnei (ut scribit Canio, Emendat. lib. II, cap. 6) videntur duplices, hoc est, duarum paginarum fuisse omniumque exceptis citreis pretiosissimi, etc. Symmachus quoque lib. III, epist. 30, pugillarium eburneorum sive eboreorum, hoc genus, meminit.

1. *Languida ne*, etc. Quibus per morbum vel aetatem obtusior est oculorum acies, ut non discernant quae ceratis inscribuntur, atramento inscribant ebori; ater quippe color albo iunctus acrius ferit sensum et facilius perspicitur, quam quae alba albis insculpuntur.

6. — TRIPLICES.

Tunc triplices nostros non vilia dona putabis,
Quum se venturam scribet amica tibi.

1. *Triplices.* Qui, a tribus foliis sic dicti, rebus amatoriis et levioribus scribendis inserviebant, dum in quincuplicibus honores et magistratus potissimum scriberentur: dona vero pauperum erant. Vid. quae diximus ad epigram. 4 supra. — *Non vilia.* Quanquam leviora et vilia vulgo haberentur.

7. — PVGILLARES MEMBRANEI.

Esse puta ceras, licet haec membrana vocetur;
Delebis, quoties scripta novare voles.

1. *Esse puta.* Tales hodie passim fiunt deletiles membranae vel una pagina vel pluribus, quae gypso cretaque obducuntur illinunturque. Membranas vero Pergami repertas fuisse ex Varrone refert Plinius cap. 11, lib. XIII, ubi multa de membranarum inventione vetus annotator Guilandinus. Literae autem in membranis scriptae vulgo deleri non poterant.
2. *Delebis, quoties... voles.* Quia nempe, ut iam supra diximus, gypso et creta obducebatur accurate membrana cui, si pura atque sincera remansisset, nunquam delenda inscribebantur.

8. — VITELLIANI.

Nondum legerit hos licet puella,
Novit quid cupiant Vitelliani.

2. *Capiant* cod. Beverl. Melius tamen *cupiant*, quasi, amatoris instar qui iis epistolium inscripsit, ipsi amarent et cuperent. — *Vitelliani.* De quibus lib. II, epigr. 6. Pugillares nempe, in quibus res amatoriae scribebantur, atque ad puellam mittebantur. Vnus nempe illorum fere idem qui triplicium; et idem fere de his dixerat Martialis: *Tunc triplices nostros non vilia dona putabis, Quum se venturam scribet amica tibi.* Epigr. 6 sup.

9. IIDEM.

Quod minimos cernis, mitti nos credis amicae;

1. *Quod minimos.* Ipsi nimirum loquuntur per prosopopoeiam, ut in praecedenti epigrammate, Vitelliani, et audientibus nuntiant non mitti se ad amicam sub noctem petendam, vel ad rogandum aliquid eiusmodi;

Falleris: et nummos ista tabella rogat.

sed mitti se ad aliquem foeneratorem aut divitem ad petendam pecuniam. Videat lector. — Vulgatam lectionem retinet Domitius. et dicit Vitellianos fuisse loculos ex corio confectos, quos sic explico: Quum in illis Vitellianis essent nummi, ad amicam illos mitti credere potuisset aliquis; at mutuo erant accepti et forte ab ipsa amica. Alii sic interpretantur: Nummos, quorum mentio in his pugillaribus, non mitto amicae, sed posco ab illa. — Ingeniosissima sane quae hic Domitius divinavit. Sed tanta acuminis subtilitate minime opus est. Nummos et noctem pariter flagitare hae tabellae volebant. Procul dubio duplex hisce temporibus Vitellianorum usus invaluit, dum his vel scriberent ad amasios et amicas, vel pecunias mutuo dari precarentur aut mutuo datas reposcerent. At cur hoc velut rem miram nuntiat Poëta? cur ait: *mitti nos credis amicae*: *Falleris....*? Id ego crediderim, non antehac duplicem fuisse usum Vitellianarum tabellarum, et amatoriis nugis, non aliis, reservatas de pecunia nunquam retulisse; at quum glisceret luxuria et omnia in dies ita invaderet, ut de seriis rebus iam quasi per iocum et inter lances cathedrasque ageretur, placuisse mox Romanis gravissima quaeque eodem libello amplecti quo levissima, et rem argentariam quo amatoriam. Sic iis fere temporibus diversissima miscens gloriabatur Otho, *Occidere Galbam et curare cutem.... Bebriaci campo spolium affectare Palati Et pressum in faciem digitis extendere panem*; Iuven. II, 105. Conici quoque potest Vitellianorum alios fuisse magnitudine satis notabiles, alios perexigui voluminis; in his vero ut plurimum ludicra et amatoria, in illis res serias tractari; aliquando tamen inversum a quibusdam hoc consuetudinis, et actum de pecunia in exiguis, in magnis de voluptate. Ed. P.

10. — CHARTAE MAIORES.

Non est, munera quod putes pusilla,
Quum donat vacuas poëta chartas.

1. Legendum puto *pusilla* sine virgula. Alii *petis*: quum in iis nec sunt nummi nec carmina.

2. *Quum donat vacuas.* Chartae maiores sunt loculi chartei, grandiores, quae puellae mittuntur inanes, ut supra sunt Vitelliani.

11. — CHARTAE EPISTOLARES.

Seu leviter noto, seu caro missa sodali,

Duplici modo scribere antiquis usitatum fuit, in tabellis nimirum quas cera illiverant (quae apud Graecos vocabantur σανίδες, πινακίδες, δελτία, δίπτυχα, τρίπτυχα, etc, apud Latinos pugillares, Vitelliani, duplices, etc.), et in chartis. Non eodem autem modo quo apud nos chartae fabricabantur, quae ex linteolis contritis et aqua maceratis conficimus, sed e quodam

Omnes ista solet charta vocare suos.

iunco qui in palustribus Aegypti repertus fuit, et papyrus nomen habet, vel ex animantium membranis pelli proximis; hoc autem chartae genus membrana vel pergamena appellabatur.

1. *Seu leviter noto.* Nam seu ad hominem parum notum, seu ad amicum carissimum et familiarissimum scriberent Antiqui, epistolae semper haec praefigebatur Inscriptio: *Suo* vel *Suis*: verbi gratia, *M. Tullius Cicero Attico suo, etc.*

12. — LOCVLI EBOREI.

Hos nisi de flava loculos implere moneta
Non decet; argentum vilia ligna ferant.

2. *Vilia Ligna.* Hoc est, loculi lignei viles.

13. — LOCVLI LIGNEI.

Si quid adhuc superest in nostri faece locelli,
Munus erit: nihil est, ipse locellus erit.

1. *Si quid.* Hoc est: Si quid aeris supererit in fundo meae capsulae, donabo: sin minus, dabo ipsam crumenam.

14. — TALI EBOREI.

Quum steterit nullus vultu tibi talus eodem,

1. *Quum steterit.* De talis iam diximus lib. IV, epigr. 14, et lib. XIII, epigr. 2. Calcagninus de Talis: «Sex sunt, inquit, tali latera, etsi quatuor tantum in usu ludentium sint; nam duo sunt ita incurva, ut illis talus vix possit consistere. Has κεραίας, id est, antennas, videtur Aristoteles appellasse. Proinde scitum est in talo binarium et quinarium, qui duo numeri sunt in tesseris oppositi, desiderari. Ex reliquis quatuor tali partibus una supina, altera prona dicitur: quae duae ternarii et quaternarii vices obeunt. Vnitas autem et senio duabus reliquis partibus tribuuntur: senionem vero Coum, unitatem Chium vocabant.» Et paulo infra: «Sed omnes casus talorum ex consuetudine ludentium annumerati erant quinque et triginta; quorum quidam a diis, alii ab heroibus, alii a claris hominibus aut a meretricibus nomen accipiebant: nonnulli vero ab eventibus qui cum laude aut probro acciderant, denominabantur. Senio autem a Venere nuncupatim separatur apud Suet. cap. 71 in epist. Augusti ad Tiberium: *Lusimus, mi Tiberi,* γεροντικῶς *et heri et hodie. Talis enim iactatis, ut quisque canem aut senionem miserat, in singulos talos singulos denarios conferebat, quos tollebat universos, qui Venerem iecerat.* Idem Calcagninus:

Munera me dices magna dedisse tibi.

« Sed quoties tali ita excidebant, ut diversa asset omnibus facies, qui iactus inter eos, quos quinque et triginta Eustathius dixit, ultimus numerabatur; tum felix ille casus, qui Veneris nomine censebatur, affulgebat; quum nempe unus talus canem, alter ternarium, tertius quaternarium, quartus senionem.... » Hinc clarâ est huius distichi sententia.

2. *Munera.* Vincebat enim qui Venerem iecerat.

15. — TESSERA.

Non sim talorum numero par tessera, dum sit
Maior, quam talis, alea saepe mihi.

Tessera. Vitruvius lib. V: *Cubus est, corpus ex sex lateribus aequali latitudine planitierum quadratum. Is quum est iactus, quam in partem incubuit, dum est intactus, immotam habet stationem: uti sunt etiam tesserae quas in alveo ludentes iaciunt.* Macrobius Saturnalium lib. II, cap. 2: *Tessera Graeco nomine κύβος appellatur.*

1. *Non sim numero par.* Duabus enim tribusve tesseris, quatuor autem ad minimum talis, contendebatur in acie lusoria. Calcagninus de Tesseris. Vide lib. XIII, ep. 1.

2. *Maior alea.* Hoc est, dum maior pecunia meo ludo, quam talis committatur.

16. — TVRRICVLA.

Quae scit compositos manus improba mittere talos,
Si per me misit, nil nisi vota facit.

Turricula. Quae nempe inventa est ad vitandas in ludo talorum fraudes veteratorum. Turricula autem haec cylindri mathematici satis similem formam habebat, cava tamen et intus capreolatim gradatimque effecta ut tali excutiendi impingerent. Graeci Graeco nomine appellabant πύργον, qua etiam apud Latinos invalescente voce usus ast Horatius, lib. II, Sat. VII, 17: *qui pro se tolleret, atque Mitteret in pyrgum (al.* phimum) *talos, mercede diurna Conductum pavit.*

1. *Compositos.* Aleatores enim quidam peritissimi et lucri avidissimi ita in manu talos saepe componebant, ut optata puncta saepe apparerent.

2. *Si per me.* Si per me, turriculam nempe, ex qua seu pyrgo quum amittuntur tali, nullus dolo, sed fortunae tantum locus est.

17. — TABVLA LVSORIA.

Hic mihi bis seno numeratur tessera puncto;
Calculus hic gemino discolor hoste perit.

1. *Bis seno, etc.* Duae sunt doctorum virorum de huius versiculi sensu opiniones. In abaco (inquiunt), seu alveo luditur duabus tesseris, quarum numerus summus, duplex senio. Sed quid si dicamus abacum hunc fuisse distinctum 12 ab omni latere tesseris seu spatiis quas regiones, urbes seu mandras appellabant? ut lib VII, ep. 72, vs. 8. — Audias harum sententiarum utrique patrocinantes fusius Salmasium et Gronovium. Prius quidem sic fere Salmasius: « *Hic*, id est, in tabula duodecim punctis notata, luditur ad tesseram; et in eadem etiam tabula calculis, hoc est latrunculis luditur. Hic est sensus illius distichi. Eadem igitur tabula et tesseris et latrunculis serviebat: sed alterum tabulae latus, in quo tesseris ludebatur, lineis vel punctis duodecim descriptum distinctumque erat, in quibus calculi varie disponebantur, prout tesserae cecidissent. Lineas illas sive puncta, *scripta* etiam Latini vocabant, Graeci γραμμὰς vel γράμματα. » Ita Salmasius. At Gronovius postquam dixit primum ab initio legendum e MS. *Hac mihi*, et τὸ *hac* sic explicat, « Nempe tabula lusoria, ut epigr. 35 et 47 » adiicit: « Deinde duodecim puncta non sunt tabulae, ut in falso contendit Salmasius, et post eum alii multi crediderunt, sed binarum tesserarum, quum singulae non ultra sex habeant. Vid. de Pec. Vet. III, 15. » Iudicet lector. Nos quidem posterioris sententiam libentius amplectimur, et levi quidem, non tamen pessimo argumento firmare tentabimus. Nullus sane id in dubitationem movebit, voluisse Martialem in hoc disticho indicare quis sit tabulae lusoriae usus, et quotuplex. Duplex ille est? At usitatum Nostro est, ubi sic de duobus sive rebus sive viris canit, similitudinem quamdam et veluti συμμετρίαν in versiculis instituere. Sic et in eo epigrammate, ubi respondet *hic* (vel *hac*) τῷ *hic* (vel *hac*), *tessera* τῷ *calculus*, *numeratur* τῷ *perit*, *bisseno puncto* τῷ *gemino hoste*. At *gemino hoste* de *calculus* dicitur, non de *perit*. Sic igitur in priore versiculo *bis seno puncto* de *tessera* dictum esse, *ad tesseram referendum* esse omnino existima.

18. — NVCES.

Alea parva nuces, et non damnosa videntur;
Saepe tamen pueris abstulit illa nates.

1. *Alea parva.* Pro re deposita in ludo hic capitur quae parva est, et nec damnum facit, nec lucrum; pueris tamen sat grandis est, quum vapulant. Lib. V, epigr. 84, vs. 1.

2. *Obtulit* Beverlandi MS. « Est qui legat *abscidit*, ex illo versiculo, *Mavis Rufe coquum scindere quam leporem.* » Flosculi annotat. *Ille* in marg. ed. Langii. — *Abstulit illa nates.* Nudavit ad poenas et virgam aut flagellum, si ultra diem permissum luserint. *Farnabius.* — Videtur potius aliquid turpe ac nefandum significari. *Gronovius.*

19. — THECA CALAMARIA.

Sortitus thecam, calamis armare memento;
Caetera nos dedimus, tu leviora para.

Theca, a graeco θήκη, quod a τίθημι, id est in quo aliquid reponitur asservandum, quasi diceretur *conditorium*, *repositorium*, *armarium*. Hinc multa etiam apud Latinos vocabula; ut *bibliotheca* (βιβλίον, *liber*), loculi nempe ad reponendos libros, *dactyliotheca* δακτύλιον, *annulus*), scrinium quo servantur annuli, *chirotheca*, *etc.*

2. *Caetera nos dedimus.* Thecam nempe calamis reponendis idoneam. — *Tu leviora para* Calamos scilicet, stylum, etc.

20. — CALCVLI.

Insidiosorum si ludis bella latronum,
Gemmeus iste tibi miles, et hostis erit.

1. *Insidiosorum*, *etc.* In insidiis enim latent subsessores quidam e latrunculis, qui hostem incautum intercipiant. Calculorum ergo et latrunculorum ludus idem omnino fuit. Nam et latrunculi *calculi* dicebantur. Ovid. Art. Am. II, 207: *Saepe latrocinii sub imagine calculus ibit.* Et Noster lib. VII, epigramm. 72, 8: *Sic vincas Noviumque Publiumque Mandris et vitreo latrone clausos.* Calculi ergo et latrones iidem. Graeci recentiores ζατρίκιον, hunc latronum ludum vocarunt. Quia totum Zatricii aut latronum ludi negotium, bellum erat, vel belli simulacrum: hinc calculi ipsi quibus ludebatur, et latrones, et milites dicebantur.

2. *Gemmeus*, *etc.* E vitro aliquando et e gemma discolori factae latrunculorum binae acies. Sic et Noster in lib. VII, versib. iam citatis: « *vitreo* latrone clausos » Poëta vetus (quem Lucanum aiunt): .... *et vitreo peraguntur* (vel *pugnantur*) *milite bella.*

21. — GRAPHIARIVM.

Haec tibi erunt armata suo graphiaria ferro;
Si puero dones, non leve munus erit.

Graphiarium. Theca est graphiorum: graphium autem stylus est scriptorius, seu librarius stylus sic dictus a Graecis γράφω, *scribo*.

1. *Armata suo ferro.* Hoc est, suo stylo ferreo.

22. — DENTISCALPIVM.

Lentiscum melius: sed si tibi frondea cuspis
Defuerit, dentes penna levare potest.

Dentiscalpium. Instrumentum sic ab usu appellatum: quippe quo circumpurgabantur dentes. Es diversis vero materiis, quarum pretiosiores illae, illae viliores, conflabatur Et primum quidem es argento aliisve metallis. Trimalcionem ait Petronius dentes sibi spina argentea perfodere. Maximi aestimata post metallum ad haec conficienda leotiscus arbor; et ex ea factum instrumentum, neutro genere, *lentiscum* appellabatur.

1. *Frondea cuspis.* Leotisci scilicet. Vid. supr.

2. *Penna.* Alii *pinna.* Vide lib. III, epigramm. 82: *Suggeritque ructanti Pinnas rubentes, cuspidesque lentisci.*

23. — AVRISCALPIVM.

Si tibi morosa prurigine verminat auris,
Arma damus tantis apta libidinibus.

1. *Verminat.* Hoc est, torquetur vermibus: quo seosu noo sumitur hic, sed pro, titillatur: alio quippe remedio quam auriscalpio opus esset ad curandum huoc morbum.

24. — ACVS AVREA.

Tenuia ne madidi violent bombycina crines;
Figat acus tortas, sustineatque comas.

1. *Tenuia*, *etc.* Vt τὸ *bombycina* pro ipso oomine ponatur; materia pro forma: ne igitur reticula bombycina et subtilia et tenuia violent madidi capilli. Erat enim in reticulis, fasciis vittisque lusus ingens. — Anne igitur, dum capillitii pars melior figitur io capitis vertice atque sustineatur acus ausilio, vetat illa acus infimis et paucioribus comae ordioibus reticula, fascias, vittas inquinari? Minime: nec is est sensus, sed: Ne soluta et lusurians caesaries, dum humeris involitat, holosericam vestem commaculet, hanc cohibe et acu fixam veta oe cadat inferius. Ed. P.

25. — PECTEN AD CALVAM.

Quid faciet, nullos hic inventura capillos,
Multifido buxus quae tibi dente datur?

1. *Quid faciet.* Pectioe buxeo calvum quemdam donat, quo non ipsi opus erat, atque ita illum irridet Poëta.

26. — SAPO.

Caustica Teutonicos accendit spuma capillos;
Captivis poteris cultior esse comis.

Sapo. Plinius lib. XXVIII, cap. 12: *Prodest et sapo, Gallorum hoc inventum, rutilandis capillis, ex sevo et cinere. Optimus fagino et caprino, duobus modis, spissus ac liquidus: uterque apud Germanos maiore in usu viris quam feminis.*

1. *Caustica*: quum codex Mediolanensis sic habeat, atque sic quoque in MS. suo legerit Raderus, demirari satis nequeo, quod probam lectionem non retinuerit. Catticaspuma est Batava: lib. VIII, epigr. 33. *Beverl.*

2. *Captivis comis.* Germanorum scilicet, quos subegerat Domitianus. Notissimum autem est, flavos et fuisse et esse crines Germanorum; qui color valde apud Graecos et Romanos commendatus. Sensus ergo est: Si sapone utaris, Germanorum elegantiam comae tuae elegantia superare poteris.

27. — MATTIACAE PILAE.

Si mutare paras longaevos, cana, capillos;
Accipe Mattiacas (quo tibi, calva?) pilas.

2. *Accipe Mattiacas.* Turnebus lib. IX, cap. 23, *Mattiacas pilas* interpretatur saponis quoddam vile genus, quo tincti capilli cani nigrescunt. Mattiacae a Mattiaco oppido Germaniae, *Baden.* Sic Farnabius. Ortelius vero congruere sit cum *Marpurg.* — *Quo tibi, calva?* Quem ad usum tamen, si calva es? Alloquitur nempe anus omnes poëta; mox calvas esse quasdam cogitat, inutile ergo munusculum suum, et hoc ipsum ridet.

28. — VMBELLA.

Accipe quae nimios vincant umbracula soles,
Sit licet et ventus, te tua vela tegent.

Vmbella. Gallice *parasol.*

1. *Quae nimios vincant umbracula soles.* Vela, quibus circumdabatur theatrum, dum exhiberentur spectacula, aliquando vento vehementiori agitata solem admittebant, ad quod arcendum incommodum umbella erat utilissima. Sensus ergo: Sicubi publica defecerint in theatris vela, ventis revoluta, vela privata subinde arceant nimios solis ardores, ventique vim. *Vmbella* dicta ab umbra quam facit, Graecis σκιάδιον: feminis hodie nobilioribus usitata, frequens in Italia: caput velut caelum quoddam undequaque tegit.

2. *Te tua vela tegent.* Hoc est, tua umbella.

29. — CAVSIA.

In Pompeiano tectus spectabo theatro;
Nam ventus populo vela negare solet.

30. — VENABVLA.

Excipient apros, exspectabuntque leones;
Intrabunt ursos, sit modo firma manus.

1. *Excipient.* Venabula scilicet, quae sunt venaticae hastae, tela, vel spicula.

2. *Sit modo firma.* Secus enim ictum declinarent ursi et leones, et venatorem ipsum invadarent.

31. — CVLTER VENATORIVS.

Si deiecta gemes longo venabula rostro;
Hic brevis in grandem cominus ibit aprum.

1. *Deiecta longo, etc.* Declinata vel exuta a fera: sic Met. X, 713, aper ille Ovidianus Adonidis *excussit pando venabula rostro* in puerum ruens. Malo enim de rostro apri intelligere, quam de venabulo, cuius longam aciem Raderus dici rostrum putat.

2. Pro *brevis* Scriv. legit *levis.* — *Brevis.* Sensus est: Si excusserit tibi venabulum aper, supplabit vicem venabuli culter.

32. — PARAZONIVM.

Militiae decus hoc, et grati nomen honoris,
Arma tribunicium cingere digna latus.

Parazonium. Παραζώνιον, cingulum cum ense. Alii dicunt gladii genus esse, quod ad zonam accingebatur. Honoris caussa ab Imperatoribus tribuni donabantur hoc gladio. Sic Traianus Surae gladium, quo accingendus erat, porrexit: Τὸ ξίφος, ὃ παραζώννυσθαι αὐτὸν ἐχρῆν ὤρεξεν, Dio in Vita Traiani. Parazonii quoque mentionem fecit Athenaeus lib. IV.

33. — PVGIO.

Pugio, quem curvis signat brevis orbita venis,
Stridentem gelidis hunc Salo tinxit aquis.

1. *Brevis orbita.* Circulos venarum curvarum appellat orbitam: venae autem apparent in ferro polito et temperato. Sic Raderus.

2. *Stridentem.* Dum enim ferrum candens aqua temperatur, strepitum edit.

34. — FALX EX ENSE.

Pax me certa ducis placidos curvavit in usus.
Agricolae nunc sum, militis ante fui.

2. *Militis.* Nempe, quum essem telum militare.

35. — SECVRICVLA.

Quum fieret tristis solvendis auctio nummis,
Haec quadringentis millibus empta fuit.

Securicula. Hoc est, parva securis.
1. *Quum fieret.* Quum bellorum civilium tempore civium proscriptorum bona sub hasta vendereotur, haec seeuricula summo pretio vendita fuit; quod tunc ferrum rebus aliis omnibus carius esset, quum omnes ad arma concurrerent. An forte pretiosa fuit ab artificis opere? Videat lector. — Nos non hic immorabimur, utri esplicaotium favendum sit quaesituri (prior enim sensus ridiculus nimium; et *tristis* epitheton est quod semper huic voci *auctio* iungitor, et *solvendis nummis* perspicuum facit de proscriptis hic non agi); sed legentem admonebimus, voluisse Martialem iudicare quaoti facienda haec securis, et quam infioito pretio emenda. Nam in ea auctione quam pecuniolae egens facis, pecuniolam tibi utcumque paraturus, vilissimo pretio saepius pretiosa multa vendis. Tali igitur in auctiooe si quadringentis permutata tibi est securis, quam pretiosa et pulchra illa est! Ed. P.

36. — FERRAMENTA TONSORIA.

Tondendis haec arma tibi sunt apta capillis;
Vnguibus haec longis utilis, illa genis.

1. *Haec arma. Forfex.* Ne mireris vero istam vocem *arma* pro *instrumenta* usurpari. Sic saepe omnes, et ipse paullo supra, ep. 23: *Arma damus tantis apta libidinibus.*

2. *Haec longis utilis.* Scalprum tonsorium. Namque et uogues resecare ad tonsores pertinebat. Vt de Bruti Porcia refert Val. Max. et de Vulteio, Horatius. — *Genis.* Novacula.

37. — SCRINIVM.

Constrictos nisi das mihi libellos,
Admittam tineas, trucesque blattas.

Componendos ait, et constringendos in scrinio libros, ne soluti corrumpaotur, et tineis blattisque ludibrium fiant. *Rader.*

1. *Constrictos.* In arcula quippe coarctandi sunt libri, ne soluti corrodantur vermibus.

2. *Admittam.* «Quid si legamus *Admitteut*, sc. libelli?» *Schrevel.* — *Tinea* et *blatta* saepe iunguntur.

38. — FASCES CALAMORVM.

Dat chartis habiles calamos Memphitica tellus;
Texantur reliqua tecta palude tibi.

39. — LVCERNA CVBICVLARIA.

Dulcis conscia lectuli lucerna,
Quidquid vis facias licet, tacebo.

1. *Dulcis conscia, etc.* Aristophanes, concionantum feminarum act. I, scen. 1, vs. 12, 13: Μόνος δὲ μηρῶν εἰς ἀπορρήτους μυχοὺς Λάμπεις ἀφεύων εἰς ἐπανθοῦσαν τρίχα, στόας, κ. τ. λ. et ipse Noster: *me ludere teste lucerna, Et iuvat admissa rumpere luce latus.* Lib. XI, epigr. 104, 5. Eaigiturque testimonium a lucerna contra Megapenthen, in Luciani κατάπλῳ.

40. — CANDELA.

Ancillam tibi sors dedit lucernae,
Tutas quae vigil exigit tenebras.

1. *Ancillam.* Lucerna utebantur divites, candela vero pauperes, quam ancillam lucernae vocat instar pauperiorum feminarum, quae ditioribus mulierculis ancillantur.
2. *Tutas.* Hoc est: Licet lucernae ancilla sit candela, tamen idem tibi officium praestat: modicum enim lucens candela tenebras satis discutiet, neque si per noctem viam facias, quidquam offendes.

41. — LVCERNA POLYMYXOS.

Illustrem quum tota meis convivia flammis,

Lucerna Varroni lib. IV de lingua latina, a *luce* dicta; merito, neque audiendus Isidorus qui a *licinio* derivatam asseverat: quanquam forsan mirum alicui videbitur primam in *lucerna* corripi, etc. at non bine manantibus vocabulis *luceo, lucidus.* At sic *humanus* ab *humus*; *fidus, confidere* a *fides.* Caetera de genere hoc adeo sunt multa, loquacem delassare valent Smetium. Aegyptiis vero lucernarum usus deberi videtur, narrante Eusebio de praeparat. evang. candelabro vero posterior fuit; et Noster paullo infra: *Non norat parcos uncta lucerna patres.* Vid. Athenaeus et e recent. Casaubon. in Animadv. lib. XV, ubi de lychnis et xylolychnis atque lychnorum inventione congessit multa. — *Polymyxos.* Hoc est, plura habens ellychnia seu funiculos, μύξας, ex πολὺς et μύξα. Vnde δίμυξος, τρίμυξος, τετράμυξος, πολύμυξος, hoc est, lucerna duorum ellychniorum, trium et plurium. Μύξα vero hic idem ergo ἐλλύχνιον, seu fomes lychni

Totque geram myxas, una lucerna vocor.

et lucernae; ita ut in una lucerna plures lychnuchi, rostraque, quae sustinent vel candelas, vel cereos; ut plerumque pensiles sunt lychnuchi, qui sex, septem aut plura lumina in orbem ferant. Μύξα vero apud graecos propria est humor ex naribus profluens (Iulii Pollucis Onomastic. ῥιθμα τῆς ῥινός), vel ipsa naris. Nonne ergo mirum voce tali fumitam indicari luminosum? Non magis quam voce Gallica *bec* in Galliis vasa tubosque appellari quae flammam ἀφ' ὑδρογίνους (sic vocant rerum naturalium docti) anlitescentem vomere videntur. Ed. P.

1. *Tota convivia*. Triclinium intellige, ubi celebrantur convivia; rem pro loco.

42. — CEREVS.

Hic tibi nocturnos praestabit cereus ignes;
Subducta est puero namque lucerna tuo.

Neque ulla est membranarum neque edd. libb. discordia in scriptura exhibenda.

1. *Cereus*. Saturnalium diebus cereos a pauperibus donari solitos iam diximus lib. V, epigr. 18.

43. — CANDELABRVM CORINTHIVM.

Nomina candelae nobis antiqua dederunt:
Non norat parcos uncta lucerna patres.

1. *Nomina candelae*. Candelabra Corinthio ex aere summo erant in pretio, de quibus ait Plinius lib. XXXIV, cap. 2 et 3. A candelis vero quae imponebantur candelabris, et quibus utebantur candelabris, et quibus utebantur Veteres nondum inventa lucerna, ea candelabra dicta sunt. Candelabrum Corinthium divitis erat munus, ligneum autem pauperis. Et hic observa, ut saepius, fidelem versiculo suo poëtam, *Divitis alternas et pauperis accipe sortes* (supra epigr. 1), lautiora saepe vilioribus miscere, lucernae cereum, candelabro Corinthio lignaeum, et alia alia huiusmodi.

44. — CANDELABRVM LIGNEVM.

Esse vides lignum: serves nisi lumina, fiet

locus est in vila candelabrum, quod tamen Poëta ait custodiendum sedulo esse; ne accensum per imprudentiam ipsum candelabrum fiat lucerna et totum ardeat. Namque in candelabro ligneo ligna praelonga figebantur aut taedae quae in usum nocturni luminis accedebant. Vnde Alexidi poëtae ξυλολυχνοῦχος appellatur, Tullio vero ad verbum inver-

De candelabro magna lucerna tibi.

tenti lychnuchus ligneolus. Et de hac consuetudine passim occurrunt testimonia.

1. *Serves nisi lumina.* Incendent nempe candelabrum ligneum cum aedium vitaeque periculo.

45. — PILA PAGANICA.

Haec quae difficilis turget paganica pluma,
Folle minus laxa est, et minus arcta pila.

Pila paganica. Sic dicta a pagis, ubi primum inventa ad voluptatem rusticorum. Farciebatur pluma, ut indicat vs. 1. *Difficilem* vocat, quod forte hoc genus pilae aliis pilarum generibus difficilius esset.

46. — PILA TRIGONALIS.

Si me nobilibus scis expulsare sinistris,
Sum tua: si nescis, rustice, redde pilam.

1. *Si me nobilibus.* Industria quippe multa opus erat ad hunc ludum. Vid. lib. IV, epigr. 19, et lib. VII, epigr. 32, et 72, 9 et sqq. *Sic palmam tibi de trigone nudo Unctae det favor arbiter coronae, Nec laudet Polybi magis sinistras.* Vnde Scriverius hic legit aliter: *Si me scis Polybi levis expulsare sinistris.* Perpendat et indicet lector.

2. *Rustice, redde pilam.* Qui tantum paganica ludere nosti: *vel* rudis et indocte pilae. Sic infra epigr. 58, graecae linguae rudem vocat *rusticum.* Sic Numidicae, Ionicae, Colchicae avis, iecorisve anserini nec pretium noscentes, neque saporem dignoscentes *barbaros* vocat, lib. XIII, epigr. 73.

47. — FOLLIS.

Ite procul, iuvenes: mitis mihi convenit aetas;
Folle decet pueros ludere, folle senes.

1. *Mitis.* Etenim non opus est magna vi, unde robustiores adolescentes alio ludi genere exercere se debent. Diceres Poëtam recitasse et epigramma et hoc quod praecedit eodem temporis articulo, et iuvenes priore alloquutum a iuvenum globo nunc recedere, ut pueros et senes quoque alloquatur.

2. *Folle.* Pila scilicet vento inflata, qua pueri et senes se exercebant.

48. — HARPASTA.

Haec rapit Antaei velox in pulvere draucus,
Grandia qui vano colla labore facit.

Harpasta. Pilae nempe erant ex corio factae.

1. *Antaei draucus.* Palaestrites, studiosus palaestrae, qua claruit Antaeus, gigas immanis qui Africam incolebat et lucta victos hospites necabat. Pindarus Isthmic. lib. Carm. IV. Eum autem ab Hercule tandem domitum et peremptum nullus ignorat. Liceat de illa victoria Diotimi cuiusdam epigramma excitare, quod et parum notum et notitia tamen dignum fuerat (Anthologiae lib. I): Τὰν ἥβαν ἐς ἄεθλα πάλας ἤσκησε κραταιᾶς Ἁ τε Ποσειδῶνος καὶ Διὸς ἁ γενέα. Κεῖται δὲ σφὶν ἀγὼν οὐ χαλκέου ἀντὶ λέβητος, Ἀλλ' ὅστις ζωὰν οἴσεται ἢ θάνατον. Ανταίου τὸ πτῶμα· πρέπει δ' Ἡρακλέα νικᾷν Τὸν Διός· Ἀργείων ἁ πάλα, οὐ Λιβύων. Eo. P.—Turnebus lib. IX, c. 23, sensu minus verecundo intelligi vult, atque alterum distichi versum ad eumdem draucum refert, qui quum mollis sit, fortis videri cupit, vano labore Antaei cervices aequare conatus. Vt Iuvenal. Sat. III, vs. 88. Sed poteris *vanum* exponere *agro inutilem*, ut sequent. epigr. *Farnab.* — Mirum hic satagere viros doctos, et non videre, draucum velocem haec rapere *in pulvere Antaei*, accipiendum; et *pulvis Antaei* sumitur simpliciter pro palaestra in genere. Vide Diatriben ad Statium, cap. 24. *Gronov.*

2. *Grandia qui.* Palaestritae enim ut fortiores essent, collum producere solebant; et hic iuvat allegare Iuven. in Sat. III, locum quem dumtaxat indicavit (vid. not. ad vs. 1) Farnabius: » Et longum invalidi collum cervicibus aequat Herculis Antaeum procul a tellure tenentis » —*Vano labore* Quo nempe frustra exerceotur debiles et molles homines.

49. — HALTERES.

Quid pereunt stulto fortes haltere lacerti?
Exercet melius vinea fossa viros.

Halteres. Dicti sunt ab ἅλλομαι, *salio.* Erant autem massae lapideae, vel metallicae, ansa vel manubrio addito, quo commode levari possent ab athletis. De halteribus agit Galenus lib. I de Sanitate tuenda. Iuven. Sat. VI, 421, *Et lassata gravi ceciderunt brachia massa*; quod de halteribus accipiendum.

2. *Melius.* Hoc est, utilius.

50. — GALERICVLVM.

Ne lutet immundum nitidos ceroma capillos,

1. *Ceroma.* De quo vide lib. IV, epigr. 4. Galericulum inserviebat et ad tegendam calvitiem, et defendendos capillos a ceromate, quo inungebantur palaestritae. Suetonius, in Othone, cap. 12: *Galericulo capiti*

Hac poteris madidas condere pelle comas.

propter raritatem capillorum adaptato et annexo. Tertulliano, de cultu feminarum: *Affigitis praeterea nescio quas enormitates sutilium et textilium capillamentorum, nunc in galeri modum quasi vaginam capitis et operculum verticis, nunc, etc.* Vtile praeterea saepe galericulum fuit ad simulandum aut dissimulandum capillitii colorem. Iuven. Sat. VI, 120, de Messalina loquens: *Et nigrum flavo crinem abscondente galero.*

2. *Hac pelle.* Ex qua scilicet factus erat parvus galerus.

51. — STRIGILES.

Pergamus has misit: curvo destringere ferro;
Non tam saepe teret lintea fullo tibi.

Strigiles. Graecis στλεγγίδες, στλεγγίδες, ξυστραὶ σπαθίδες (Vid. Iul. Poll. Onomast.), instrumenta erant quibus, antequam balnea ingrederentur, Antiqui cutem radebant et collectum in palaestra sudorem et collectas in conisterio sordes, in alipterio seu unctuario destringebant. Id autem non ipsi faciebant, sed officium erat unius e mediastinis, hoc est, ex humillimis et vilissimis servis. Oleum porro et pulvis et sordes quae deradebantur, omnia simul mista medicum in usum asservabantur et ab Atticis γλοιὸς vel πάτος appellabantur. Persius, Sat. V, 126: *I puer, et strigiles Crispini ad balnea defer.* Caeterum, si qua forma esset *strigilis* cognosse cupiveris, optimum erit aere descriptam spectare lib. I, cap. 8 apud Mercurialem qui has olim inter Imp. Traiani ruinas ait repertas.

1. *Destringere.* Imperativus hic est vocis passivae.

2. *Non tam.* Hoc est: Si corpus strigilibus bene destrinxeris, in balneo minus inquinabis lintea, quibus te absterges; atque ita non tam saepe fullonis opera indigebis, qui purget vestes contaminatas.

52. — GVTTVS CORNEVS.

Gestavit modo fronte me iuvencus,
Verum rhinocerota me putabis.

Guttus. Vas scilicet ex cornu tauri factum, in quo oleum praesertim servabatur; videtur tamen et e naso rhinocerotis factum, quo in balneis utebantur lautiores oleo superfundendo. Dictus est a guttis, quod vinum, aquam, seu quoque oleum guttatim funderet, ut Auctor est Varro, de lingua latina lib. IV. Vide Gellium lib. XVII, cap. 8. Eo etiam Antiqui utebantur in sacrificiis.

2. *Verum.* Alii adiectivum esse credunt, alii adverbialiter sumunt. Sensus est: tantus est guttus, ut ex rhinocerotis cornu factu videatur.

53. — RHINOCEROS.

Nuper in Ausonia Domini spectatus arena
Hic erit ille tibi, cui pila taurus erat.

Rhinoceros. Hoc est, guttus ex cornu rhinocerotis, quo sensu rhinoceros sumitur apud Iuven. Sat. VII, 130: *Exitus hic est, Tongilli, magno cum rhinocerote lavari*; et in praecedentis distichi vs. 2.

1. *Domini*. Imperat. Domitiani.

2. *Cui pila*. Hoc est, cui modo pilae loco taurus erat, hic tibi pila iam fiet.

54. — CREPITACILLVM.

Si quis plorator collo tibi vernula pendet,
Haec quatiat tenera garrula sistra manu.

Crepitaculum dant edd. vett. et Delph.

1. *Vernula*. Infans nempe servulus domi natus.

2. *Sistra*. Sistrum instrumentum erat Aegyptium e metallo arguto, quo in Isidis sacris utebantur, ab agitatione nomen habens. Graecis enim *σείω* valet idem quod *moveo*, *quatio*: nam agitatum et concussum, tinnitus argutos edebat. Lib. XII, epigr. 29, vs. 19.

55. — FLAGELLVM.

Proficies nihil hoc, caedas licet usque flagello,
Si tibi purpureo de grege currit equus.

2. *Si tibi purpureo*. Hoc est: Equi factionis purpureae tam segnes sunt: ut, illos licet assidue verberes, velocius tamen non currant. Hoc dixit de factione Veneta lib. VI, epigr. 46: *Vapulat assiduo Veneti quadriga flagello, Nec currit; magnam rem, Catiane, facit*. De factionibus aurigarum egimus supra. Duos praeterea sensus suspicati sunt viri docti. Quorum prior illi omnino contrarius quem dedimus designaret non opus esse ullis flagellis, si equos habeas e Russata factione, neque posse eos unquam celeriores effici, quidquid stimuli addatur: *labor est inhibere volantes*. Posteriore, qui Domitio arridet, *Purpureo* nomen est proprium equi; nam aequos saepe aurigae nomine suo vocabant, et tunc auriga famosus Purpureo.

56. — DENTIFRICIVM.

Quid mecum est tibi? me puella sumat.
Emptos non soleo polire dentes.

1. *Quid mecum*. Dentifricium alloquitur anum aliquam, quae habebat dentes emptitios, quibus poliendis non inservire se, sed puellarum dentibus usui esse dicit; es caninorum vero dentium cinere cum melle fit dentifricium, quod non erat, ut principio forsitan credidisti, instrumentum, sed medicamen ad levigandos et tergendos dentes. Samonicus de dentifricio his versibus canit: « Quod vero assumpsit nomen de dente fricando Cervino es cornu cinis est aut ungula porcae Torrida... nun sine vino. » Plinius, lib. XXXVI, capite 20: *Arabum lapis, ebori similis, dentifriciis accommodatur crematus.*

2. *Emptos*. Quorum candor at levitas rarius minuuntur. Notum vero est ab edentulis dentes emptos fuisse tunc, quos pro usu inserebant. Vid. lib. V, epigr. 43: *Thais habet nigros, niveos Laecania dentes: Quae ratio est? emptos haec habet, illa suos.*

57. — MYROBALANVM.

Quod nec Virgilius, nec carmine dixit Homerus,
Hoc ex unguento constat, et ex balano.

Myrobalanum. Huius vocis plures syllabae breves carmini non conveniunt, unde nec ab Homero nec a Virgilio, qui hexametris sua scripserunt, fuit usurpata. Plinius, lib. XII, cap. 21: *Myrobalanum Troglodytis et Thebaidi et Arabiae, quae Iudaeam ab Aegypto disterminat, commune est, nascens unguento, ut ipso nomine apparet. Quo item indicatur et glandem esse arboris, heliotropio, quam dicemus inter herbas, simili folio: fructus magnitudine avellanae nucis.*

58. — APHRONITRVM.

Rusticus es? nescis quid graeco nomine dicar,
Spuma vocor nitri. Graecus es? ἀφρόνιτρον.

Aphronitrum. Vox facta, e duobus vocibus graecis Ἀφρὸς, *spuma*, Νίτρον, *nitrum*, ita ut et latinae et graecanicae vocis eadem sit quantitas et idem numerus syllabarum. Nam in *spuma nitri* quatuor sunt syllabae, quarum tertia anceps; et ipsissimum id de τῷ Ἀφρόνιτρον dicere est. Plin. lib. XXXI, cap. 10: *Proxima aetas medicorum aphronitrum tradit in Asia colligi, in speluncis mollibus distillans. Specus eos Colycas dicunt. Dein sole siccant. Optimum putant Lydium*

1. *Rusticus es?* Vocat ergo Noster omnes graece linguae rudes et quos ipsi dixissent συβώτας, *rusticos*. Neque valde id mirum putes; quum tunc nullus Romanorum, immo Afrorum,

Hispanorum, Gallorum, Britanoorum, qui quidem elegantia et divitiis vel minimum censebatur, istius linguae ignarus esset, et servientis populi sermo apud et conservos et dominos id imperii obtinuisset quod adspicimus Gallicum sermonem Europa in tota hodie obtinere. Vnde id Iuvenalis, Sat. XV, vs. 110 sqq. *Nunc totus Graias nostrasque, habet orbis Athenas, Gallia causidicos docuit facunda Britannos, De conducendo loquitur iam rhetore Thule.*

59. OPOBALSAMA.

Balsama me capiunt, haec sunt unguenta virorum;
Delicias Cosmi vos redolete, nurus.

1. *Balsama me capiunt.* Balsamum est arbor; opobalsamum vero succus est defluens ex balsamo, cuius suavitatem commendat Plinius lib. XII, cap 25. — In ancipiti rem iste, quisquis est, linquit; quam ego ex Servio aliquantulum immutato certius, ut reor, statuam. Tres nimirum exstitere apud Graecos, et hinc latino sermoni irrepserunt cognatae voces de balsamo, βάλσαμον ipsum, ὀποβάλσαμον, ξυλοβάλσαμον. E quibus patet secundam idem sonare ac balsami arborem, tertiam vero idem quod balsami fructus (ergo balsami succum). Atat prima utra res designatur, fructusne an arbor? Vtraque res: et illa sola trium vox ambiguae latitudinis est, quum duo aliae et stricto et claro magis sensu usurpandae sint; ita ut quidquid sut *opobalsamum* aut *xylobalsamum* vocas, *balsamum* iure tuo voces, minime vero liceat *opobalsamum* pro *xylobalsamo*, pro *opobalsamo xylobalsamum* accipere. Ed. P. — Aiunt Theophrastus et Dioscorides ipsa ex arbore succum stillare, postquam ferreis unguibus, osseisve cultellis, vitro, lapide, testa et caeteris incisa sit. — *Haec sunt unguenta.* Iuven. tamen Sat. II, 41, affirmat mollibus tantum hominibus haec convenire: *Sed tamen unde Haec emis, hirsuto spirant opobalsama collo Quae tibi?*

2. *Delicias Nini* h. e. inquit Raderus qui sic legit: Vos, feminae, Assyrios quaerite liquores, amomum, nardum, aliaque id genus pigmenta, ut unguenta delicata. Ninus rex fuit Assyriorum. De Assyrio vel Syrio unguento vide lib. VIII, epigr. 77, 2.

60. — LOMENTVM.

Gratum munus erit, scisso nec inutile ventri,
Si clara Stephani balnea luce petes.

Lomentum. Quod nempe rugis uteri condendis inserviebat.

61. — LATERNA CORNEA.

Dux laterna viae clausis feror aurea flammis,
Et tuta est gremio parva lucerna meo.

Laterna. Sic nominata a latendo, quod intus lateat clausa flamma Gallice nos satis simili voce appellamus *Lanterne.* Non omnes corneae erant, sed vitreae aliae, aliae papyraceae, aliae denium e vesica, ut proximo epigrammate 62. Ed. P.

1. *Clausis flammis.* In laterna quippe lumen quasi clauditur; quae quum esset cornea, dum pellucebat, aurea videbatur. Haud absimili modo, quamvis fuse magis, Plautus in Amphitryone, act. I, sc. 1, 185 quum Mercurius sic Sosiam alloquitur: *Quo ambulas tu, qui Vulcanum in cornu conclusum geris?* et Sympos.: *Cornibus apta cavis; tereti perlucida vitro, Lumen habens intus divini luminis instar.*

2. *Lucerna.* Sumitur pro candela et ipso lumine.

62. — LATERNA EX VESICA.

Cornea si non sum, numquid sum fuscior? aut me
Vesicam, contra qui venit, esse putat?

1. *Cornea si non sum.* Tamen, inquit, aeque pellucida videor, nec quisquam occurrens me discernat a cornea.

2. Ad illud epigramma Raderus: « Crediderim laternas e vesica pauperum fuisse; et corneas divitum; gloriatur hic Vesica lucida se non minus esse claram quam corneam, neque a contraveniente corneam a vesica distingui. » Cui sententiae eo libentius nos suffragamur quod iam supra animadvertimus ἀμοιβαῖα fere semper a Martiale nominari divitum dona et pauperum. Vid. notata ad huius libri epig. 43. Ed. P.

63. — FISTVLA.

Quid me compactam ceris et arundine rides?
Quae primum structa est fistula, talis erat.

1. *Quid me compactam.* Pan primus, quum Syrinx amata ipsi nympha in arundinem a Diis mutata fuisset, compegit fistulam. Ovid. Metam. lib. I, 711: *Atque ita disparibus calamis compagine cerae Inter se iunctis nomen tenuisse puellae*; et Virg. Ecl. II, 32: *Pan primus calamos cera coniungere plures Instituit*; et paullo infra, vs. 36: *Est mihi disparibus septem compacta cicutis Fistula.*

64. — TIBIAE.

Ebria nos madidis rumpit tibicina buccis;
Saepe duas pariter, saepe monaulon habet.

Tibiae. De variis tibiarum generibus Solin. cap. 11. Forma, non materia, differunt a fistulis. Nam tibia e cicutis, calamis, buxo, ut fistula; quamquam tibia etiam ex aere, osse, etc. Forma multiplex: aliae linguatae, aliae elingues; alias μοναύλους, alias διαύλους, hoc est, simplices et geminas appellabant. *Monaulos* ergo dicebatur singularis tibia, ad differentiam τοῦ ζεύγους, quum binae simul inflantur.

1. *Ebria tibicina.* Mulier nempe, quae tibia canens convivio aderat. — *Rumpit*, id est, inflat, ut mihi videtur.

2. *Saepe duas.* Hoc est: Saepe habet tibiam geminam, et saepe monaulon, hoc est, simplicem.

65. — SOLEAE LANATAE.

Defuerit si forte puer, soleasque libebit
Sumere; pro puero pes erit ipse sibi.

1. *Soleas.* Gellius lib. XIII, cap. 20: « Omnia enim ferme id genus, quibus plantarum calces tantum infime teguntur, caetera prope nuda, et teretibus habenis iuncta sunt, *soleas* dixerunt; et nonnunquam voce graeca crepidulas. »

66. — MAMILLARE.

Taurino poteras pectus constringere tergo;
Nam pellis mammas non capit ista tuas.

1. *Taurino*, *etc.* Habes enim mammas, *Quas vix taurino poteris circumdare tergo.* Ad quem Virgilii versum allusisse poëta videtur.

2. *Pellis*, *etc.* Mamillare e pelle; fascia seu strophium, quibus tumor papillarum coërcebatur. Catull. Carm. LXIII, 65: *Non tereti strophio lactantes vincta papillas.* — Ergo ne, cum quibusdam explicantibus de mamillari aut strophio, idem fere credas ac quod vocamus hodie *corset*?

67. — MVSCARIA PAVONINA.

Lambere quae turpes prohibet tua prandia muscas,

1. *Lambere.* Muscariorum autem et flabellorum varia genera cernebantur e membranis in lora concisis et e pellibus, tum e raso dolabra subti-

Alitis eximiae cauda superba fuit.

liter ligno, forsan etiam e papyro, certe e pennis multarum avium; caudae tamen pavoninae nobilioribus usus aestimatissimus fuit. — *Muscaria pavonina.* Muscarium flabellum erat muscis abigendis idoneum.

2. *Alitis eximiae.* Pavonis scilicet, qui rex avium pulchritudine, ut fortitudine et vi oculorum aquila.

68. — COPTA RHODIA.

Peccatis famuli pugno ne percute dentes;
Clara Rhodos coptam quam tibi misit, edat.

Copta Rhodia. Turnebus lib. X, cap. 10, sic explicat *coptam*: » Hoc, inquit, genus pistificii videtur, cui quaedam, quae tonderentur, ut ipsum vocabulum confitetur, miscerentur, ut nuclei pinei, amygdalae: sed omnino durissima afferebatur Rhodo, ut e Martialis ioco intelleximus: *copta* vero fit a verbo graeco κόπτω, *incido, pulso*, quam manducans servus effringet suos dentes. »

69. — PRIAPVS SILIGINEVS.

Si vis esse satur, nostrum potes esse Priapum;
Ipse licet rodas inguina, purus eris.

Priapus siligineus. Vtriusque sexus αἰδοῖα ex siligine fiebant, ut dixit l. IX, epigr. 3, v. 3. Et hic de masculi sexus αἰδοίοις sermo est.

1. *Si vis esse*, etc. Duplici sensu in hoc versiculo sumitur *esse*, prius quidem ut substantivum verbum, mox vero ut adiectivum pro *edere*. — *Priapum.* Non τοὺς ὄρχεις, sed τὸ πέος.

2. *Ipse.* Nescio annon melius esset *ipsa.* Nam videtur saepe apud Veteres a Priapo distingui *inguina*, quae specialiori sensu ὄρχεις, testiculos, designant. Quod vel ex Horatio coniicias, lib. Epod. VIII, 19: *Quod* (fascinum) *ut superbo provoces ab inguine Ore allaborandum est tibi.* Ergo sensus hic apparet: Licet haud φαλλὸν καὶ πέος duntaxat, sed et ipsos testiculos totos vores, etc.

— *Purus eris.* Ore non hinc impuriore. Quod τοῖς μυζουροῦσιν τε καὶ φοινικίζουσιν accidit.

70. — PORCVS.

Iste tibi faciet bona Saturnalia porcus,

1. *Bona Saturnalia porcus.* Hic facit tibi Saturnalium dies bonos et lautos. *Bona* autem consulto dixit Poëta quod esset solemnis acclamatio in Saturnalibus, *Io Saturnalia, bona Saturnalia*, lib. II, epigr. 2, vs. 5. Hinc quoque

Inter spumantes ilice pastus apros.

in Hendecasyllabis Cat. Carm. XIV, 15: *Saturnalibus, optimo dierum.* Quod et Arrianus testatur in dissertationibus Epicteti: Ταῖς γὰρ παιδίοις, ὅταν προσελθόντα κροτῇ καὶ λέγῃ, Σήμερον Σατουρνάλια ἀγαθὰ, λέγομεν, Οὐκ ἔστιν ἀγαθὰ ταῦτα; οὐδαμῶς, ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ ἐπικροτοῦμεν. Pueris, quum propinquis iam Saturnalium diebus plaudunt, et Io bona Saturnalia clamant, nos haec bona vituperamus? immo etiam acclamamus.

71. — MVSCARIVM BVBVLVM.

Sordida si flavo fuerit tibi pulvere vestis,
Colligat hunc tenui verbere cauda levi.

Cauda bovis ad tergendas et excutiendas vestes; uti pavonis, modo epigrammate 67, ad muscas abigendas.

2. *Nunc* Bev. Confirmatur centies nostra sententia de hoc MS. toties repetita.

72. — BOTVLVS.

Qui venit botulus medio tibi tempore brumae,
Saturni septem venerat ante dies.

1. *Botulus.* Botulus seu botellus, botulum seu botellum, genus est farciminis de quo iam egimus lib. V, epigr. 78. De hoc Apicius sic loquitur, lib. II, cap. 5, de Re Culinaria: *Botellum*, inquit, *sic facies ex ovi vitellis coctis, nucleis pineis concisis, quibus cepam et porrum concisum, thusque crudum admiscebis cum pipere modico atque ita intestinum denique farcies, adiectoque liquamine et vino decoques.* — *Medio temp. brumae*; hoc est, media hieme; nam Saturnalia celebrabantur mense Decembri, qua tempestate anni frigora inprimis desaeviunt atque brumali glacie rigent omnia.

2. *Saturni septem venerat.* Sensus illius distichi est: Qui tibi apophoreti loco botulus mittitur Saturnalium tempore, ante Saturnalia hic ad me missus erat — Isne sensus genuinus? Anne etiam per anni reliquum tempus dona mittebantur? et illud etiamsi admitteres, quod sane non falsissimum, anne quae dono accepit, illa dat Noster? Suspicor potius duplicem sensum et iocum in ambiguo verbo venire, qui et *advenire* et *venumdari* significat. Datur botulus Saturnalium tempore; ante Saturnalium venumdatur. Ed. P. — *Septem.* Quinque tantum erant legitimi dies Saturni, ut diximus lib. IV, ep. 89, quibus duo laetitiae non festi adiungebantur. Macrobius, lib. I, cap. 11: « Apud Veteres opinio fuit, septem diebus peragi Saturnalia. » At incertum aliquid in nota hac legentem turbat; et tamen digna res est, quae attentius perpendatur et certius statuatur. Primo antiquitus certum est unum duntaxat diem Saturnalibus datum fuisse; mox, gliscente luxuria et desidiae

et licentiae et ludorum amore, duos annexos fuisse, sed eos non legitimos. Tres erant quum Caesar duos adiecit; Augustus post triginta annos sancivit patris placitum et videtur unum praeterea addidisse; quintum tandem Imp. Caius Caligula condidit, Claudius firmavit, neque post eum reliqui principes celebrari vetuere. Hi autem omnes qui a principibus iussi legitimi censebantur. Ed. P.

73. — PSITTACVS.

Psittacus a vobis aliorum nomina discam;
Hoc didici per me dicere: Caesar, ave.

2. *Per me dicere, etc.* Naturae instinctu, quae numina adoranda docet: adulatorie. Quasi dicat, Alias voces saepius inculcatas a magistris accipio; Caesarem salutare sine magistro didici. Tanta etiam iis animantibus qui intellectu minus instructi sunt inest nativa reverentia Caesareae maiestatis!

74. — CORVVS.

Corve salutator, quare fellator haberis?
In caput intravit mentula nulla tuum.

1. *Salutator.* Alludit forte Noster ad eos corvos, quorum unus Caesarem Augustum ab Actiaca victoria reducens hisce verbis salutavit, *Ave, Caesar, victor imperator*; et alter haec dicturus erat, si victus Octavius esset, *Ave, Antoni, victor imperator*. Macrob. Sat. lib. II, cap. 4. — *Fellator.* Corvos ore coire et concipere credit vulgus, feminae rostro maris inserto. Plin. lib. X, cap. 12. Sed Aristoteles negat et deridet ridiculum hoc commentum ab Anaxagora primo proditum lib. de Animal. Quod ore coirent corvi pervulgatum hoc probat hic versiculus. Nec enim simplicem merumque osculi coitum καὶ μῖξιν τῶν ῥυγχῶν in corvis, ut in columbis, fieri existimabant: sed semen etiam ex coitu per os immitti in feminam, quo gravidaretur. Inde fellatrices illae aves vulgo existimabantur. Sic fere Salmasius. Simili adulatione de supplice ante imperatoris pedes elephante, lib. Spect. epigr. 17: *Quod pius et supplex elephas te, Caesar, adorat, Hic modo qui tauro tam metuendus erat, Non facit hoc iussus, nulloque docente magistro: Crede mihi, numen sentit et ille tuum.*

75. — LVSCINIA.

Flet Philomela nefas incesti Tereos: et quae
Muta puella fuit, garrula fertur avis.

1. *Flet.* Sic, sed copiosius Maro, Georg. IV, 514: *Flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen Integrat et moestis late loca questibus implet.*

2. *Muta puella.* Cui scilicet linguam absciderat Tereus, ne incestum palam faceret.

76. — PICA.

Pica loquax certa dominum te voce saluto;
Si me non videas, esse negabis avem.

1. *Pica loquax*. Namque picae loquacitas eo nominis venit ut de ea proverbia multa circumferantur. Naso eas dicit olim fuisse Pici filias, quibus in alites mutatis *facundia prisca remansit, Raucaque garrulitas, studiumque immane loquendi*. Met. lib. V, 678. — *Saluto*. Nam id primum garrulas aves docebant.

2 *Esse negabis*. Pica enim tam articulatim loquitur, ut vox eius pro humana voce sumi possit.

77. — CAVEA EBOREA.

Si tibi talis erit, qualem dilecta Catullo
Lesbia plorabat, hic habitare potest.

Cavea. Elegans sane, in qua potuerit habitare passer tam formosus, tam venustae puellulae dilectus, tam lepido poëta celebratus.

78. — NARTHECIVM.

Artis ebur medicae narthecia cernis habere
Munera, quae cuperet Paccius esse sua.

1. *Narthecia*. Erant capsulae, in quibus medicamenta recondebant medici, et quae e ligno et arbore, quam ναρθήκα Graeci, Latini ferulam vocabant, principio facta, mox eburnea evasere, et sui nihil nisi nomen retinuere; unde dicit Poëta illa esse, ebur artis medicae proprium. Verborum, autem planus ordo is est: Cernis habere (subaud. *te*; pro *en habes, en a me accepisti*, ergo *en potes cernere te habentem*) munera (pro *munerum loco*) narthecia (eborea), ebur (proprium) medicae artis.

2. *Paccius*. Dives forte medicus: cuiusdam Paccii orbi meminit Iuven. Sat. XII, 99.

79. FLAGRA.

Ludite lascivi, sed tantum ludite, servi;

1. *Sed tantum ludite*. Monet servos ut tantum ludant, nec aliud tentent, h. e. nihil furentur et sibi reservent; alioquin praeteritis quoque Saturnaliorum diebus, quibus domini ipsis serviebant, flagris illos excipiendos intelligit.

Haec signata mihi quinque diebus erunt.

2. *Haec signata.* Annulo signata et inclusa, uti Pompeius signarat olim gladios militum. Notabimus hic breviter tantum tria antiquis verberationum genera in usu fuisse; fustuarium nempe quod fustes et vites continebat; virgas quibus liberi et servi puniebantur; et flagra quibus soli servi afflicti.

80. — FERVLAE.

Invisae nimium pueris, grataeque magistris,
Clara Prometheo munere ligna sumus.

1. *Invisae pueris.* Quibus nempe illi caeduntur et exercentur a magistris.

2. *Clara Prometheo.* Prometheus enim ferula ad currum solis admota ignem Superis subduxit, et in terras detulit: ex hoc vero Promethei furto nobilitatem acceperunt ferulae.

81. — PERA.

Ne mendica ferat barbati prandia nudi,
Dormiat et tetrico cum cane, pera rogat.

1. *Ne mendica ferat.* Pera rogat, ut habeat honestiorem dominum quam Cynicum, cuius mendicata frusta cogatur ferre, et pulvini officium dormienti praestare. — *Barbati prandia nudi.* Cynici, ut versiculus proxime sequens indicaturus tibi est, Cynici qui plus etiam quam alii philosophi *βαθὺν πώγωνα καὶ σεμνὸν* pascit.

2. *Tristi.* ed. *Barb.* Sic alios legere notat Schrevel. nec multum abest quin probare videatur. Praetulerim ego hoc forsan in Cicerone aut Horatio; at notabo Martiali hanc vocem in deliciis fuisse quoties de iis loquendum foret qui gravem et morosam et plus quam Catonianam sapientiam prae se ferrent. — *Cum cane.* Hoc est, cum Cynico, nam satis notum Κύνας in Graecia, *canes* apud Latinos saepiuscule Cynicos appellatos, sive, ut quidam voluere, a porticu Athenarum *κυνοσάργει*; sive, quod magis veri speciem in se habet, quod instar canum obvios dictis allatrarent et morderent, mendicato viverent, sordide et impudenter et sub dio degerent, ita ut in triviis etiam amata potirentur. Nec harum rerum accusati erubescebant, neque impositum a plebe nomen detrectabant: immo die quadam interrogatus Diogenes quam ob causam Canis appellaretur, haec respondit: *Τοὺς μὲν διδόντας σαίνω, τοὺς δὲ μὴ διδόντας ὑλακτῶ, τοὺς δὲ πονήρους δάκνω.* Et ipse Noster lib. IV, epigr. 53, vs. 8: *Hunc quem saepe vides... Cum baculo peraque senem, cui cana putrisque Stat coma, et in pectus sordida barba cadit.... Esse putas Cynicum, deceptus imagine falsa? Non est hic Cynicus, Cosme: quid ergo? Canis.* Vide quoque Lucianum sexcentis in locis Colloq. mortuorum et in Βίων πράσει, Arriani Epicteti Enchiridion et dissertationes, et Athenaeum, Dipnosoph. lib. XIII.

82. — SCOPAE.

In pretio scopas testatur palma fuisse;
Otia sed scopis nunc analecta dabunt.

1. *In pretio.* E palma enim factae scopae, quibus pavimentum verrebatur, carae erant. Horatius: *Ten' lapides varios lutulenta radere palma?*

2. *Sed pretium.* Edd. vett. et Farnab. — *Analecta.* Hoc est, reliquiae coenae; lib. VII, epigr. 20: *Colligere longa turpe nec putat dextra Analecta, quicquid et canes reliquerunt.* Sensus ergo erit si *pretium* in textu relique-ris: Scoparum pretium augebitur, utpote quibus colligentur analecta. Petronius in Convivio Trimalcionis: « Insequutus est lecticarius, argentumque inter reliqua purgamenta scopis coepit verrere. » At si adoptaveris *Otia*, intelligendum est: Analecta dabunt scopis otia, quum ea, in pavimento e parvis testulis efficta, talia forent, ut scopis everri nullo modo valeant, et ideo otia scopis dare necesse sit. Hoc pavimenti genus a Graecis dicitur ἀσάρωτον, quod scopis verri non debeat. Ita Alexander ab Alexandro, lib. IV Genialium Dierum cap. 21. — Legit ingeniose satis Scriverius, *Otia sed scopis nunc analecta dabit.* Servi quidam analectae dicti sunt, qui reliquias e mensa cadentes, et quae pretiosiora essent scopis colligebant, et pavimenta spongiis mundabant. — De omnibus his si quid denuo statui rogatus ero, legam cum Beverlando *Otia*. Nam placet saepe Martiali antithesis, et hic eam placuisse credendum est, quae sane tolleretur si *in pretio* et *sed pretium* in disticho sineres. At fert aegre Calderinus missum amico a poëta inutile munus! nempe spernit ipse donum suum quod exiguum, quod inane diviti pauperculus offert. Sic epigr. 66 mamillare quoddam donum inutile ait: *Taurino poteras pectus constringere tergo; Nam pellis mammas non capit ista tuas.*

83. — SCALPTORIVM.

Defendet manus haec scapulas mordente molesto
Pulice, vel si quid pulice sordidius.

Scalptorium: Scalprum scalpellumque, inquit Raderus, memini legere, *scalptorium* nusquam ex *scalpo*. Caeterum quid scalptorium sit, nullo labore ex poëta discis: instrumentum nimirum manus instar, quo scapulae (in quas digiti se non extendunt) prurientes facile scalpebantur, et arcebantur pulices et pediculi.

84. — MANVALE.

Ne toga barbatos faciat vel penula libros,

Manuale. Hoc est, ex abietis tabulis, quibus tegebatur liber, ne manibus aut sinu gestatus tritusque inhorreret duro mento, quod necessario accidebat, si munitus fortioribus involucris non foret. Vid. l. I, ep. 67.

Haec abies chartis tempora longa dabit.

1. *Barbatos*. Villosos, quales tironum libri plerumque spectantur cornibus comatis intortisque, barbatos vocat poëta quod usu detriti, quae natura chartae est, libri pilos, villosque longos tenuesque, velut barbas, acquirant.

85. — LECTVS PAVONINVS.

Nomina dat spondae pictis pulcherrima pennis
Nunc Iunonis avis: sed prius Argus erat.

1. *Nomina dat spondae*. Lecti quippe pavonini dicuntur, non quod, ut inquit Raderus, tegerentur pennis aut oculis pavonum, sed citreis tabulis quae plumas gemmasque pavonum aemularentur.

2. *Sed prius Argus*. Qui nempe Iunonis speculator in pavonem deae sacrum fuit conversus. Quae fabula vel pueris nota.

86. — EPHIPPIVM.

Stragula succincti, venator, sume veredi;
Nam solet a nudo surgere ficus equo.

1. *Stragula*. Intellige ephippium, quo nisi sternatur equus laedit equitem, cui nascitur ficus, ulceris genus, de quo lib. I, epigr. 66. Forte intelligit equo succincto seu ephippiato imponendum esse stragulum, Gallice *une housse*. Sed quum dicat *a nudo equo*, interpretor *stragula* simpliciter ephippium.

87. — STIBADIA.

Accipe lunata scriptum testudine sigma;

Στιβάδιον torulus est e gramine, herbis, frondibus, seu floribus stipatus; a στείβω.

1. *Lunata sigma, etc.* Postquam triclinia ab usu recesserunt, et pro triclinils, *accubita* et *stibadia* dici coepere, ea stibadia in deliciis fuere quorum figura semicircularis erat, atque inde *sigma* nomen invenere. Haec quidem Athenaeus, Dipnosophistarum lib. X, arcui Scythico comparat (Σκυθικῷ τόξῳ τρίτον ἦν προσεμφερές). Enimvero sic totam mensam non circumdabant, sed spatium in ea parte relinquebant qua circulus deficiebat, ad inferenda fercula, patinas, etc. Ex quo patet quoad formam tales lectos aliquam similitudinem cum iis mensis habuisse quae nos hodie appellamus *en fer à cheval*, hoc tamen discrepantes quod quibus hodie patinae feruntur, illis recumberent. *Triclinium* ergo erant tres lecti divisi et separati: *Sigma* vero unus perpetuus le-

Octo capit: veniat, quisquis amicus erit.

ctus, semirotundus, quod et *stibadium* et *accubitum* dixere. *Triclinium* omnibus mensis poterat convenire: *sigma* vel *stibadium* non item: nec enim minus sigma maiori mensae, nec maius minori coaptari poterat. Secundum igitur mensarum magnitudinem quaerenda erant parva aut magna stibadia, quae a numero convivarum, quos capiebant, dicebantur vel *Octaclina*, quum octo caperent; vel *heptaclina* quum septem, vel *hexaclina* quum sex: hinc Martialis, lib IX, epigr. 60: *Et testudineum mensus quater hexaclinon*, etc. Salmas. — Ita quoque lib. X, epigr. 48, v. 6: *Stella, Nepos, Cani, Cerealis, Flacce, venitis? Septem sigma capit; sex sumus, adde Lupum.... — Scriptum testudine*. Id est, variatum, pictum. Idem Noster: *Scriptus et aeterno nunc primum Iupiter auro*. Gronovius.

88. — GVSTATORIVM.

Femineam nobis cherson si credis inesse,
Deciperis: pelagi mascula praeda sumus.

Gustatorium. Genus est mensae quae testudinum putaminibus exornabatur. Plinius, lib. IX, cap. 11: *Testudinum putamina secare in laminas, lectosque et repositoria his vestire Carbilius Pollio instituit, prodigi et sagacis ad luxuriae instrumenta ingenii*. Alii censent *gustatorium* esse idem quod repositorium, de quo Petronius ait: *Quum subito signum symphonia datur, et gustatoria pariter a choro rapiuntur*. — Eligat lector. Praestat tamen prior sensus.

1. *Femineam cherson*. Hoc est, testudinem feminam terrestrem, quae masculis et marinis inferior habebatur. Sic loquuntur Gustatoria; sicque intelligunt omnes interpretes.

89. — MENSA CITREA.

Accipe felices, Atlantica munera, sylvas;
Aurea qui dederit dona, minora dabit.

1. *Accipe felices*. Mensam citream interpretare ex Atlante, Mauritaniae monte. Vid. lib. II, ep. 13.

2. *Aurea qui dederit*. Ita fere, ut boletorum excellentiam praedicat, lib. XIII, epigr. 48: *Argentum atque aurum facile est laenamque ... Mittere; boletos mittere difficile est*. Re enim vera maximi aestimabatur Romae quidquid e citro, praesertimque e citri radicibus effingebatur. Duodecim millibus et quingentis philippeis, ut aiunt, citream mensam unam Cicero emit, Asinius Pollio viginti millibus, quidam pluris.

90. — MENSA ACERNA.

Non sum crispa quidem, nec silvae filia Maurae;
Sed norunt lautas et mea ligna dapes.

1. *Crispa quidem.* Vt citreae mensae ex Mauritania, modo epigr. 89. — *Nec silvae filia.* Non sum nata in Atlante monte et silva Maurorum, ut citrea, etc.
2. *Et mea ligna.* Secundam a citro palmam obtinuit acer, arbor amplissima operum elegantia ac subtilitate. Plin lib. XVI, cap. 5. Vnde sic dictam volunt, quod *acria* in ea artificum ingenia exerceantur. *Rad.* —Sed quantitas non eadem est. Ed. P.

91. — DENTES EBOREI.

Grandia taurorum portant qui corpora, quaeris,
An Libycas possint sustinuisse trabes?

1. *Grandia taurorum.* Elephas enim in arena exhibitus tauros dentibus iactabat, uti et rhinoceros. Vnde iam Martial. lib. Spect. epigr. 11: *Elephas... Hic modo qui tauro tam metuendus erat*, et 19: *Taurus... Occubuit tandem cornuto ardore petitus, Dum facilem tolli sic elephanta putat.* Atque ita elephantum dentes eburnei facile mensam citream fulcient. Vide lib. II, epigr. 43, et lib. Spect. epigramm. 19.
2. *Lybicas trabes.* Namque ex Africa (quae apud Graecos Λιβύη) citrus optima advehebatur. Porro his plurimum elephantium dentibus mensae sustinebantur. Iuv. Sat. XI, 121: *Latos nisi sustinet orbes Grande ebur et magno sublimis pardus hiatu Dentibus ex illis quos mittit porta Syenes.*

92. — QVINCVPEDAL.

Puncta notis ilex, et acuta cuspide clausa,
Saepe redemptoris prodere furta solet.

Quincupedal. Seu quincupeda, pertica scil. quinque pedum, qua moris erat metiri aedificia, quae exstruenda conducebant redemptores, ne scilicet dolose agerent et de materia aliquid detraherent.
1. *Puncta notis ilex.* Hoc est, pertica facta ex ilice et distincta signis variis, pedibus nempe, digitis et palmis.

93. — POCVLA ARCHETYPA.

Non est ista recens, nec nostri gloria caeli;
Primus in his Mentor, dum facit illa, bibit.

1. *Caeli.* Quod est instrumentum caelatorum quo sculpunt et caelant: hoc est: Haec pocula non sunt nostrae aetatis.

94. — CALICES.

Nos sumus audacis plebeia toreumata vitri;
Nostra nec ardenti gemma feritur aqua.

Hoc dicit, quia crystallina, ardenti, id est, calida aqua vitiabantur, non item vitrea. Strab. lib. XVI scribit, Romae vitrarios multa commentos esse, et ad vitreorum colores, et ad eorumdem turnandorum facilitatem; tantamque ex eo vilitatem eorum fuisse, ut vulgo poculum vitreum asse venumdaretur. Calices eiusmodi vitrei quos Strabo intellexit, quique Romae tam vili pretio venum ibant, *audaces* vulgo dicebantur. Atqui *vitrum* non dicebatur audax, sed calices ex vitro *audaces*. *Audaces* ergo plebeii erant calices, et parvo venibant, qui torno formabantur. Hinc *toreumata* Martiali dicta. At in sculpendis caelandisque periculum non parvum: nam saepe inter sculpendum frangebantur. Hinc est, quod alibi Martialis ait, lib. XIV, epigramm. 115: *Aspicis ingenium Nili, quibus addere plura Dum cupit, ah! quoties perdidit auctor opus.* Atque hi sunt omnino calices qui *diatreti* dicebantur. Mart. lib. XII, epigr. 71: *O quantum diatreta valent et quinque comati.* Diatreti calices erant vitrei, cavati perforatique, hoc est sculpti. Διατρῆσαι enim est perforare vel cavare, quod Latini *sculpere* dicunt; qui nempe gemmas scalpunt, quasi quosdam sulcos in iis cavant, et foramina caelo imprimunt. Inde *cavatores* dicti, gemmarum sculptores. *Salmas.*

1. *Plebeia toreumata vitri.* Clarius alibi etiam ostendit *Toreuma* usurpasse de quolibet poculo, ubi fictiles calices sic appellavit: libro hoc, epigramm. 102: *Accipe non vili calices de pulvere natos, Sed Surrentinae leve toreuma rotae.* Nihil tamen tam contrarium τοῦ τορεύματος significationi, quam quod leve est, ac sine ulla inaequalitate, quam τορευτικὴ praestat. Fictilia quidem vasa etiam τορεύματα dicta, sed ea tantum quae signis caelatis erant aspera. At levia et pura nullo modo τορεύματα dici possunt. *Salmas.*

2. *Nostra, etc.* Neque nos, ut crystallina illa, rumpimur calida aqua.

95. — PHIALA AVREA CAELATA.

Quamvis Callaico rubeam generosa metallo,

Divitis viri munus, ut quos proxime videbimus indicatos Vatinii calices, pauperum. Genus erat crateris patulum et grande satis, poculo communi certe grandius. At voluere Graeci dictam eam φιάλην, quasi πιάλην, per literarum mutationem, ut sit ἡ τό πιεῖν ἅλις παρέχουσα. Quae derivatio, quamvis, ut antiquorum fere omnes, absurda eo existimanda sit quod syllabarum unicuique velint unam simplicem vocem respondere, id indigitat, magnitudine notabilem φιάλην fuisse. E Tuscia vero eae vulgo mittebantur quae aureae vel auro distinctae. Athenaeus,

Glorior arte magis: nam Myos iste labor.

lib. I: Τυρσηνὴν δὲ κρατεῖ χρυσότυπος φιάλην; hoc est, Ex auro sculptas Tuscia dat phialas.

1. *Quamvis Callaico*, *etc.* Ipsa a Poëta hic inducitur phiala aurea loquens et de se gloriatur, qua auro, qua arte, aurum nempe a loco commendans et artem ab artificis nomine. Licet, inquit phiala, sim confecta ex auro Callaico pretiosissimo et idcirco pretiosissimam me iure meo dixerim, tamen praestantior sum propter artificium Myos, nobilissimi artificis. Videatur infra. — *Callaico.* Hoc est, hispano auro; Callaici enim gentium hispanarum una fuere, tum incolarum numero et fortitudine, tum soli latitudine et ubertate celeberrima. Tarraconensis provinciae, qua vergit illa in occidentem et Atlanticum Oceanum, extrema in parte sita erat, et regionem occupabat quae paulisper immutato nomine et emollito duriuscularum syllabarum sono Galloecia, deinde *Galice* appellata est.

2. *Glorior arte magis.* Quasi diceretur *Materiam superavit opus.* Quanti autem quorumdam operam et ingenium in caelandis vel pretiosissimis metallis Veteres fecerint, uno exemplo declarabitur. Ait Plinius lib. XXXIV, cap. 12, a Pithea factas duo phialas quae quum binarum unciarum pondere essent, viginti unciis aestimatae fuerunt. — *Myos iste labor.* Celebris artificis, ut lib. VIII, epigr. 15.

96. — CALICES VATINII.

Vilia sutoris calicem monumenta Vatini
Accipe: sed nasus longior ille fuit.

1. *Calicem.* Qui habebat quatuor ansas seu nasos. Iuv. Sat. V, 46: *Tu Beneventani sutoris nomen habentem Siccabis calicem nasorum quatuor, etc.* Namque nomen habuere a Vatinio sutore Beneventano, cuius inventum fuere; vel (ut alii volunt) ad cuius prominentis nasi similitudinem effingebantur isti calices vitrei, quatuor nasos habentes. An itaque simpliciter dicit, Vatinium habuisse longiorum nasum? an ingenio fuisse acriori, quod hoc invenerit? an derisorem deridet? An denique, quod sagax fuit inquisitor criminatorque, postquam ad tantas opes pervenisset, ut munus ederet? Xiphilin. in Nerone. Lib X, epigramm. 3: *Vatiniorum proxeneta fractorum.* Tacitus lib. XV: *Vatinius inter foedissima eius aulae* (supple *Neronis*) *fuit*, *sutrinae tabernae alumnus, corpore detorto, facetiis scurrilibus, etc.* Calices Vatinii dicti sunt, quod nasuti essent, ut ille Vatinius. — Postremus hic senarius unice bonus, nempe Vatinium fuisse acrem et sagacem calumniatorem.

2. *Ipse* legendum censet *de Rooy*.

97. — LANCES CHRYSENDETAE.

Grandia ne viola parvo chrysendeta mullo;
Vt minimum, libras debet habere duas.

1. *Chrysendeta.* Lances erant aureis crustis exornatae, de quibus lib. II, ep. 43: *Immodici tibi flava tegunt chrysendeta mulli.* In pretiosis lancibus non nisi ingentes pisces reponendi sunt.

98. — VASA ARETINA.

Aretina nimis ne spernas vasa, monemus;
Lautus erat Tuscis Porsena fictilibus.

1. *Aretina.* Fictilia scilicet.

99. — BASCAVDA.

Barbara de pictis veni bascauda Britannis;
Sed me iam mavult dicere Roma suam.

Bascauda. Vas quoddam escarium quod in Britannia conficiebatur.

1. *Barbara.* Barbaros a Graecis nuncupatos fuisse omnes alienigenas nullus nescit. Quod deinceps imitatione prosecuti sunt Romani; quamquam tamen hoc nomine eos populos libentius et saepius designarent qui literarum et artium et elegantiarum ignari erant; quos hodie nos vocamus *sauvages*. — *Pictis.* Nam Britanni sibi inficiebant variis coloribus corpora, caeruleo praesertim, ut aiunt quidam, ad id excitantes lib XI, epigr. 54, vs. 1: *Claudia caeruleis quum sit Rufina Britannis Edita.* Certe Caesar. Bell. Gall. I. V: *Omnes vero se Britanni luteo inficiunt, quod caeruleum efficit colorem.*

2. *Sed me iam.* Romae enim tunc fiebant bascaudae.

100. — PANACA.

Si non ignota est docti tibi terra Catulli,
Potasti testa Rhaetica vina mea.

Panaca suppl. *vasa*, idem quod testae Panacorum opus. Panacos autem populos Rhaeliae affirmat Raderus, de quibus tamen nos nihil reperimus.

1. *Terra Catulli.* Verona nimirum; nam Veronam usque pertinebat Rhaelia, hodie *les Grisons*, ubi vinum generosum.

101. — BOLETARIA.

Quum mihi boleti dederint tam nobile nomen,
Prototomis, pudet heu! servio coliculis.

1. *Quum mihi*. Nempe a boletis dicitur boletarium, patina scilicet cui boletorum pulmenta ponebantur et qua ad mensam inferebantur.

2. *Prototomis*. Hoc est, caulibus adhuc teneris, et qui primi succiduntur nascente vere. *Prototomi* autem a πρῶτος, *primus*, et τέμνω, *scindo*, unde τόμος, *sectio*, quasi dicas *prima sectio*. Porro conqueritur boletarium, quod etiam inservist ad ferendos coliculos, cibi genus boletis longe inferius.

102. — CALICES SVRRENTINI.

Accipe non vili calices de pulvere natos;
Sed Surrentinae leve toreuma rotae.

2. *Sed Surrentinae*. Surrentum, alii Surentum, Picentinorum urbs iuxta Tyrrhenum mare, hodie *Sorrento*, ubi terra est poculis conficiendis optima.

103. — COLVM NIVARIVM.

Setinos, moneo, nostra nive frange trientes;
Pauperiore mero tingere lina potes.

Colum nivarium, quod et qualum diceruut, vas erat, in quod optima vina iniiciebantur, quorum ita vis potiusve calor frangeretur. Quod in hunc modum fiebat: nives iniiciebantur in colum, deinde vinum infundebatur, quod per nives dum flueret, frigus induebat, secumque trahebat. Notum vero est inprimis placuisse Romanis sic refrigeratas potiones, sive ob regionis suae calorem ardentissimum, sive quia in editissima aedium parte servata vina, non eodem quo apud recentiores frigore adspersa mensis imponerentur.

1. *Setinos trientes*. Hoc est, vinum Setinum.

2. *Pauperiore mero*. Id est, lino, seu saccis linteis, non colo dignum quod refrigeretur. Diximus nempe supra aestumatissimum inter vina Setinum fuisse.

104. — SACCVS NIVARIVS.

Attenuare nives norunt et lintea nostra;
Frigidior colo non salit unda tuo.

Saccus linteus inferior erat colo nivario, quod vas erat vino refrigerando idoneum: attamen aqua sacco traosmissa non minus quam colo re-

frigerabatur. Vide supra quae notavimus ad lib. II, epigr. 40 et lib. XII, epigr. 60. Ex hac autem voce *saccus* derivatum est *saccare*, quod proximum est τοῦ *colare*. Idem *liquare* quoque significat, sed generaliori et minus stricto sensu, quippe quod non indicet colone an sacco ad liquandum usus eris.

105. — VRCEOLI MINISTRATORII.

Frigida non desit, non deerit calda petenti;
Sed tu morosa ludere parce siti.

Vrceoli Bayfius de Vasculis sic ait: Vrceus, cuius diminutivum urceoli, vas aquarium, ut tamen urceus esset vas ad frigidam, urceoli ad calidam: inde urceoli ministratorii apud Martialem. Vide epigr. 116, 117 et 118.

2. *Sed tu morosa.* Hoc est, Tu ne nimis delicatus et difficilis sis in commixtione aquae frigidae et calidae cum vino. Nam morosam sitim vocat sitim delicatam cui nihil nisi exquisitum sapit, non, ut suspicatus est Raderus, quae moras parit et bibendi raritatem, ita ut convivas hospes impediat ne saepius bibant, oblatarum rerum fastidium simulans.

106. — VRCEVS FICTILIS.

Hic tibi donatur panda ruber urceus ansa;
Stoicus hoc gelidam Fronto petebat aquam.

1. *Ruber.* A terra scilicet vel igne.

2. *Bibebat* alii. — *Stoicus Fronto.* Vt ab aliis cognominibus separet, hunc Frontonem a secta appellavit. Hoc versu dicerem laudatum Cornelium Frontonem Catium oratorem clarissimum, Antonini philosophi praeceptorem, virum Dioni in Adriano, Plinio lib. II, epist. 11, lib. VI, epist. 13 commendatum, quod vero simile videatur discipuli philosophi philosophum fuisse magistrum et Stoica disciplina probatum, quae hac tempestate a sapientioribus celebrabatur. *Rad.*

107. — CALATHI.

Nos Satyri, nos Bacchus amat, nos ebria tigris,
Perfusos domini lambere docta pedes.

1. *Nos Satyri.* Calathorum usus fuit in sacris Bacchi et Satyrorum.

2. *Perfusos domini.* Vino enim cicurata tigris magistri pedes lambit; Spect. XVIII, 1 et seq. *Lambere securi dextram consueta magistri, Tigris, ab Hyrcano gloria rara iugo.*

108. — CALICES SAGVNTINI.

Quae non sollicitus teneat servetque minister,
Sume Saguntino pocula ficta luto.

1. *Quae non.* Saguntum urbs est in Hispania Tarraconensi, hodie *Morviedro.* Erant autem illa vilioris pretii (asse enim aiunt vulgo venum data ea), atque ita servus, dum haec ad mensam ferret aut a mensa reportaret, parum metuebat ne frangerentur.

109. — CALICES GEMMATI.

Gemmatum Scythicis ut luceat ignibus aurum,
Aspice: quot digitos exuit iste calix!

1. *Gemmatum, etc.* Argenteis poculis non gemmae, sed aurea inserebantur emblemata; quae et *chrysendeta*, et *chrysocolleta*, et *chrysoclista* inde dicebantur. Sic gemmae aureis poculis, aurum argenteis includebatur; crystallina autem et myrrhina nullis istiusmodi emblematia usquam incrustata, quae pura et sincera per se magis placebant. *Salmasius.* — *Scythicis ignibus.* Smaragdis nempe de quibus dictum ad lib. IX, epigr. 60, vs. 17. — *Aurum.* Poculum aureum.

2. *Quot digitos, etc.* Namque Romani, quanquam immensis et prope inexhaustis divitiis forent, annulis manum exuebant pocula ornaturi. *En processit luxus, ut multi gemmas digitis detractas poculis inserant.* Plin. lib. XXXVII, cap. 2. Vid. praeterea de hoc Iuven. sat. V, vs. 43: *Nam Virro, ut multi, gemmas ad pocula transfert A digitis.*

110. — AMPVLLA POTORIA.

Hac licet in gemma, quae servat nomina Cosmi,

Ampulla. Ampulla unum erat ex vasibus unguentariis, quae tunc quum multa essent et multiplicis formae, multiplex nomen ferebant, qualia pyxides, alabastra seu alabastri, holcia, lecythi, crussi, pyeli, onyches, demumque *ampullae.* Illis ergo primum nihil praeter unguenta infundebatur, sed luxus eo devenerat, ut ad bibendum illis uterentur Romani, ut nempe delicatissimis odoribus nares sibi etiam in perpotando pascerent.

1. *Nomina Cosmi.* Nimirum Cosmirana dicta a Cosmo unguentario; ut *Cosmianis ipse fusus ampullis*, et lib. XI, epigr. 50, 6, *Profertur Cosmi nunc mihi siccus onyx.* — Falli hic interpretes reor, et libenter crediderim curavisse Cosmum insculpi et ampullis et ὄνυξιν et iis omnibus vasculis quae unguentorum plena vendebat nomen suum, caelaturae modo quodam arcano, ne posset ex aliis unguentariis ullus quasi Cosmianum aliquid tradere quod e Cosmi mani-

Luxuriose, bibas, si foliata sitis.

bus elaboratum non foret. Ampullae omnis liquor iam exhaustus est, neque quidquam Cosmii iam remanet, nisi Cosmianum nomen et odor; huic iam vinum infundi licet.

2. *Si foliata.* Quae sic explicat Plinius lib. XIII, cap. 1: *Nardinum, sive foliatum, constat omphacio, balano, costo, iunco, nardo, amomo, myrrha, balsamo.*

111. — CRYSTALLINA.

Frangere dum metuis, frangis crystallina: peccant
Securae nimium sollicitaeque manus.

Crystallina. Crystallus proprie (et id quidem indicat Graeca vox κρύος, *frigus*) glacies gelata longo tempore et denso frigore; de qua fuse Plinius lib. XXXVII, cap. 2.

1. *Peccant Securae.* E manibus servi nimium solliciti, sicut et negligentis et timentis de se nihil, excidunt crystallina, quae valde fragilia sunt; namque certa parum est, immo vacillat manus et tremit, dum quae tenes nimium metuis ne ex ee tibi elabantur.

112. — NIMBVS VITREVS.

Ab Iove qui veniet, miscenda ad pocula largas
Fundet nimbus aquas: hic tibi vina dabit.

1. *Ab Iove.* Nam aetheris princeps Iupiter credebatur nebulas fingere, diluere, condensare, etc. Vnde Homericum hoc: Νεφεληγερέτα Ζεύς. — *Miscenda ad pocula, etc.* Quibus diluatur merum.

2. *Fundet nimbus.* Hoc est, imber e caelo decidens — *Vina dabit.* Vt nimbi theatrales aspergunt crocum per latentes fistulas in immensam altitudinem expressum, lib. de Spect. epigr. 3, vs. 8; ita hic vinum.

113. — MYRRHINA.

Si calidum potas, ardenti myrrha Falerno
Convenit, et melior fit sapor inde mero.

114. — PATELLA CVMANA.

Hanc tibi Cumano rubicundam pulvere testam,
Municipem misit casta Sibylla suam.

2. Pro *casta* idem *charta.* — *Municipem.* Hoc est, factam Cumis, hodie *Cuma*: ubi erat Sibylla, de qua diximus lib. IX, epigr. 30, 3.

115. — CALICES VITREI.

Aspicis ingenium Nili: quibus addere plura
Dum cupit, ah quoties perdidit auctor opus!

1. *Adspicis ingenium Nili, etc.* Vitreos hos calices fuisse in quibus Aegypti ingenium artificiumque ostentabatur, arguit lemma: sed qua in re spectabatur ars illa? an in colorum varietate? minime. In sculptura igitur et in caelatura visebatur; vitrum enim olim etiam argenti modo caelabatur. Plin. XXXVI, 26; *aliud flatu figuratur, aliud torno teritur, aliud argenti modo caelatur, Sidone quondam iis officinis nobili.* In flatu figurandis vitiis, ut nunc moris est, et in torno terendis, ut olim etiam solebant, nullum operis periculum. Nam et *audaces*, qui plebeii erant calices, et parvo venibant, torno formabantur: hinc *toreumata* Martiali dicta. At in sculpendis caelandisque periculum non parvum: nam saepe inter sculpendum frangebantur. Hoc est, quod ait Martialis: *quibus addere plura Dum cupit, ah quoties perdidit auctor opus!* Atque hi sunt omnino calices qui *diatreti* dicebantur; vide quae dicta lib. XII, epigr. 70, ad illam notam *diatheca* seu *diatreta*; et conf. aliam in lib. XIV, ep. 94. *Salmas.* — Hi autem vitrei calices diversi coloris erant; itaque Adrianus Imp. *allassontes* dixit in epist. ad Servianum: *Calices tibi allassontes versicolores misi.* Quod *allassontes* cave ne cum quibusdam accusativum credas ab ἀλάζων, *audax, arrogans*; nam ἀλάζων habet in genitiv. ἀλάζονος, ergo in accusativ. ἀλάζονα et ἀλάζονας, sed crede ab ἀλλάσσω aut ἀλλάττω (*vertere*) derivari; neque ergo sensu eodem accipias ac *versicolores*. Vide Scalig. ad Propert. lib. IV. — Quid autem sit hic *versicolor* color fortean requiras? Aune idem cum *vario, variegato?* Ne id credito; haud irrita in verbis ipsis ita occurrit discrepantia, sive Romans, sive Graeca lingua usus eris. Nam Graeci habent ποικίλον et ἀλλάττοντα, quae et ipsa diversa sunt. Porro varium hoc est quod variis et plurimis coloribus sine ordine certo, sine lege distinctum est; versicolor quod hos modo, modo illos, prout vertitur sol radiique decidunt, colores vicissim induit. Et ut perspicue magis rem ambiguam indicemus, *varius* gr. ποικίλος, id fere est quod nos vocamus *marbré*; *versicolor* (ἀλλάττων) id fere quod *moiré*. Eo. P.

2. *Perdidit auctor opus.* Fregit in ipso opere.

116. — LAGENA NIVARIA.

Spoletina bibis, vel Marsis condita cellis;
Quo tibi decoctae nobile frigus aquae?

2. *Quo tibi.* In quem usum erit tibi aqua decocta, et quae deinde refrigerata pretiosa habebatur, et praestantissimo tantum vino conveniebat? neque enim *nobile decoctae* (de qua lib. V, epigr. 65, vs. 2) convenit cum vilioribus vinis, epigramm. 120 et 121 lib. eiusd. Aqua

autem decocta in nivibus iterumque refrigerata magno in pretio habebatur. Plinius XXXI, cap. 3: *Neronis principis inventum est, decoquere aquam, vitroque demissam in nives refrigerare.* Tom id. lib. XIX, cap. 4: *Heu*, inquit, *prodigia ventris! Aquae quoque separantur, et ipsa naturae elementa vi pecuniae discreta sunt. Hi nives, illi glaciem potant, poenasque montium in gulae voluptatem vertunt. Servatur algor aestibus, excogitaturque ut alienis mensibus nix algeat; decoquunt alii aquas, et mox hiemant.*

117. — NIVES. *

Non potare nivem, sed aquam potare rigentem
De nive, commenta est ingeniosa sitis.

Aqua nivea ed. *Barb.* tam saepe solitudinis amans et aliarum edd. societatem exosa.

1. *Non potare nivem.* Sed aquam decoctam ex ipsius nivibus, et deinde refrigeratam. Vid. epigr. 116.

118. — IDEM.

Massiliae fumos miscere nivalibus undis
Parce, puer, constet ne tibi pluris aqua.

2. *Constet ne.* Aqua enim decocta erat carior huiusmodi vino.

119. — MATELLA FICTILIS.

Dum poscor crepitu digitorum, et verna moratur;
O quoties pellex culcita facta mea est!

1. *Poscor crepitu.* Lib. III, epigr. 82, 15: *Digiti crepantis signa novit eunuchus.*

2. *Pellex culcita.* Pellex proprie illa dicitur quae legitimae uxoris loco nuptialem torum invadit. Hinc significavit *aemula*, *rivalis*. Et hic per catachresim matellae pellex culcita pronuntiatur, quia loco matellae urina ipsa perfundebatur.

120. — LIGVLA ARGENTEA.

Quamvis me ligulam dicant equitesque patresque,
Dicor ab indoctis lingula grammaticis.

Ligula. A lingua deducitur: tamen usus invaluerat ut *ligula*, non *lingula* diceretur, quam Gellius l. X, cap. 25 definit *gladiolum in speciem linguae factum.* Sic Poëta carpit grammaticos, qui, usu neglecto, nominis etymologiae pertinaciter adhaereut. Ligula est etiam mensurae genus. Vide lib. V, epigr. 19, 11.

121. — COCHLEARIA.

Sum cochleis habilis, sed nec minus utilis ovis;
Numquid scis, potius cur cochleare vocer?

Cochlearia. Supple *ligula*, inquit Farnabius. Ad quid enim referretur *habilis* et *utilis?* Mihi vero videtur Poëta σολοικίζειν: aut mendum est in lemmate. — Sed vid. not. seq.

1. *Habilis .... utilis.* Vtraque vox feminini aut masculini generis, quum tamen *cochleare* neutrius sit. Idne mirandum valde? et dices, ut dixere quidam, Martialem σολοικίζειν? Minime; nam *cochleare* de se loquitur: porro illa tantum neutrius generis merito videntur quae inanima, quae et vitae et sensus expertia sunt; quae autem loquuntur aut loqui finguntur, ex eo solum quod loquuntur, iam non inanima sunt, et quum se nominant, vel masculino vel feminino generi sese addicunt. Si tamen supra *cochleare* dixisset quid haberet nominis, minus forsan placeret neutrius loco femineum aut masculinum genus; quum autem id non acciderit, iure suo *habilis* non *habile*, *utilis* non *utile* Noster dixit.

2. *Cur cochleare.* Gallice *cuiller*, sorbendis ovis non minus quam cochleis inservit. Sed quia, inquit Raderus, ad usum cochlearum primum inventum reor, nomen inde retinuit potius, quam ab ovis accepit. Aut, ut ait ingeniosius Domitius, cochlearia appellata sunt a specie cochlearum, non ab alicuius cibi usu.

122. — ANNVLI.

Ante frequens, sed nunc rarus nos donat amicus;
Felix cui comes est non alienus eques.

1. *Ante frequens.* Hoc distichum sic explicat Turnebus lib. IX, cap. 24: Ante dicit solitos esse divites multis censum equestrem supplere, annulosque aureos dare, qui equitum erant gestamina, quod aetate sua rarum queritur: verumtamen felicem dicit qui comitem habet *equitem non alienum*, sed suum, quem ipse sua liberalitate equestri censu donato equitem fecerit; ut ad lib. V, epigr. 19, 10: *Aut quem prosequitur non alienus eques?*

123. — DACTYLIOTHECA.

Saepe gravis digitis elabitur annulus unctis;
Tuta mea fiet sed tua gemma fide.

1. *Saepe gravis annulus.* Iuv. Sat. I, 26, in Crispinum: *Quum pars Niliacae plebis, quum verna Canopi Ventilet aestivum digitis sudantibus aurum, Nec sufferre queat maioris pondera gemmae.* Eo autem deliciarum et mollitiei provenerant mores Romanorum, ut annulos alios aestivos et leviores, alios hibernos et eos graviores haberent. Caeterum quoque annotandum est iis in usu fuisse, omnibus digitis annulum, immo et saepe annulos, gestare. Vid. lib. XI, epigr. iam cit.

124. — TOGA.

Romanos rerum dominos, gentemque togatam
Ille facit, magno qui dedit astra patri.

1. *Romanos.* Versus est Virg. Aen. I, 286, *Gentemque togatam.* Populum Romanum intellige, qui toga utebatur et quodammodo gloriabatur. Certe sub iugum missis populis toga romana interdicebatur, et in romanis provinciis gaudebant Romani togam induere.

2. *Qui dedit.* Domitianum intellige, qui Vespasiano suo patri mortuo divinos honores tribuit, et Flaviae genti templum condidit, de quo lib IX, epigr. 4. Alii intelligunt Augustum, qui Iulium Caesarem patrem suum adoptivum publice in numerum deorum retulit. Sed malim Domitianum interpretari.

125. — IDEM.

Si matutinos facile est tibi rumpere somnos,
Attrita veniet sportula saepe toga.

1. *Si matutinos.* Hoc est, si salutationes matutinas obire potueris, accipies quidem sportulam, sed togam atteras.

2. *Attrita, etc.* Legendum: *Attrita veniet sportula saepe toga.* Vulgo *Attrita*, perperam. Loquitur enim de toga salutantium. Eorum enim toga conterebatur, qui potentiores colebant, eorumque limina matutinis salutationibus frequentabant, ut sportulam lucrarentur. *Salmas.*

126. — ENDROMIS.

Pauperis est munus, sed non est pauperis usus;
Hanc tibi pro laena mittimus endromida.

1. *Sed non est.* Endromide enim in gymnasiis utebantur divites. Fortean ut in arena vel sub xystis currerent aut matutinis cursitationibus indulgerent facilius, quod declarat quam Ετυμολογίαν vocant? Erat vestis villosa, et hiemis tempore potissimum in usu erat, ut ille demonstrat Iuvenalis versiculus in Sat. III, 102: *Igniculum brumae si tempore poscas, Accipit endromiden.*

127. — CANVSINAE FVSCAE.

Haec tibi turbato Canusina simillima mulso
Munus erit: gaude; non cito fiet anus.

Canusinae. Lanae istae, ut versu priore videbis, mulsi turbidi colorem referebant. Canusium vero Apulorum Dauniorum oppidum, hodie *Canola*, unde lanae Canusinae.

2. *Non cito fiet anus.* Hoc est, vestis ex hac lana confecta non cito deteretur.

128. — BARDOCVCVLLVS.

Gallia Santonico vestit te bardocucullo;
Cercopithecorum penula nuper erat.

1. *Gallia Santonico.* Bardocucullus vestis erat vilior, de qua lib. I, epigramm. 54, 5. Fiebat apud Santones, Galliae Aquitanicae populos, hodie *Saintonge.*

2. *Cercopithecorum.* Qui simiae sunt caudatae: epigr. 202 infra. Penula utebantur Romani quum plueret. Erat autem bardocucullus multo brevior: lib. I, epigr. 93, 8, *Dimidiasque nates Gallica palla tegit.* Vnde confert illum tunicae, qua amiciuntur simiae.

129. — CANVSINAE RVFAE.

Roma magis fuscis vestitur, Gallia rufis;
Et placet hic pueris militibusque color.

1. *Roma magis, etc.* Quidam hoc intelligunt partim de tunicis russis Canusinis, quae servis et militibus in usu fuerunt, partim de penulis; quum nullo pacto de tunicis Martialis loquatur, sed tantum de penulis rufis, ut titulus indicat; quum praeterea discrimen fuerit inter colorem rufum et fuscum. *Ferr.* — Sensus distichi est: Viri Romani utuntur vestibus fusci coloris; Galli rufis e lana Canusina: et tamen pueri nostri gaudent rufo hoc colore, ut et milites, ex instituto Laconum quibus hic color in bello placebat, ne per vulnera effluens sanguis in vestibus alterius coloris incuteret suis terrorem, hostibus adderet animum. Intellige tunicas russas Canusinas, quae servis et militibus in usu fuere: vel certe penulas russas. Hinc penolati servi, etc. *Tunicae russae* sunt φοινικοῖ χιτῶνες. Plutarchus illas φοινικοῦς ὑποδύτας dicit. Isidorus *russatas* vocat: *Russata*, inquit, *quam Graeci phoeniceam vocant, nos coccinam, reperta est a Lacedaemoniis ad celandum coloris similitudine sanguinem, quoties quis in acie vulneratur, ne contemplanti adversario animus augesceret.* Romana ergo plebs fuscis penulis vel lacernis ibat induta vulgo: milites vero et famuli lautiores, russis. *Salmas.*

130. — PENVLA SCORTEA.

Ingrediare viam caelo licet usque sereno;

Penula erat pallii genus, magnum, villosum, splendidumque, apud divites praecipue et molles viros usitatum. Porro multiplex fuit genus penularum non duntaxat quoad formam coloremve latitudinemve et alia id genus, sed quoad usum. Nam fuere penulae vernae, aestivae, hiemales, sic ob illud appellatae quod per istes anni tempestates induebantur. Hae

Ad subitas nunquam scortea desit aquas.

vero, hiemales scilicet, quas χειμάδας Graeci dixere, fiebant ex lana Appula miro candore, et villorum gratia commendatae, et frigoris tantum caussa habitae. Hae, quod in modum gausaparum textae essent, gausapinae dictae. Quod testatur Martialis lib. VI, epigr. 59: *Et dolet, et queritur, sibi non contingere frigus Propter sexcentas Baccara gausapinas.* Idemque de penula gausapina, lib. XIV, epigr. 145: *Is mihi candor inest, villorum gratia tanta est, Vt me vel media sumere messe velis.* Media ergo hieme sumebantur. Erant etiam et penulae, quibus extra urbem tantum utebantur et in itinere, et etiam intra urbem. *Salmas.*

1. *Ingrediare, etc.* Distichi totius sensus est: Etiamsi rideat, egrediente te et ineunte viam, caeli adspectus, et diem candidum polliceatur, habeas tecum penulam e pellibus sive corio ad arcendas pluvias.

2. *Nunquam.* Alii *nusquam.* — *Ad subitas.* Vt subito decidentis pluviae impetum repellas.

131. — LACERNAE COCCINEAE.

Si Veneto, Prasinove faves, quid coccina sumis?
Ne fias ista transfuga sorte, vide.

Coccinae malit Conradus Gesnerus, quo etiam in MS. Beverl. invenitur.

1. *Si Veneto.* Color Prasinus est viridis, Venetus vero caeruleus: qui ergo vestem coccineam induebat, neutri factioni favere videbatur: sic una vincente, alteri acclamare atque adeo transfuga fieri poterat. *Coccum* frutex est fullonius, Graecis κόκκος βαφική: frutici grana adhaerent, e quibus fit color ille lanarum praecipuus; cuius copia summa in ea Hispaniae parte, quae *Turdetania* appellatur, ut auctor est Strabo lib. III. *Raderus.*

2. *Ista sorte.* Hoc est, electa hac lacerna coccinea, qua utebantur Veteres ad arcendum frigus et declinandam pluviam.

132. — PILEVS.

Si possem, totas cuperem misisse lacernas;
Nunc tantum capiti munera mitto tuo.

1. *Totas misisse lacernas.* Vocat *totas lacernas*, quae eum pileis sunt sive cucullis. Hinc et lacerna ac birrus pro cucullo ac capitio. Abbreviator Festi: *lacerna, quod minus capitio est.* Vocat autem *capitium*, capitis tegumentum. *Salmas.*

2. *Nunc tantum, etc.* Quum ad muneris, tum ad facultatis meae tenuitatem excusandam facit tempus, Saturnalia scilicet in quibus pileata incedit Roma. Porro ex attritis lacernis pilea fieri solita tradit Brodaeus lib. X. Miscellan. cap. 35.

133. — LACERNAE BAETICAE.

Non est lana mihi mendax, nec mutor aheno;
Si placeant Tyriae, me mea tinxit ovis.

2. *Si placeant.* Id est: Esto placeat lana Tyria infecta purpura; diversa ego tamen placere quibusdam possum.

134. — FASCIA PECTORALIS.

Fascia, crescentes dominae compesce papillas,
Vt sit quod capiat nostra tegatque manus.

1. *Luctantes* Heins. ad Ovid. Rem. Amor. vs. 338; vitione errantis memoriae, an consulto, haud facile decernes, quum *luctantes* acutum sane et ingeniosum sensum praebeat. Nota hic quam saepe memoriae lapsu videatur laborare Heinsius. Laboratne ille vere, an laborantem se simulat? Id ego identidem suspicarer: voluisse nempe saepius virum doctum interpretis parte abiecta, ad quam diligentia solum opus est, auctoris partes sibi vindicare, quae ingenii magis expetunt. Al. *surgentes*. Scriv. ad Pervig. Veneris *turgentes*. — *Crescentes compesce.* Intra modum extumescentes papillae gratiores sunt; nec enim mammosae puellae placent. — *Dominae.* Hoc est, amicae. Iam supra notavimus *dominos* amasios, *dominas* amicas appellari; quod nos imitamur Gallica lingua amicam vocantes *maitresse*.

135. — COENATORIA.

Nec fora sunt nobis, nec sunt vadimonia nota;
Hic opus est pictis accubuisse toris.

Coenatoria. Supple aut *vestis*, aut *pallia*. Neutro genere tamen potius eadem vox usurpata esse videtur, ut lib. X, epig. 87, 12: *Coenatoria mittat advocato*. Quanquam vero passim occurrat *coenatoria* in feminino; cuius rei unum dumtaxat exemplum proferemus, Capitolini nempe, qui in vita Maximini: *Quum in coenam ab Alexandro esset vocatus, in patris honorem, quod deesset ipsi vestis coenatoria, ipsius Alexandri accepit.*

1. *Nec fora sunt.* Veste enim coenatoria domi tantum utebantur Romani. *Vadimonium* est sponsio quaedam sistendi se iudicio ad diem praestitutam.

2. *Hic opus est.* Hoc est, Inservimus tantum convivis, qui lectis pictis accumbunt.

136. — LAENA.

Tempore brumali non multum levia prosunt;
Calfaciunt villi pallia vestra mei.

Laena. Vestis nempe, quae palliis superinduebatur hieme.

1. *Levia*. Qualia sunt serica, bombycina, linea. *Farnabius*.

2. *Calfaciunt villi pallia*. Algentia nimirum; ergo et ipsius corporis calorem fovent. *Rayfius*. Nec hoc loco omiserim Galliarum incolas olim solitos sagis villosis uti, quas laenas appellabant.

137. — LACERNAE ALBAE.

Amphitheatrales nos commendamur ad usus,
Quum tegit algentes nostra lacerna togas,

Lacernae albeticae cod. Thuan. Lacerna, una ex usitatissimis tunc apud Romanos vestibus, breve palliolum fuit, quod togis vel sago militari iniiciebatur. Videntur autem antiqui ad lacernarum colorem maxime attendisse, Amethystinae, coccineae, purpureaeque lautos viros et molles indicabant. Illis autem quae splendidae minus, v. g. fuscae, leucophaeae, vel rufae, vel demum nigrae erant, philosophi vulgo, et sapientiae vel severitatis laudem venantes induebantur Vnde lib. I, epigr. 97, 4, Martialis de quodam austerum sese fingente, ironice, *Amator ille tristium lacernarum*. Albus vero color, quem hic lacernis suis Noster attribuit, videtur praecipue in usu ad ludos spectandos tunc fuisse. Quod docebit te, ut alia bene multa praetercam, ipse Noster lib. IV, epigr. 2, 4: *Quum plebs, et minor ordo, maximusque Sancto cum duce candidus sederet*.

1. *Amphitheatrales*. Hanc si terminationem admiseris, sensus erit: *Nos libentissime cives induunt, quum in amphitheatra et circum properant, Caesareos ludos spectaturi*. At si rescripseris in ablativo casu *amphitheatrali ab usu*, tunc in nativo sensu accipi debet *commendamur*, quasi dicerent lacernae: *Continuo quidem et omni tempore nos utiles sumus et laudamur, at laudamur impensius, quum nostra ope plebs utitur quae amphitheatrum cingit et ludos speculatur*. Lib. IV, epigr 2, 1: *Spectabat modo solus inter omnes Nigris munus Horatius lacernis*.

2. *Algentes togas*. Pro gelidas, frigidas, quae neque a vento defenduot, neque arcent penetrabile frigus. Illam autem ἐπίθετον vocem adiecit togae ipsi, quam togatulo misero iustius multo foret adiicere, per κατάχρησιν. Non enim toga alget, sed togatus.

138. — GAVSAPA VILLOSA, VEL MANTILE.

Nobilius villosa tegant tibi lintea citrum;
Orbibus in nostris circulus esse potest.

Mantela est tela, vel linteum quo manus extergunter. Postea generis enallage, et *mantelum* dictum est, et *mantele*: sic haec *gausapa*, qui Graecis ὁ γαυσάπης, et hoc *gausapum*, et hoc *gausape*. Sic accipienda sunt mantelia apud Virg. IV, 377: *tonsisque ferunt mantelia villis*. Villosa ergo erant illa mantelia. Plin. lib. VII, cap. 11. Veteres ergo mantelia ante pectora ponere coenantes consueverant, ut hodie solemus illa lintea, quae *serviettes* nobis dicuntur, quibus manus et labra tergamus. Verum iam aetate Plinii mantelis non amplius in usu erant ἀντὶ χειρομάκτρων, sed intergendis mensis serviebant, praecipue si pretiosiores illae essent, ut nempe pura et absque labe servarentur pulcherrima ligna, e quibus istae conflari solebant. Atque hoc tunc temporis discrimen statuebatur inter mappas et mantelia. Vide lib. XII, epigr. 29, 11: *Attulerat mappam nemo, etc.* Salmas.

1. *Nobilius*. Hoc distichum sic explicat Turnebus lib. IX, cap. 24. Mantilibus, inquit, tibi villosis et gausapa opus est, ut nobilis tua citrea mensa vindicetur ab inquinamento maculae: mea vilis mensa, quae maculam non reformidat, et in qua potest esse circulus, rotundaque labes, quam repositoria et paropsides saepe faciunt, nihil indiget vindice mantili. Caeterum nescimus, an in lemm. *gausapa villosa* femin. gen. singul. num. sit, an neutrum quoad genus, et plurale quoad numerum. Certe crederes sing. ergo fem. quum *mantile* sit sing. At in lemmate epigr. 152 infra *gausapa* neutr. invenitur.

2. *Orbibus in nostris*. Mensis rotundis. — *Circulus esse potest*. Quid hic circulus designat? num maculam rotundam quae impressa adhaeret mensae ex lance, repositorio, seu paropside, vel, quod his proximum est, et suspicatus Scaliger primus protulit, e lagena aliquantulum madida? uumve orbiculos e ligno vili factos super quos ponerentur et paropsides et lagenae? Nam hic usus invalescebat, ipsius Scaligeri testimonio, apud caupones, et hinc quis dubitet latius mox pervagatum? Hunc ego sensum praetulerim. Et sic locus est circa voces fere συνωνύμους *orbis* et *circulus*. Ed. P.

139. — CVCVLLI LIBVRNICI.

Iungere nescisti nobis, o stulte, lacernas;

Illyricum est pars magna Europae meridionalis inter Adriaticum mare, Epirum, Istri accolas gentes et Macedoniam sita; Illyris vero propria ea est pars Illyrici, quae ad meridiem vergit et Epiro proxima est. Illyrici etiam partes fuere et Dalmatia et Liburnia, Illyridis nentiquam. Tum Dalmatiam et Liburniam amnis separabat, et haec Illyridos populis propior, illa vero Istriae peninsulae: utraque autem in immensam patebat

Indueras albas; exue callainas:

sine latitudine longitudinem Adriatico mari contiguam.

1. *Iungere nescisti nobis, etc.* Cucullus capitis tegmen fuit, ut et partem humerorum velaret, quales a sacris hominibus hodie gestari videmus. Ii cum lacernis sumebantur; vel pluviae arcendae, quum nondum penulae in usu intra urbem essent; vel lstendi causa, ita tamen, ut separari a lacernis possent atque amoveri. Vnde Mart. XIV, 137: *Si possem, totas cuperem misisse lacernas, Nunc tantum capiti munera mitto tuo.* Porro cuculli Liburnici dicti sunt, quod Liburnica lana conficerentur: de qua Plin. lib. VIII. Illos igitur non bene cum lacernis albis iunctos tradit Martialis, quod colorem mox his lacernis suum ita affricarent, ut pro albis vel rutilae, vel cerulese exnerentur. Vid. infra. — *Iungere, etc.* Male superinduuntur albae lacernae cucullis Liburnicis, qui, tincturam non probe retinentes, lacernas ex albis reddunt rutilas et coloris auri Callaici, vel ut Scriverius legit *Callainas*, id est caeruleas, a Callai gemma, Sapphiri aemula.

2. *Callaicas* vulgg. Scriverius legit *Callainas*, quod etiam rectum censet doctus Annotator in marg. ed. Laogii. — *Callaicas* Hoc est, rutilas; nam aurifodinas habebant *Callaici*; *callainas* vero esset *caeruleas*, ut diai, a culusdam gemmae colore.

140. — VDONES CILICII.

Non hos lana dedit, sed olentis barba mariti;
Cinyphio poterit planta latere sinu.

Vdones. Genus est calceamenti quo nempe primum utebantur Cilices, mox finitimi et omnes.

2. *Cinyphio sinu.* Hoc est, pilis hircinis. Nam hirci Cinyphii sunt dicti a Cinyphe Africae fluvio, ad quem sunt magna copia. *Domitius.*

141. — SYNTHESIS.

Dum toga per quinas gaudet requiescere luces,
Hos poteris cultus sumere iure tuo.

Synthesis. Vestis qua licebat uti per quinque legitimos Saturnaliorum dies. Vide epigr. 1 supra, et lib. VII, ep. 52, vs. 1 et 2. Illud tantum supra dictis adiiciemus, aliquod discrepantiae Synthesim inter atque coenatoriam; illa enim potius designaret quod nos speciem vocamus, haec vero genus; ita ut generaliori semper et magis amplo sensu *coenatoria* accipiatur, Synthesis vero stiictiore et laxo minus.

142. — FOCALE.

Si recitaturus dedero tibi forte libellum,
Hoc focale tuas asserat auriculas.

Focale. Fascia nempe lata ex lana quaobstrueret aures, ne mala carmina audiret. Focalia vero a faucibus dicta sunt, quibus haerent: quorum vulgo usus ad arcendum frigus a collo et faucibus; poëtis etiam recitaturis, ne raucescerent. Mutatum autem *au* in o ne stupeas, neu ob id neges esse *focalia* a faucibus. Id enim iam observare fuit in nomine Sergii *Oratae* qui sic ab aurata pisce appellatus est. Vid. sup. epigr. 90.

1. *Si recitaturus, etc.* Dicit semet ipse irridens poëta. Si recitavero tibi libellum malum, moneo, ut focale (quod alioqui poëtae adhibent ad fauces et collum, ne raucescant) tu auribus admoveas, easque obstruas, ne mala carmina audias.

2. *Asserat*. Hoc est, a periculo tueatur, et impediat quin *impune diem consumat opella ingens*.

143. — TVNICAE PATAVINAE.

Vellera quum sumant Patavinae multa trilices,
Et pingues tunicas serra secare potest.

1. *Patavinae*. Ex triplici nempe licio contextae tunicae tam densae, ut non forfice, sed serra veluti asserea secarentur. Hoc autem ποιητικῶς et ὑπερβολικῶς dictum patet. Caeterum hae tunicae trilices πολύμιτα apud Graecos nominabantur, et Alexandriae in Aegypto primum contextae sunt.

144. — SPONGIA.

Haec tibi sorte datur tergendis spongia mensis
Vtilis, expresso quum levis imbre tumet.

Spongia, graece σπόγγος, una ex hac animantium specie intima, quam plantis iam simillimam atque animi animaeve vix compotem Ζωολογισταί recentiores Αμορφοζώων vocare consueverunt. Ereptam e nativo mari, nullus nescit hanc perutilem esse et tergendo corpori et emaculandis mensis, muris, pavimentis.

1. *Sorte datur*. Per sortem datum fuisse hoc munus dicit, me quidem iudice, quod vilius munus foret. Quanquam tamen potest duntaxat ut versiculum faceret, vocem hanc addidisse.

2. *Quum levis*. Vide lib. XIII, epigr. 47: *Vt levis accepta spongia turget aqua*. Quod optime per unicam vocem ὑγρώσσων Graeci exprimebant.

145. — PENVLA GAVSAPINA.

Is mihi candor inest, villorum gratia tanta est,
Vt me vel media sumere messe velis.

2. *Vt me vel media.* Hieme Romani utebantur gausapinis: lib. VI, epigr. 59: *Et dolet et queritur, sibi non contingere frigus Propter sexcentas Baccara gausapinas.* At haec paenula gausapina tam nitida erat, ut vel aestate potuerit esse usui.

146. — CERVICAL.

Tinge caput nardi folio, cervical olebit;
Perdidit unguentum quum coma, pluma tenet.

Cervical pulvinus fuit cervici subiectus, ut cubital cubito apud Horatium lib. II, sat. II. — Ego attamen potius crediderim, cervical id fere fuisse quod nos vocamus *serre tête* aut *bonnet*. Vid. quae infra notavimus ad vs. 1.

1. *Nardi folio.* De hoc unguento dictum epigr. 90 supra. Non magis difficilem sensum habes, si legis *Cosmi*; istius namque unguentarii mentionem saepius fecimus. Quacumque autem lectione magis delecteris, distichi sententia haec est: Si tinctum tibi Cosmiano caput fuerit, cervical maculabis; unguento enim madidi capilli imbuunt quoque pulvinum. — Sane quidem si nudum caput: sed quis credat eos nuda cervice dormivisse? Vbi autem capiti operculum aliquod sit quomodo pulvinari maculae adhaerebunt? Crede ergo cervical esse hic *un serre-tête.*

147. — CVBICVLARIA GAVSAPINA.

Stragula purpureis lucent villosa tapetis;
Quid prodest, si te congelat uxor anus?

Cubicularia gausapina. Villosa nempe cubiculi stragula, vel calidissima, non possunt id vincere frigus quo te afficit iuvita vetula uxor.

148. — LODICES.

Nudo stragula ne toro paterent,
Iunctae nos tibi venimus sorores.

Vnanimes et membranae et edd. libb. in istius epigrammatis scriptura exhibenda.

1. *Nudo.* Lodicibus ligna, bracteae, stragula, pulvinar, totus denique lecti apparatus contegebatur. Erant autem

gemmae in opertorium coëuntes. Est mentio lodicum apud Iuvenalem sat. VI et VII. Suetonius, August. cap. 83, tradit lodicula hunc principem usum in exercitatione: *Mox nihil aliud quam vectabatur et deambulabat, ita ut extremis spatiis subsultim decurreret segestri vel lodicula involutus.* Veronae autem, in Venetorum urbe, pulcherrimae et pretiosissimae fiebant, ut mox videre erit epigr. 152, 1: *Lodices mittet docti tibi terra Catulli.*

149. — AMICTORIVM.

Mammosas metuo: tenerae me trade puellae,
Vt possint niveo pectore lina frui.

Amictorium lintei genus est quo sinum feminae sibi cingebant. Ne idem ergo putes cum mamillari et strophio de quibus iam diximus: hoc puellae stringebantur ne ultra modum crescerent mammae; amictoriis autem tantum tegebantur. Ita ut si nostris vestibus vetera haec conferamus, quamvis satis dissimilia fuerint, aliquid mamillaria habeant magis simile his pectoris carceribus quos vocamus *corsets*, amictoria vero eadem fere videantur ac *mouchoirs* vel *fichus*.

1. *Mammosas metuo*. H. e. non amo, fugio.

2. *Niveo pectore lina frui.* Subtiliter et lepide per hypallagen dictum, quum dicendum potius videretur: Vt possint niveis linis pectora frui.

150. — CVBICVLARIA POLYMITA.*

Haec tibi Memphitis tellus dat munera: victa est
Pectine Niliaco iam Babylonis acus.

* Multis filis seu liciis contexta. — Polymitarii stragula multis liciis texebant, quae *polymita* inde Graecis vocabantur. Non acu operabantur Alexandrini illi polymitarii, sed pectine. Nam in tela et textoriis instrumentis artem suam exercebant, ac per hoc vere et proprie texebant. Tantum tamen eorum artificium fuit et industria, ut maiore ferme varietate eorum opera distinguerentur, quam quae acu Babylonica aut Phrygia picta essent. Hinc non dubitat Martialis pronuntiare, Babylonicam acum debere concedere Aegyptiaco pectini.

1 *Memphitis.* Aegypt. *Victa est pectine Niliaco.* Stragula ab Aegyptiis texta vincunt tapetas vestesque Babylonias ac Phrygias acu pictas et olim tantopere laudatas.

151. — ZONA.

Longa satis nunc sum: dulci sed pondere venter
Si tumeat, fiam tunc tibi zona brevis.

1. *Longa satis.* Cingulum puellae datum sic loquitur. — *Dulci sed pondere.* H. e. Si gravida fiat puella, zona brevior fiet. *Dulce pondus* ergo hic est foetus. Si vero cum quibusdam zonam virilem intelligas, dulce pondus erit referendum ad gulae et ventris sarcinas. Placet prior interpretatio suaviore sensu, dubia tamen Saturnalium tempore.

152. — GAVSAPE QVADRATVM.

Lodices mittet docti tibi terra Catulli;
Nos Helicaonia de regione sumus.

1. *Terra Catulli*. Verona.
2. *Nos Helicaonia*. Hoc est, Patavina. Vide lib. X, epigr. 93. *Gausape* vero stragulum erat militare crassioris fili artificiique vilioris.

153. — SEMICINCTIVM.

Det tunicam dives: ego te praecingere possum.
Essem si locuples, munus utrumque darem.

Semicinctium. Gallice *tablier*.
Essem si locuples, inquit Poëta, darem tunicam et semicinctium. *Tunicam* accipe pro ea quae carni proximior, quam, ut mihi videtur, tunicam lineam, vel imam dicere possumus. *Bayfius*.

154. — LANAE AMETHYSTINAE.

Ebria Sidoniae quum sim de sanguine conchae,
Non video, quare sobria lana vocer.

1. *Ebria de sanguine conchae*. Poëta hic ludente in etymologia *amethystinae* lanae: ἀμέθυστος sobrius dicitur (e graeco α privat. et μέθυ, *merum*); est etiam gemma quae purpureum colorem refert. Lanae autem amethystinae purpura tinctae dicuntur ob suam cum lapide similitudinem: tunc vero quodammodo erant ebriae murice. Sensus ergo est: Quum bibam sanguinem muricis, cur vocor sobria? *Sidon* autem Palaestinae urbs maritima, hodie *Said*, ubi magna et buccinorum et muricum copia, quorum sanguine color purpureus efficiebatur.

155. — LANAE ALBAE.

Velleribus primis Apulia, Parma secundis
Nobilis: Altinum tertia laudat ovis.

1. *Velleribus*. Lanae albae primas tenet Apulia; secundas Parma, urbs nota ad Padum; tertias Altinum, quod est Venetiae mediterranea urbs, quam Villanovanus *Torcello* dici ait, nomen *Altino* retinere putarim. Nota autem hic *primis*, pro excellentissimis, omnium optimis, ac *secundis* pro omnium uno excepto praestantissimis etc. item gallice *premier* et *second*.

2. *Laudat*. Pro laudandum demonstrat, iubet laudari, elegantiae amatoribus commendat.

156. — LANAE TYRIAE.

Nos Lacedaemoniae pastor donavit amicae;
Deterior Ledae purpura matris erat.

1. *Lacedaemoniae amicae.* Hoc est, Helenae nempe, quae Lacedaemonii regis Tyndari filia erat, fratresque Castorem et Pollucem habuit. — *Pastor.* Vox poëtis usitata immo et dilecta, ut raptorem Helenae Parin designent; namque in Ida monte expositus Paris pastor diutissime fuerat. Hinc Theocrit. in famoso Idyll. Oaristyi, vs. 1: Τὰν πινυτὰν Ἑλέναν πόκ' ἀφήρπασε βῶκολος ἄλλος... et Horat. lib. I, Od. XV, vs. 1 et 2: *Pastor quum traheret per freta navibus Idaeis Helenam perfidus hospitam.* — *Nos donavit.* Videtur enim magnificentia Asiatica et splendidis muneribus sibi Helenam conciliasse Paris, non minus quam pulchritudine sua.

2. *Deterior Ledae.* Quae nempe purpura Laconica erat induta, qua nobilior est Tyria; Leda autem fuit mater Helenae: itaque Laconica purpura magis usa est, quam Tyria.

157. — LANAE POLLENTINAE.

Non tantum pullo lugentes vellere lanas,
Sed solet et calices haec dare terra suos.

Lanae Pollentinae (*Polentinae*); Aliique *Pollinae.* Liguriae urbs Polentia apud Tanarum fluvium, hodie Polenzo. Et Sil. VIII, 597: *Vercella e fuscique ferax Pollentia villi.*

158. — IDEM.

Lana quidem tristis, sed tonsis apta ministris,
Quales non primo de grege mensa vocat.

1. *Tristis.* Hoc est, fusca. Vidend. epigr. praecedens. — *Sed tonsis.* H. est servis vilioribus, non vero pueris venustis et comam alentibus, qualis erat Cestus, de quo Noster lib. VIII, ep. 51, 19: *Ceste, decus mensae.*

159. — TOMENTVM LEVCONICVM.

Oppressae nimium vicina est fascia plumae?
Vellera Leuconicis accipe rasa sagis.

1. *Oppressae.* De fascia lecti iam diximus lib. V, epigramm. 62, ob quam lana nimium oppressa facile cedit, ita ut iacenti incommodum ferat.
2. *Vellera Leuconicis.* Sic fere Ra-

derus: Iam vidimus, lib. XI, epigr. 56, 9: *Leuconicis agedum tumeat tibi culcita lanis.* Leuconium vero Aeolidis oppidum videtur apud Thucydidem. Sensus est: Accipe tomentum quod lana pannis vestibusque abrasa dicitur. Sed malim retinere Lingonicum, quam Leuconicum, quod Gallicanae vestes, ut supra vidimus, in Vrbem sunt importatae. Lib I, ep. 54, vs. 5: *Vrbica Lingonicus Tyrianthina bardocucullus.*

160. — TOMENTVM CIRCENSE.

Tomentum concisa palus Circense vocatur;
Haec pro Leuconico stramina pauper emit.

1. *Concisa palus.* Intelligit arundinis panniculas, quas pauperes pro tomento culcitrarum emebant. Circense autem tomentum hoc vocabatur, quod fortasse initio Circensibus spectaculis sibi substernere solerent. Quam misellum id, et paupertatis proprium indicat Seneca de Vita beata cap. 25, ubi: *Super Circense tomentum, per sarturas veteris lintei influens incubabo.* Turn. — *Palus.* Palea, vel in paludibus crescens arundo.

2. *Leuconico.* Eadem huc referenda quae in praecedantis epigrammatis posteriorem versiculum. — *Pro Leuconico.* Sensus est: Leuconico tomento farcire sibi culcitas divitum est, pauperum vero palea et stramine.

161. — PLVMA.

Lassus Amyclaea poteris requiescere pluma,
Interior cycni quam tibi lana dedit.

1. *Lassus Amyclea.* Hoc est, cycnea. Amyclaei enim cycni dicti sunt, seu Lacones, ob Ledam Lacaenam quam sub cycni forma compressit Iupiter. Amyclae Laconiae urbs Lacedaemoni proxima.

2. *Interior lana.* Tenerrimam plumam, vel lanuginem intellige quam nos quidem non iam appellamus *plume* sed *duvet.* Tenella enim et mollis illa pluma inprimis est, quae inter pennas extimas et pellem invenitur, et *lana* haud immerito a Poëta appellatur. Et illa solummodo in Orcadum anatibus celeberrimis maximi hodie aestimatur, et nomen habet *édredon.* Ed. P.

162. — FOENVM.

Fraudata tumeat fragilis tibi culcita mula;

1. *Mula fraudata*, id est, foeno, quod mulae a mulionibus subtractum est, quod alioqui mula esse debuisset, *tumeat*, fartus sit, *tibi torus fragilis*; qui statim frangitur et subsidit. *Fraudata*, ut apud Horat. S. I, VI, 123: *ungor olivo, Non quo fraudatis immundus Natta lucernis.* Et sic sumi-

Non venit ad duros pallida cura toros.

tur *subducta* lib. XIII, epigr. 36: *Haec quae Picenis venit subducta trapetis.* Hac sententia porro Noster gaudet, quum libr. XIII, epigr. 11 de hordeo iam dixerit: *Mulio, quod non des tacituris accipe mulis. Fragilis* quoque (quod confirmant Gruteri codex et Arond.) non est ineptissimum ut visum Scriverio, sed aptissimum, vel propter τὸ *frangere toros*. Vid Observ. IV, 22. Sic fere *Gronovius*.

2. *Non venit ad duros, etc.* H. e. Non opus ut sopori blando indulgeas pluma mollissima, sed mentis tranquillitate. Saepius enim dormientibus in cubili duro voluptatis et felicitatis plus est, quam sub invidendi thalami aulaeis purpureis, somnum frustra captantibus. *Somnus agrestium Lenis virorum non humiles toros Fastidit.* Sic fere Horat. lib. III, Od. 1, 21, qui pro *toros* habet *casas* in textu.

163. — TINTINNABVLVM.

Redde pilam; sonat aes thermarum: ludere pergis?
Virgine vis sola lotus abire domum.

1. *Aes thermarum.* Campana quae ab exercitiis avocabat ad balnea quae certo etiam tempore claudebantur. Galenus notat priscos secundum pilae ludum calidis balneis lavari consuevisse; ad quas tintinnabulo signum dabatur; quas si quis neglexisset, aqua Martia vel Virgine lavabat; nam postea balneae publicae clausae erant. Capitolinus prodit ante Alexandri Severi tempora, nunquam thermas ante auroram apertas fuisse, et semper ante solis occasum claudi consuesse. Hadrian. Iunius lib. III Animadvers. cap. 11: ὁ ψόφων ἤχιζε, etc. Lucian. περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ ὄντων. Negant tamen quidam aes esse periphrasim tintinnaboli, et volunt in thermis clypeum aereum fuisse, qui catena pendebat ex orbiculari fenestra fornicis laconici.

— *Ludere pergis.* Sic thermae erunt clausae, atque ita aqua frigida seu aqua virgine lavare cogeris.

2. *Virgine vis.* Praefero per interrogationem, *Virg. vis.... domum?* Ant. *De Rooy.*

164. — DISCVS.

Splendida quum volitent Spartani pondera disci,
Este procul, pueri: sit semel ille nocens.

1. *Splendida.* Discus enim ex aere vel ferro fiebat, quo maxime se exercebant Lacedaemonii.

2. *Sit semel ille.* Discus nempe quo occisus est a Phoebo puer Hyacinthus.

165. — CITHARA.

Reddidit Eurydicen vati: sed perdidit ipse,
Dum sibi non credit, nec patienter amat.

1. *Reddidit Eurydicen.* Pro priore verbo Gronov. legit *prodidit.* — *Vati.* Orpheo nempe, qui cithara ludens exoraverat Plutonem, et Eurydicen suam uxorem ab inferis reducebat, sed ea lege, ne illam respiceret nisi quum in apertas lucis auras evasisset. Caeterum fabula vel pueris notissima e Virgilio est.

2. *Nec patienter.* Dum enim illam perdite amat, ne deficeret metuens, avidusque videndi, *Flexit amans oculos: et protinus illa relapsa est.* Ovid. Met. X, 57.

166. — IDEM.

De Pompeiano saepe est eiecta theatro,
Quae duxit silvas, detinuitque feras.

1. *Eiecta.* Citharoedi subinde lapidibus excipiebantur, si non placuissent. Porro in theatro Pompeii exhibitus est Orpheus, qui cithara ludens feras et silvas trahebat. Vide lib. Sp. epigr. 21. — Non ad illud tunc respexisse Martialem, sed ad veterem illam historiam potius, qua narrantur: *Thressae sub Rhodopes iugis* (Senec. Hercul. Oet.), *Vocalem temere insecutae Orphea silvae, Arte materna rapidos morantem Fluminum lapsus..... Blandum et auritas fidibus canoris Ducere quercus.* (Hor. lib. I, Od. XII).

167. — PLECTRA.

Fervida ne trito tibi pollice pustula surgat;
Exornent docilem garrula plectra lyram.

1. *Fervida ne trito.* Qui enim nudis digitis, et absque plectri ope citharam pulsare solet, saepenumero digitum ublaedit, qui intumescit, et dolet, et pustula, ut aiunt, tunc laborat. Turnebus lib. IX, cap. 24.

168 — TROCHVS.

Inducenda rota est: das nobis utile munus.

Trochus. Sic a Turnebo explicatur, lib. 27, epigr. 33: Erat autem genus ludi Graecanici, ut nomine ipso indicatur; rota enim erat ansam habens, ut facilius mitteretur; axiculis compacta transversis iaciebatur: quorum claviculae et commissurae aduncae, dum versabatur missa rota, vel missus orbis, tinniebant et crepabant. Vnus autem erat ex ludis Romae usitatis-

Ista trochus pueris, at mihi canthus erit.

simis. Horat. lib. III, Od. xxiv, vs. 56, 57, *ludere doctior Seu Graeco iubeas trocho*; et Ovid. de Art. Am. III, 383: *Sint illis celeresque pilae, iaculumque, trochique*. Mittere autem scienter, artis erat non vulgaris.

2. *Canthus*. Quidam non bene *cantus*, per hoc intelligentes fragorem, strepitum, tinnitus trochi missi. Alii, ut nos, *canthus*, ferrum nempe, quo circum rota munitur.

169. — IDEM.

Garrulus in laxo cur annulus orbe vagatur,
Cedat ut argutis obvia turba trochis?

2. *Cedat ut argutis*. Tinnitu enim, de quo locuti sumus in superiore epigrammate, monebantur pedarii transeuntes, ut sibi caverent.

170. — SIGNVM VICTORIAE.

Haec illi sine sorte datur, cui nomina Rhenus
Vera dedit: decies adde Falerna, puer,

S. Victor. I. e. signum Victoriae, ut ex antiquis nummis intelligo, erat alatae feminae statua, dextra laurum tenentis, sinistra palmam; quae quidem in omnibus fere signis Victoriae spectantur. Caeterum, sicut varia sunt genera victoriarum, ita varios quoque in modos eadem est effigiata, nunc bigis vehens, nunc navi insistens, nunc Caesarem coronans, nunc aliis aliisque modis figurata. *Raderus*.

1. *Haec*. Victoria scilicet aurea. — *Sine sorte*. Etenim casu et sorte non datur signum Victoriae Domitiano, qui toties vicisset hostem. Vide ep. 1, ubi de alternis muneris sortibus. — *Rhenus*. Pro Germania; sic Nilus pro Aegypto, pro Romanorum civitate Tibris.

2. *Vera*. Non adulatoria, merito data. Quod quam falsum, supra admonuimus. — *Decies adde*. Tot enim cyathi sunt hauriendi, quot *Germanicus* habet literas, nimirum decem. De illo more bibendi quoque dictum ad lib. I, ep. 72. — *Adde*. Pro *da*. Vid. supra lib. IX, 94.

171. — ΒΡΟΥΤΟΥ ΠΑΙΔΙΟΝ.

Gloria tam parvi non est obscura sigilli;
Istius pueri Brutus amator erat.

2. *Istius pueri*. De quo iam diximus lib. IX, ep. 51. Plinius lib. XXXIV, cap. 8. Item fecit Apollodorus puerum, quem amando Brutus Philippensis cognomine suo illustrissimum fecit.

172. — SAVROCTONOS CORINTHIVS.

Ad te reptanti, puer insidiose, lacertae
Parce: cupit digitis illa perire tuis.

Sauroctonos. A κτείνω, *occido*, et σαῦρος, *lacerta*: hoc est, lacertam occidens. Nimirum intellige sigillum ex aere Corinthio factum. Plin. XXXIV, cap. 8: *Fecit (Praxiteles) et puberem Apollinem subrepenti lacertae cominus sagitta insidiantem, quem Sauroctonon vocant.*

2. *Cupit.* Vt nobili fato pereat. — Crediderim potius voluisse Nostrum pueri excellentissimam venustatem celebrare, et ob id dicere: Ipsa te amat lacerta, et quidem ita amat, o venusle puer, ut ne perire quidem recuset, modo non ante pereat, quam digitis tuis pertractata fuerit. Ergo ponito arcum, et lacertam manu prendito.

173. — HYACINTHVS IN TABVLA PICTVS.

Flectit ab inviso morientia lumina disco
Oebalius, Phoebi culpa dolorque, puer.

1. *Flectit, etc.* Hyacinthi meminit Plinius lib. XXXV, cap. 11: *Hyacinthus (opus Niciae Atheniensis) quem Caesar Augustus delectatus eo, secum deportavit Alexandria capta, et ob id Tiberius Caesar in templo eius dicavit hanc tabulam.* Ovidius Metam. lib. X, 195 et sq. *Laberis, Oebalide, prima fraudate iuventa; Phoebus ait, videoque tuum, mea crimina, vulnus.*

2. *Oebalius.* Amyclas fuit pater Hyacinthi, conditor Amyclarum, quae urbs fuit Laconiae celeberrima, Lacedaemoni proxima; ubi pueri tumulus sub Apollinis signo. Ex Cynorta fratre Hyacinthi natus Oebalius, qui regnavit Amyclis; a quo forte regio, aut urbs Oebalia dicta, unde et Hyacinthus Oebalius. Vid. Pausan. in Laconicis, initio lib. III. Caeterum omnes fere Laconia oriundi heroës sic dicti.

174. — HERMAPHRODITVS MARMOREVS.

Masculus intravit fontes: emersit utrumque,
Pars est una patris; caetera matris habet.

1. *Intravit fontes.* Quibus nempe Salmacis Nympha praesidebat. Ovidius Metam. lib. IV, copiose et eleganter hanc fabulam describit.

2. *Patris.* Mercurii nempe (Ἑρμοῦ). — *Matris*, scilicet Veneris (Ἀφροδίτης). Vnde ei nomen datum fuit Hermaphroditus, vel Hermaphroditus.

175. — DANAE PICTA.

Cur a te pretium Danaë, regnator Olympi,
Accepit, gratis si tibi Leda dedit?

1. *Cur a te.* Iupiter in aurum conversus corrupit Danaën Acrisii; Ledam vero factus cycnus, et ideo *gratis* absque dubio.

176. — PERSONA GERMANICA.

Sum figuli lusus rufi persona Batavi.
Quae tu derides, haec timet ora puer.

1. *Rufi.* Batavi, ut alii Germani, capillos rufabant, ut supra epigr. 26.

2. *Haec timet ora puer.* Larvati Batavi sunt terrori pueris.

177. — HERCVLES CORINTHIVS.

Elidit geminos infans, nec respicit angues:
Iam poterat teneras hydra timere manus.

Hercules Corinthius. Hoc est, Herculis statua ex aere Corinthio facta, quemadmodum infans serpentes eliserat.

178. — HERCVLES FICTILIS.

Sum fragilis: sed tu, moneo, ne sperne sigillum.
Non pudet Alciden nomen habere meum.

Hercules fictilis. Plin. Hist. Nat. lib. XXXV, cap. 12: *Ab hoc eodem,* Turanio nempe, *factum Herculem,* fictilem supple, *qui hodieque materiae nomen in urbe retinet.* Dicebatur enim Hercules fictilis. Plin. XXXV, c. 12: *Hae enim tum effigies deum erant laudatissimae; nec poenitet nos illorum qui tales coluere.*

179. — MINERVA ARGENTEA.

Dic mihi, virgo ferox, quum sit tibi cassis et hasta,

Sigillum Minervae argenteum describit gerentis hastam et cassidem sine aegide; quod tamen scuti genus, postquam ei a Iove patre datum, praecipue Minervam a Deabus aliis in imaginibus statuisque distinguebat. Et hinc arripit occasionem laudandi et exaltandi imperatoris, cui, quamob

Quare non habeas aegida? Caesar habet.

caussam nescio, libitum fuit mira veneratione castimoniae, sapientiae, moderationis Deam prosequi, et illius filium se profiteri. Dicit nempe tradi a Pallade Caesari, a matre filio aegida.

2. *Caesar habet.* Domitianus nempe. Responsio est Minervae. Vide lib. VII, ep. 1, 4: *Pectore quum sacro sederit, aegis erit.* Adulatorie utrumque; sed hic callide et delicate multo magis.

180. — EVROPA PICTA.

Mutari melius tauro, pater optime Divum,
Tunc poteras, Io quum tibi vacca fuit.

1. *Tauro.* Sub cuius forma latens Iupiter rapuit Europam Agenoris, cuius historia satis nota.

2. *Io quum tibi.* De qua in vaccam transmutata Ovidius, Met. I. Sic enim, centoculo ipso Argu non advertente, illam comprimere potuisset Iupiter.

181. — LEANDER MARMOREVS.

Clamabat tumidis audax Leander in undis;
Mergite me fluctus, quum rediturus ero.

Epigramma de statua marmorea Leandri celeberrimum, et ut Graeci aiunt, πολυθρύλλητον· in eo enim acumen et lepos, calliditas et mollities; ita ut acre quoddam sapiat, dulce quoddam spiret. En sane quod, lib. I, Sat. X, 44, Horatius vocat *molle atque facetum.*

1. *Audax Leander.* Quippe se mari commoto commiserat, media hieme, spirantibusque Austris, neque ullum habens auxilium nisi subiacentem summa in turri lucernam, aditurus puellam quam deperibat. V. Ep. Ov. XVIII, 1 seq.: *Mittit Abydenus, quam mallet ferre, Salutem, Si cadat ira maris, Sesta puella, tibi.* Videatur et Musaei elegantissimum poëma de Heronis et Leandri amoribus, cuius illud initium: Εἰπὲ, θεὰ, κρυφίων ἐπιμάρτυρα λύχνον ἐρώτων, et inprimis extremos versus, ubi procellam describit et preces Leandri: Αἰνοπαθὴς δὲ Λέανδρος ἀκηλήτοις ἐνὶ δίναις Πολλάκι μὲν λιτάνευε θαλασσαίην Ἀφροδίτην, Πολλάκι δ' αὐτὸν ἄνακτα Ποσειδάωνα θαλάσσης, κ. τ. λ.

2. *Quum rediturus ero.* Sive quod sic voluptatis modo perceptae adhuc memor et quasi plenus, emoriar felix; sive quod mortis meae nuntium serius puella audiet, serius mortui tumulo illacrimabit.

182. — SIGILLVM GIBBERI FICTILE.

Ebrius haec fecit terris puto monstra Prometheus;
Saturnalicio lusit et ipse luto.

1. *Prometheus.* Vnus e Titanum celeberrimis, qui hominem ex luto primus finxisse dicitur, et apud Veteres Creatoris loco habebatur. Volunt plurimi tamen ignem divinum modo, hoc est, animam humano corpori illatam, quod antehac bruta moles erat. Horatius lib. I, Od. 16, 13: *Fertur Prometheus addere principi Limo coactus particulam undique Desectam.* Ebrius autem hoc portentum, seu hominem gibbosum fecit, cuius sigillum erat in Saturnaliciis muneribus. Alii aliter. — Origo huius sigilli hinc orta: Gegania praedives femina candelabrum emit nobile L sestertiis, ea tamen lege ut simul etiam emere deberet Clesippum fullonem, monstrum hominis, gibbo foedum. Postea tamen Gegania suo Clesippo nupsit, eumque mox ex asse scripsit haeredem: qui praedives iam candelabrum illud, cuius beneficio emptus erat, loco numinis coluit. Femina hinc summa laborabat infamia, eiusque virum ob deformitatem hoc epigrammate deridet; et simul iocatur poëta in Prometheum, qui hominem e luto formavit pulchrum et venustum; quod idem ille ebrius et in Saturnalibus Clesippum gibberem foedumque aspectu finxerit. *Rader.*

183. — HOMERI BATRACHOMYOMACHIA.

Perlege Maeonio cantatas carmine ranas,
Et frontem nugis solvere disce meis.

Batrachomyomachia. Haec vox significat pugnam ranarum et murium.
1. *Maeonio.* Hoc est, Homerico carmine. Maeonia autem Asiae regio est, eadem fere ac Lydia, in qua natus esse Homerus dicitur.
2. *Et frontem.* Sic exemplo Homeri aliquando nugantis et ab heroici carminis maiestate ad levissima sese demittentis suas ineptias excusat Poëta.

184. — HOMERVS IN MEMBRANIS.

Ilias et Priami regnis inimicus Vlysses
Multiplici pariter condita pelle latent.

1. *Inimicus Vlysses.* Hoc est, Odyssea qua Vlyssis (graece Ὀδυσσέως) errores et reditus in patriam describuntur.
2. *Multiplici pelle.* Hoc est, multis membranis involvuntur. — *Condita.* Refer ad Iliadem et Odysseam.

185. — VIRGILII CVLEX.

Accipe facundi Culicem, studiose, Maronis;
Ne nugis positis Arma virumque canas.

2. *Canas.* H. e. ne Saturnaliorum tempore gravioribus studiis operam des. — *Arma virumque.* Hoc est, Aeneida cuius illud est initium.

186. — VIRGILIVS IN MEMBRANA.

Quam brevis immensum cepit membrana Maronem!
Ipsius vultus prima tabella gerit.

1. *Immensum*, etc. An operis magnitudinem respicit? nam quum crassioribus tantum literis scriberent Veteres, multum spatii occupare debuerunt Eclogae decem, Georgicon libri quatuor, Aeneidos libri duodecim; quibus forsitan omnibus et poëmatia quaedam adiecta fuere? an Poëtae dignitatem et divinam maiestatem? at prior interpretatio magis placet, quamvis non ita absurda censenda sit posterior. Et priorem firmare videtur epigr. citat. de Livio; quamquam et in hoc rogaverint interpretes, an τὸ *ingens* designet librorum multitudinem, aut ingenii vim.

2. *Ipsius vultus*, etc. Frontispicium habet imaginem Virgilii. — *Prima tabella*, τὸ πρῶτον πτυχίον, *primum folium.* Hinc Isidorus folia librorum dicta esse scribit, *quod ex follibus fierent, id est, ex pellibus*, quae de occisis animalibus detrahi solent. Sic et pugillares componi solebant, ex pluribus tabellis, quae πτυχία dicunt Graeci: hinc δίπτυχα vocabantur, quae ex duplici tabella constabant. Latini etiam *duplices* dixere; et *triplices*, quae ex tribus, etc. πολύπτυχα, quae ex pluribus. Martialis de pugillaribus citreis, lib. XIV, ep. 3: *Secta nisi in tenues essemus ligna tabellas, Essemus Libyci nobile dentis onus.* Pugillares ergo illi citrei ex multis sectilibus tabellis, hoc est, foliis ligneis compacti erant, eadem plane forma, qua et pugillares delicitii nostri, quibus hodie utimur, et *tablettes* vocamus, quasi parvas tabulas. *Salmas.*

187. — MENANDRI THAIS.

Haec primum iuvenum lascivos lusit amores,

Menandri Thais. Menander poëta Comicus celeberrimus, et Comicorum, modo Aristophanem excipias, facile princeps.

1. *Primum lusit.* Inter caeteras meretrices princeps Thais amantes suos delusit: *primum lusit*, i. e. τὰ πρῶτα, primas in arte meretricia obtinuit Thais, ita ut vere meretrix dici mereretur: non γλυκερὰ, id est, benigna, comis, non molesta, non procax, sed *vere amica;* hoc est,

Nec Glycere, vere Thais amica fuit.

meretrix, quae amantes suos eludat, excludat, revocet, intercipiat. *Petitus.* — Verum Gronovius eo modo exponit: *Haec*, scil. non vera meretrix, nec sola persona comica Thaidos; sed illa, quae in lemmate designata est, *Thais Menandri*, seu tota fabula, THAIS inscripta: ut Andria Terentii. Ea igitur *Thais*, Menandri fabula celeberrima, *primum lascivos amores iuvenum lusit*, hoc est, primum in scena exhibuit, et materiam comoediae fecit amantem adolescentem. Significat itaque Menandrum auctorem esse novae Comoediae a Thaide auspicatum. Iam quod sequitur: *Nec Glycere, sed vere Thais*, etc. si roges iterum, quae Thais? respondebo non profecto alia, quam illa ipsa comoedia; cuius tanta virtus, ars tanta, tanta suavitas, ut dicere possis, hoc excellentissimum opus vere fuisse amicam poëtae, hoc est, noctes diesque ab eo cultam, curatam, exornatam: denique animam et delicias fuisse illius unicas; non illam Glyceren, quae tam potens fuisse fertur.

2. *Nec Glycere*, etc. Glycere amica erat Menandri, sed comoediis suis familiariter introducta, Thais facta est celebriori nomine. *Turn.*

188. — CICERO IN MEMBRANIS.

Si comes ista tibi fuerit membrana, putato
Carpere te longas cum Cicerone vias.

1. *Si comes ista tibi*, etc. Viae vel longissimae comites sufficient tibi Ciceronis libri. Vt libro I, epigr. 2, videtur Ciceronis stilum quasi Asianum et redundantem taxare. Id ego non credo, non quod saoe ambiguis sensibus maxime sit inimicus in levissimis his ougis epigrammatibusque. Sed primo nota, rarius locos antiquis auctoribus quaesitos [illegible] ancipitem verborum sensum. Deinde, quid hic arguit fuisse Poëtae in mentem Tullio irridere? et quid est necessario commune inter *longas vias*, et *verborum ambages*, aut *redundantiam?*

189. — PROPERTIVS.

Cynthia, facundi carmen iuvenile Properti,
Accepit famam, nec minus ipsa dedit.

1. *Cynthia.* Puella, amica Propertii, quam multis ille versibus celebrat.

2. *Nec minus ipsa dedit.* His enim carminibus clarult Propertius, quorum argumentum praebuerat Cynthia, pulcherrima puella. — Intelligunt male; voluptatem ipsa dedit; munus quod et gloria et immortali nomine non its inferius censet. Ed. P.

190. — LIVIVS IN MEMBRANIS.

Pellibus exiguis arctatur Livius ingens,
Quem mea non totum bibliotheca capit.

1. *Pellibus exiguis arctatur*, etc. Antiqua illa charta, quae ex papyro erat Nilotica, qua Veteres usi, scripturam ab una tantum parte recipiebat, nec in opisthographis scribebant, nisi adversaria, etc. Quae igitur ab una tantum parte scripta erant, ea in voluminis formam conglobabantur, et multum spatii occupabant: non enim admodum latae illae chartae fiebant. Hinc Martialis scribit bibliothecam suam vix cepisse Livii historiam in charta exaratam: at in pellibus sive membranis scriptam, facile quamvis angustus locus continere posset. *Salm.* — *Ingens.* A styli insurgentis granditate, an ab operis magnitudine et lib. CXL multitudine? vid. Iuven. Satira 7, vs. 98.

191. — SALLVSTIVS.

Hic erit, ut perhibent doctorum corda virorum,
Primus Romana Crispus in historia.

1. *Doctorum virorum.* Quintiliani lib. II, cap. 6, et lib. IV, cap. 2; Senecae lib. III Declam. et Controvers. 25, lib. V; Cornelii Taciti Annal. III, 30. Quanquam ultimus ille aemulum sese et multorum iudicio victorem Sallustii sese praestitit; quippe qui acer et pressus in dicendo non minus quam ipse Salloatius, eloquentia et poëticis coloribus longe eum antecellit.

2. *Crispus.* Sallustius.

192. — OVIDII METAMORPHOSIS IN MEMBRANIS.

Haec tibi, multiplici quae structa est massa tabella,
Carmina Nasonis quinque decemque gerit.

1. *Haec tibi multiplici*, etc. Massam vocat integrum corpus membranaceum multiplici tabella structum (Graeci σωμάτιον appellant); *tabellas* autem, ex quibus totum corpus operis constabat, singula folia membranea. *Membranam* etiam vocabant, totum corpus membranaceum. Vt eodem lib. XIV, epigr. 188: *Si comes ista tibi fuerit membrana, putato Carpere te longas cum Cicerone vias.* Vbi *membranam* appellat omnia Ciceronis opera in membranis descripta, et in unum corpus redacta. Sic et per *Virgilii membranam*, totam Virgilii Aeneidem intelligit. *Salmas.*

2. *Carmina.* Libros XV Metam.

193. — TIBVLLVS.

Vssit amatorem Nemesis lasciva Tibullum,
In tota iuvit quem nihil esse domo.

Amavit Tibullus Deliam, quam Apuleius Planiam fuisse dicit: Nemesin item quam Glyceren sunt qui ab Horatio appellatam velint; item Neaeram et Sulpitiam, etc. Gyrald. de Poët. Hist. Dialog. 4. Tribuit autem Deliae Martialis, quod Tibullus Nemesi. Libro I, Eleg. 5, 29 et seq. *Illa regat cunctos, illi sint omnia curae; Et iuvet in tota me nihil esse domo.*

1. *Vssit.* Amore nempe. Haec vox eodem sensu eademque cum ἔλλειψει occurret mox epigrammate 207: *Vssit amatorem balteus iste Iovem.*

2. *Iuvit quem.* Hoc est, non iam in aedibus suis dominum atque herum, sed e mancipiis infimum et humillimum. Totum quippe domus imperium penes Deliam erat. Vid. Tibulli distichum quod hic Noster innuit; sup. not. 1.

194. — LVCANVS.

Sunt quidam, qui me dicunt non esse poëtam;
Sed, qui me vendit, bibliopola putat.

1. Iam Martialis temporibus quumque Lucano suo imprimis nova Roma, Roma imperatoria gloriaretur, iis, inquam, temporibus iam critici negaverunt Epicum poëma esse vere Pharsaliam, et historicis magis Lucanum quam poëtis annumerandum existimarunt. Quae sententia hodie pervagata latissime est, et iis potissimum rationibus firmatur, subtilius forsan quam verius. Volunt nempe exspi a Poëta epico res fabulosas, aut fabulis ita mixtas ut a fabulosis parum distent. Tum Deos necesse est in scenam prodire, quod nusquam in Pharsalia. Solent demum Epici victorem celebrare: non hoc Lucanus.

2. *Putat.* Me esse poëtam: quum ex meis versibus rem faciat.

195. — CATVLLVS.

Tantum magna suo debet Verona Catullo,
Quantum parva suo Mantua Virgilio.

1. *Tantum.* Hoc est, claram suam patriam non minus Catullus, quam suam obscuram illustravit Virgilius vid. lib. I, epigr. 62, 2.

196. — CALDA ET FRIGIDA AQVA.

Haec tibi, quae fuerint caldarum nomina, dicunt;

1. *Haec tibi quae fuerint*, etc. » Sic legendum est: *Haec tibi quae fontes et aquarum nomina dicit, Ipsa suis melius charta notabit aquis*: et quidem

Ipsa suas melius charta natabit aquas.

ex nptimis codd. » Flosculus. *Fontes et aquarum nomina dicit* cod Beverl. et *Barb.* ed. *Fuerant* ed. Mnitt. — *Quae fuerint caldarum.* Et boc et inscriptionem (quae fuerat: *Calda et frigida aqua*) praeclare emendavit ex opt. lib. I. Gruterus, confessus tamen, nondnm sic quoqne nmnia esse perpurgata. In eisdem libris legebatur: *Visa suis.* Scribimus igitur: *Visa suis melius charta notabit aquas.* Id est, tibi notandas et intelligendas dabit melius quam ipsae se, quam ipsae ingenuae et natnrales, quas liber continet ac describit. *Gronovius.* — *Haec tibi.* Mittit versus de variis aquse caldae nominibus. — *Dicunt* nempe haec carmins.

2. *Ipsa.* Vid. quae supra notae primae initin. *Notabis* cod in marg. ed. Par. 1617. — *Ipsa suas.* Vide lib. 1, ep. 6, 2, *Vis puto cum libra, Marce, natare tuo.* Sic suos versus extenuat Poëta. De aqua calda saepius iam dictum. — Impeditissimus locus; quem tamen quum tot eruditi viri excusserint, et prope attigerint, facile iam intelliges. Ante tamen quam sensum assequi tentaveris, revoca tibi in mentem quid sint *Apophoreta*: tabellae nempe e papyro, chartave membranave in quibus pingebantur res variae, quarum pro rebus ipsis imagines togatuli patronis offerebant, et amicis interdum amici. Duo ergo accurate secernere est, chartam scilicet, et chartae impositas imagines. Porro Martialis imaginibus versiculos subiiciebat, quos dum iis ab imaginibus distinguit, cum ipsa charta confundit. Quid inde? Balnearum nomina et forsan aedium figurae *haec*, id est, imagines et picturae indicant; *ipsa* vero, hoc est charta, digna est quae aqnis innatet. Nonne autem, ut omnes voluere, *suas* est *frigidas*, *algentes*, quasi diceret poëticn calore prorsus vacuos versus suos? Minime; sed *aquas* charta quodammodo poteat extenuare sponte sua per modestiam, ut vncare *suas*, quod ess eshibeat.

197. — MVLAE PVMILAE.

His tibi de mulis non est metuenda ruina;
Altius in terra paene sedere soles.

In pretin nlim habitae pumila statura mulae, mannuli item quos parvis liberis potentiores emebant, ut ex epistola Plinii minnris de mnrte Reguli discis.

2. *Altius in terra.* Quam sedesa in mula tam brevis staturae. — *Sedere.* Cave ne Poëtae subtilissimum etiam in minimis acumen praetereas: neque enim dicit *stare*, aut quod rhythmo congrueret *stetisse*; quasi duhium minime esset fore ut stans vere altior videretur.

198. — CATELLA GALLICANA.

Delicias parvae si vis audire catellae,
Narranti brevis est pagina tota mihi.

1. *Delicias*. Hoc est, delicatos et lepidos mores, procacitatem, munditiam, solertiam et caetera. *Deliciae* proprie tunc dicebatur de iis qui domino gratissimi erant; mox de animantibus, tum de cibis et opsoniis.

2. *Brevis est pagina*, scilicet, non sufficit. *Dom.*

199. — ASTVRCO.

Hic brevis, ad numerum rapidos qui colligit ungues,
Venit ab auriferis gentibus, Astur equus.

1. *Brevis*. Nam brevissimae staturae Asturcones equi. a quibus (Plinio teste lib. IX, cap 43) non vulgaris in usu gradus, sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio. Quam ob caussam pueris et equo haerere haud probe scientibus in usu potissimum fuit. Notandum porro est Asturconis nomen equis impositum qui non ex Asturum finibus venerant, modo Asturconum statura et gradu forent. Sic Arbiter cap. 86: *Cras puero Asturconem Macedonicum optimum dabo*. — *Rapidos*, etc. Gallice, *qui va l'amble*.

2. *Ab auriferis gentibus*. Hoc est, ex Asturia Hispaniae provincia, ubi sunt aurifodinae.

200. — CANIS VERTAGVS.

Non sibi, sed domino venatur vertagus acer,
Illaesum leporem qui tibi dente feret.

1. *Vertagus* Vox peregrina videtur, de qua Turneb. lib XVIII, cap. 1, quasi fertrahus, hoc est, feram trahens. Item Passeratius de literis: *Vertagus* dicitur pro *Vertrahus*, a fera trahenda.

201. — PALAESTRITA.

Non amo, qui vincit, sed qui succumbere novit,
Et dicit melius τὴν ἀνακλινοπάλην.

1. *Non amo*. Non probo luctatorem qui viribus vincit, sed qui se reclinat, atque ex reflesione palaestrae adversarium deiicit. *Farnabius*. Legit vero et distinguit Salmasius: *Hunc amo qui vincit, sed qui succumbere novit, Et melius didicit τὴν ἀνακλινοπάλην*. Contrario, inquit, sensu, et quem Poëtae mens non recipit, hodie legitur: *Non amo, qui vincit*. Cur enim palaestritam amare se diceret non vincentem? Dicit amare se

quidem hunc palaestritam qui vincit, sed qui etiam novit succumbere: hoc est, qui succumbendo vincit, qui περιγίνεται ἀναπιτνάμενος, ut inquit Pindarus, καὶ οἷον πίπτων. Magis commendari innuit palaestritam qui arte vincit, quam qui viribus: qui τοὺς ὑπτιασμοὺς novit, καὶ τοὺς χάμαι τρόπους, quae Theocritus παλαίσματα σύμφορα τέχνᾳ, nimirum τῶν εἰς γαῖαν προπεσόντων. Tum ἀνακλινοπάλη Martialis, pancratium dicebatur, quod ἐν τῷ ἀνακλίνεσθαι καὶ ὑπτιάζεσθαι plerumque exerceretur; ad distinctionem τῆς ὀρθίας πάλης, quae a stantibus et erectis pugnatur, in qua vicisse erat adversarium solo deiecisse. Secus omnia in pancratio, in quo et succubuisse erat artis: nam et humi volutantes nexus suos expediebant impediebantque, viribusque superiores adversarios saepenumero sic vincebant. Non aliter quippe victus quispiam putabatur in pancratii lucta, nisi animum desponderet ac victum se fateretur.

2. *Dicit*. Coniect. Farnab. *didicit*. Legendum putat Beverl. ἐπιστιβόπαλιν. Vide infra. — Ανακλινοπάλη. Vox est ficta quae alibi non reperitur. *Clinopale* legitur apud Suetonium qui ait Domitianum (cap. 22) sic vocare *assiduitatem concubitus*, unde aliqui turpem sensum eliciunt ex hoc disticho. Ανακλίνω graece est, reclino; πάλη, palaestra.

202. — SIMIVS.

Callidus emissas eludere simius hastas,
Si mihi cauda foret, cercopithecus eram.

1. *Eludere hastas*. Hoc est, corporis saltu, hastam vel tela declinare et persequentes quasi ludere.

2. *Cercopithecus*. Simiarum vel simiorum varia sunt genera, et cauda inter se distinguuntur. Simiae sine cauda dicuntur a Graecis πίθηκοι: quae caudam habent, κερκοπίθηκοι: κέρκος enim significat caudam. Vide epigr. 128, supra. — *Eram* pro *essem*, temporis enallage nobis etiam satis usitata.

203. — PVELLA GADITANA.

Tam tremulum crissat, tam blandum prurit, ut ipsum
Masturbatorem fecerit Hippolytum.

E puellis saltatriculis quas lucri caussa circumducebant servulorum mercatores, illae inprimis famosae erant quae e Baetica advehebantur: Baeticae autem urbs celeberrima Gades.

1. *Vt ipsum Masturbatorem*, etc. Vt inceuderet vel castissimi propositi virum, incitaretque ad libidinem nefandam.

204. — CYMBALA.

Aera Celaenaeos lugentia matris amores
Esuriens Gallus vendere saepe solet.

2. *Tundere* coniicit *de Rooy*. — *Aera*. Hoc est, cymbala, seu instrumenta sonora ex aere, quae pulsabant Galli Cybeles sacerdotes, deflentes

Atyn puerum ab ea perdite amatum. — *Celaenaeos amores*. Atys nempe patria fuit Celaenae, urbs Phrygiae famosissima, ex qua Marsyas oriundus fuit et Midas. — *Matris*. Hoc est, Cybele, quae Saturni coniux, mater Iovis, Neptuni, Plutonis et Deum omnium habebatur.

205. — PVER CINAEDVS.

Sit nobis aetate puer, non pumice levis,
Propter quem placeat nulla puella mihi.

1. *Non pumice*. Impubes, non pumice aut dropace levigatus, non, ut lib. II, epigr. 29, vs. 6, *Cui splendent vulso brachia trita pilo*. Notum vero est pumice uti solitos Veteres, ut pilos sibi molliter deraderent potius, quam evellerent et extraherent, quod forcipis auxilium exigebat. — Eo mollitiei, non dicam elegantiae, devoluti erant, ut et crura, et alias corporis partes pumice sibi levigarent. Ovidius, Art. Am. I, 506 et seq.; *Sed tibi nec ferro placeat torquere capillos, Nec tua mordaci pumice crura teras*. Eo. P.

206. — CESTOS.

Collo necte puer meros amores,
Ceston de Veneris sinu calentem.

1. *Meros amores Ceston*. De quo fuse diximus lib. VI, epigr. 13, 5. Veneris nempe fuit balteus, quo qui percutiebatur, percussoris amore incendebatur: idcirco Poëta vocat ceston *meros amores*.

2. *De Veneris sinu calentem*. Sic innuit modo depositam zonam a Dea divini et pulchri aliquid retinere.

207. — IDEM.

Sume Cytheriaco medicatum nectare ceston:
Vssit amatorem balteus iste Iovem.

1. *Medicatum nectare*. Cui nimirum inenarrabilem quamdam et velut magicam potentiam instillavit Cytheriaci nectaris infusio.

2. *Vssit amatorem*. Iuno nempe hoc balteo Iovem percutiens ad sui amorem allicit, et ab aliis amoribus cohibet, teste Homero. — At mihi videtur Poëta innuisse non amorem Iovis perpetuum, ergo nec uxorem; quid enim hoc amore falsius? sed duntaxat homericam fabulam concubitus in Ida monte.

208. — NOTARIVS.

Currant verba licet, manus est velocior illis;
Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

Dicti sunt Notarii, qui excipientes verba dictantis, per notas et compendia scribebant, tam celeriter et expedite, ut linguam dicentis vel dictantis etiam anteverterent. Dein et erant Notarii actuarii, quod in acta referrent, quae dicebantur in senatu et ad plebem.

1. *Currant verba licet*, etc. Vtut volubili fluat lingua, manus τοῦ εἰς τάχος διὰ σημείων γράφοντος (ut loquitur Galenus) loquentem praevenit. Vid. Senecae epist. 91. Apud nos huiusmodi viri nunc vocitantur *sténographes* aut *tachygraphes*. Auson. epigr. 146, 20 sqq. elegantissimia iambia: *Tu me loquentem praevenis! Quis, quaeso, quis me prodidit? Quis ista iam dixit tibi, Quae cogitabam dicere?*

209. — CONCHA.

Levis ab aequorea cortex Mareotica concha
Fiat: inoffensa curret arundo via.

1. *Cortex Mareotica.* Hoc est, chartae papyraceae, in quibus scribebant antiqui, leves fiant, ut scribendo calamus non haereat.

210. — MORIO.

Non mendax stupor est, nec fingitur arte dolosa;
Quisquis plus iusto non sapit, ille sapit.

1. *Non mendax.* Id est, morio non fictus, sed a natura fatuus est. De morione dictum lib. VI, epigr. 39; lib. VIII, 13; lib. XII, 94. Iis autem quae supra notata hoc loco iterare supervacuum foret, haec addemus, quum in deliciis apud divites essent stupidi et hebetes viri, simulasse nos quosdam, ut magno venirent, stultitiam (et ad hoc lib. VIII, epigr. 13 referendum); at fraudem saepe eo odorari erat quod stultitiae nimia prae se ferrent, et ultra, non quam par est, sed quam possibile est, fatui viderentur. — *Stupor.* Hoc est, quod nos vocamus *stupidité;* non idem quod *étonnement*, quanquam ponantur aliquando *mirari* et *stupere* ut verba synonyma. Ed. P.

211. — CAPVT ARIETINVM.

Mollia Phryxei secuisti colla mariti.
Hoc meruit, tunicam qui tibi saepe dedit?

1. *Phryxei colla.* Hoc est, caput arietis, qualia ille, quo vectus Phryxus mare traiecit. — *Mariti.* Saepius dicitur poëtis pro *aries*, interdum et pro *hircus*. Sed tunc semper aliqua vox iuncta adest, ut nempe distin-

guatur facile, an de hirco, an de ariete sermo fiat.

2. *Tunicam qui.* Nimirum ex vellere tonso, e lana.

212. — PVMILIO.

Si solum spectes hominis caput, Hectora credas:
Si stantem videas, Astyanacta putes.

1. *Si solum.* Sedens nempe et capite teons visus prope gigas; stans vero puer videbatur. Notabile autem est pumilionibus fere semper et homunculis quos gallicus sermo appellat *nains*, porteotosae magnitudinis et crassitudinis caput esse, neque ullo modo caeteris corpusculi partibus congruum. — *Hectora... Astyanacta.* Herois troiani et eius filii historia satis uota.

213. — PARMA.

Haec, quae saepe solet vinci, quae vincere raro,
Parma tibi, scutum pumilionis erit.

1. *Haec.* Parma nempe, quae breve erat scutum, quo qui armati erant in arena, quod eius brevitate non satis essent tecti, saepe vincebantur. Sic Turnebus lib. V, cap. 10 citans hoc epigramma. Thraces autem parmam gerebant, quorum factionem oderat Domitianus: unde ipsi adulatur Poëta, quum dicat *parmam saepe vinci*. Videtur attamen nonnunquam et inter duos parmularios certamen exstitisse, Martialis lib. IX, epigr. 69, 8: *Vincenti parmae quam tua turba favet.*

2. *Tibi.* Procero nempe. — *Scutum.* Quod parma longe grandius totum corpus contegebat. Sensus est: Homo procerus non bene parma munitur, sed nanus optime.

214. — PVERI COMOEDI.

Non erit in turba quisquam μισούμενος ista;
Sed poterit quivis esse διςεξάπαθος.

Recte Turnebus censet ludere Poëtam in indicibus sive titulis duarum fabularum Menandri. Et Μισούμενον quidem appellat Pollux lib. X, c. 31, καὶ ἐν τῷ Μισουμένῳ Μένανδρος· Αφανεῖν γεγόνασιν αἱ σπάθαι. Sed Διςεξάπαθος vox est nihili et contra omnem analogiam. Nec sic habetur apud Fulgentium, quem eius auctorem dat Turnebus: sed hoc modo: *Nam et Menander similiter in Disexapathon comoedia ita ait.* Fuit ergo: διςεξαπατῶν; id est, *bis fallens* vel *decipiens.* Et hoc convenit isti generi, spem sui facere, et postea eam fallere non semel, exemplo illius, de quo Ovid. Met. VII, 372: *nam Phyllius illic Imperio pueri volucresque ferumque leonem Tradiderat domitos: taurum quoque vincere iussus Vicerat; et spreto toties iratus amore,* etc. Vidimus etiam scriptum in MS.

disexepeton. Vicissim Martialis hic locus tuetur locum Fulgentii, quem mire vexat Reinesius, *dysexapto*, *epeisacto*, *episatomo*, *disexapateto*, *dysexapateto*, substituendo. Quae omnia non sunt nauci: nec aliud fuit quam *disexapaton. Gronovius.*

2. Διὸς ἐξάποδος: δὶς ἐξαπατῶν. *Beverland.* Intelligendum est posteriorem lectionem e MS. eiusdem Beverl. evenire.

215. — FIBVLA.

Dic mihi simpliciter, comoedis et citharoedis
Fibula quid praestat? carius ut futuant.

1. *Comoedis.* Adi lib. VII, epigr. 82, 2.

2. *Car. ut fut.* Num sanctius, num castius deguut? minime, sed pecuniae magis expetunt a feminis. Iuven Sat. 6, 73: *Solvitur his magno comoedi fibula.*

216. — ACCIPITER.

Praedo fuit volucrum, famulus nunc aucupis: idem
Decipit, et captas non sibi moeret aves.

1. *Praedo fuit.* Hoc est, priusquam mansuefieret accipiter, sibi capiebat aves, nunc aucupi capit. Idem dixit supra epigramm. 200 de caoe vertago: *Non sibi, sed domino venatur vertagus acer.* Videtur autem id venationis genus olim apud proceres et divites viros in deliciis fuisse. Quod ad saeculum a Chr. N. 16 et 17 quoque perstitit, at ex hoc tempore sensim neglectum et relictum fuit.

2. *Non sibi.* Sed aucupi domino qui ipsum manu tenet, ipsum ducit.

217. — OPSONATOR.

Dic quotus, et quanti cupias coenare; nec unum
Addideris verbum: coena parata tibi est.

Opsonator. Is nempe est qui magna in domo cibis et opsoniis comparandis praeest.

1. *Dic quotus.* Nam pro numero convivarum, et pro ratione impensae, splendidum aut frugale convivium apparabatur. — Credo ego hic tacite meminisse Martialem de Luculli historiuncula; quem quum Cicero aliusque adiissent coenam petentes nec splendidiorem quam solito, is dixit uni e servulis se illo die in Apolline coenaturum.

218. — CALAMI AVCVPATORII.

Non tantum calamis, sed cantu fallitur ales,
Pallida dum tacita crescit arundo manu.

2. *Pallida dum tacita.* Auceps sub arbore latitans invitabat cantu aves, quibus iam arbori insidentibus, infra paulatim assurgens, viscatas subiicie-

bat, capiebatque: et hoc est, quod Poëta dicit crescere arundinem seu virgam, dum paulatim ab aucupe in digitos pedum surgente tollitur, aviumque pedibus subiicitur, ut crescere sensim videatur. *Raderus.*

219. — COR BVBVLVM.

Pauper caussidicus, nullos referentia nummos
Carmina quum scribas; accipe cor, quod habes.

2. *Accipe cor.* Hoc est, bovis cor stupidum, quale tu ipse habes, sive quum in foro causas agis, sive quum versus scribis, neque enim ex his, neque ex hoc ullam utilitatem percipis. Vide ad lib. I, epigr. 77. Vel intelligi potest dementem, seu non cordatum virum illum esse, qui, relicto foro ubi pauca quaedam lucrabatur, carmina scriberet nummorum etiam minus referentia; sic tacite dolet Poëta et conqueritur suam ipsius paupertatem.

220. — COQVVS.

Non satis est ars sola coquo: servire palatum
Nolo; coquus domini debet habere gulam.

Coqui boni officium esse dicit, non tantum ut sit peritissimus artis suae, sed serviat etiam aptissime tempori, et iudicet palatum domini sui.

1. *Servire palatum Nolo*, est, Volo gulam esse ingenuam, ut ipse loquitur lib. VI; quem locum opportune addidit Gruterus. Nam servile palatum, adsuetum cibo servili, varietates saporum male distinguit. — *Coquus domini debet habere gulam*, hoc est, Licet conditione sit servus, tamen gula debet esse liber, et talis qualis est vel domini eius vel potius convivatoris cuiuscumque. Etenim si convivas ille delectare vult, ipse sit oris sapidi et lautitias intelligentis, necesse est. *Gronov.* — Optime hic Gronovius versiculi, immo epigrammatis totius sensum explicut, modo τῷ *palatum* faveris: at si *palato* servaveris, quis erit sensus? num absurdus atque insulsus, ut multi contendunt? Non fateor; namque sic intelligo: Haud satis est palato placuisse, et es convivantibus apposuisse quae re vera optima sunt; at fastidiosam gulam et vel haec vel illa sine lege certa, et quia vel rara vel nova sunt appetentem, titillasse necessarium est. Porro ad haec non arte solum et solertia indiget coquus, sed improbo quodam et versatili ingenio quo mire callidus divinet quid convivantibus, quid hodie, quid cras, vel placeat vel placiturum sit. Haec essequi, artis est; divinare, gulae. Vtraque dote pollest coquus. Eo. P.

2. *Namque* edd. vett. pro *Nolo;* Turnebus quoque. Vid. praeced. not.

221. — CRATICVLA CVM VERV.

Parva tibi curva craticula sudet ofella;
Spumeus in longa cuspide fumet aper.

Craticula cum veru Turneb. lib. IX, cap. 24. Et id melius; nam quanquàm in distichi huius hexametro Poëta docet *craticulae* usum, ac pentametro *veru*, libens crediderim craticulam solam dono missam, et per antithesim duntaxat de veru locutum Martialem.

1. *Ofella.* Ofellas intellige carnes conditas, et globi forma concisas, lib. X, epigr 48, quas super craticulam torreri iubet: ast gradiores feras, veluti apros, non craticula, sed veru assandas docet.

222. — PISTOR DVLCIARIVS.

Mille tibi dulces operum manus ista figuras
Exstruit: huic uni parca laborat apis.

Pistor dulciarius illo est qui dulcia tantum et cupedias concinnabat, ut satis nomen per se declarat; et distinguebatur a pistore lactario.

1. *Mille... figuras.* Quales figurae nunc fiunt ex melle, sacchаro et farina Apuleius formas quasdam enumerat, lib. X, ubi: *Hic panes, crustula, lucunculos, hamos, lacertulos, plura scitamenta mellita.*

2. *Exstruit* in Lang. — *Huic uni.* Ars pistoris dulciarii adeo laudatur a Poëta, ut propter hunc unum ab apibus mel confici dicat.

223. — IENTACVLA.

Surgite, iam vendit pueris ientacula pistor,
Cristataeque sonant undique lucis aves.

Omnia haec ad unum sententiam facile revocaveris: principio nempe panem solum ad ientaculum dari, mox gliscente luxuria et imperiosiore in dies gula sumpta alia, e quibus tum caseus, tum adipata. Caeterum cur voluerit hic Turnebus τῷ *ientacula* in lemmate subiungi *adipata*, haud assequor: num vendit semper pistor adipata? Ed. P.

2 *Cristataeque.* Hoc est, galli aurorae praenuntii. Quasi igitur noctem Saturnalitiam egisset Poëta, evagatus per munera singulis distichis monet diem adventare, impositurus operi ultimam manum.

EXPLICIT LIBER DECIMVSQVARTVS.



INDEX

IN

M. VAL. MARTIALEM



AD LECTOREM.

Indicatur primo numero romano *liber*, secundo arabico *epigramma*, tertio item arabico *versus*: his vero literis, Sp., Spectaculorum liber: his, *Lemm.*, lemma seu titulus. Caeterum ne eadem vox saepius scripta recurreret, lineola illius loco usi sumus. Sic post *Abit tectus*, — *annus* idem valet ac *Abit annus*. Vbi quaedam uncis inclusa sunt, ante vocem quae praecedit lege ea: sic *Aede* (*Martis in*) est *Martis in aede*.

INDEX VERBORVM
VNIVERSVS
IN M. VAL. MARTIALEM

A.

3. — calcat lotus, —III, 77, 6. — morietur, IX, 57, 9. — vero dignus, X, 20, 6. — pilae flagrat, X, 86, 2. — flagrat cinis, XII, 52, 4. — *Amoribus* istis, VII, 14, 7. — *Amores* peteret, Sp. 25 *bis*, 1. — nostros, V, 37, 17. — observat, VII, 50, 7. — plus, X, 35, 8. — Iliacos, XII, 52, 9. — lascivos, XIV, 187, 1. — Celaenaeos, XIV, 204, 1. — meros, XIV, 206, 1.

Amphion potuit, XII, 75, 5.

Amphitheatrales magistros, XI, 69, 4. — ad usus, XIV, 137, 1.

Amphitheatri venerabilis moles, Sp. 2, 5, et 6. — *Amphitheatro* Caesareo, Sp. 1, 7. — et Circo, Sp. 28, 9. — in magno IX, 69, 7.

Amphora non meruit mori, I, 19, 8. — fiat anus, VI, 27, 8. — vitiata garo, VI, 93, 6. — facta minor, VIII, 45, 4. — nigri Falerni, XI, 8, 7. — cariosa, XI, 49, 7. — vigesis, XII, 76, 1. — Mamertina, XIII, 117, 1. — Niliaci aceti, XIII, 122, 1. — *Amphorae* cervix, XII, 32, 14. — *Amphoram* vini, XII, 65, 9. — *Amphoras* centum aquae, IX, 99, 3.

Ampla ora leonis, I, 61, 1.

Amplectitur hos Gallia, VIII, 81, 4 et 5. — *Amplexa* penates, IX, 62, 5. — collum, XII, 65, 7.

Amplexu sollicitata, VI, 68, 10. — in meo, XI, 26, 2. — *Amplexus* fugit, IV, 22, 3.

Ampliat aetatis spatium, X, 23, 7. — *Ampliavit* ter nomina, VIII, 66, 11 et 12.

Ampullis Cosmianis, III, 82, 26. — vitreis, VI, 35, 3 et 4.

Amyclaeo veneno, VIII, 28, 9. — *Amyclaea* corona, IX, 73, 1. — pluma, XIV, 161, 1. — *Amyclis* Therapnaeis, IX, 104, 5. — Fundanis, XIII, 115, 1.

An veneras? I, 1, 4. — fieri vetas, I, 55, 7. — caussa levis? II, 65, 2. — satis unus erit? III, 5, 2. — quae adstruit scriptor? III, 20, 4. — aemulatur iocos? III, 20, 5. — severus heroïs? III, 20, 8. — in cothurnis horridus? III, 20, 7. — otiosus? III, 20, 8. — spatia Argonautarum? III, 20, 11. — sole Europae? III, 20, 12. — lavatur? III, 20, 15. — balneo Tigellini? III, 20, 16 — rure fruitur? III, 20, 17. — currit? III, 20, 18. — profectus ad Baias? III, 20, 19. — fugerit Phoebus? III, 45, 1. — domus? III, 58, 51. — promisit Rhenus? IV, 11, 7. — stultum me credis? IV, 15, 6. — magis illud fles? IV, 48, 3 et 4. — ut invideam? IV, 68, 2. — potes et non vis? V, 82, 3. — dea negligit? VI, 68, 9. — sola est vera? VII, 35, 6. — socium transferre? VIII, 3, 13. — Tartessiacus Baetis? VIII, 28, 5. — numeravit tua lana? VIII, 28, 7. — derasa est bractea? VIII, 33, 5 et 6. — Polyclete, tua? VIII, 51, 2. — Herculeo ab astro? VIII, 55, 15. — vates diligat? VIII, 63, 3. — olerent aera? IX, 60, 11. — quae stupet unda, IX, 100, 10. — Laurentino in litore? X, 37, 5. — similes videntur? X, 65, 5. — Chione Veneri apta? XI, 60, 1. — puella esset? XI, 61, 8. — tibi nos spadones? XI, 75, 6. — Nicerotis libram? XII, 65, 4. — pondus lanarum? XII, 65, 5. — decem flavos? XII, 65, 6. — qui talia mittunt? XII, 74, 3. — magis cervus? XIII, 96, 2. — Libycas trabes? XIV, 91, 2.

Ἀνακλινοπάλην dicit, XIV, 201, 2.

Anaglypta mensis de paternis, IV, 39, 8.

Analecta colligere, VII, 20, 16 et 17. — dabunt, XIV, 82, 2.

Anas tota ponatur, XIII, 52, 1. — *Anatis* orropygium macrae, III, 93, 12.

Anchialum (iura per), XI, 94, 8.

Anchora curvo nexu, Sp. 26, 3.

Ancilla extremo loco, III, 33, 3. —

B.

dae linguae, VII, 88, 9. — vocis, XI, 91, 11. — *Blandum* levamen, VI, 68, 5. — prurit, XIV, 203, 1. — *Blanda*, Telesphore, cura, XI, 26, 1. — *Blando* dente, I, 15, 3. — pede suscitat, I, 110, 12. — *Blando* somno, IV, 64, 20. — talo supposita, IV, 66, 15. — fritillo, V, 84, 3. — amore, VIII, 77, 6. — *Blanda* alea, IV, 14, 7. — *Blanda* stagna, IV, 57, 1. — ora Labycae, VII, 87, 9. — dona naturae, XI, 80, 2. — *Blandas* mortes, III, 64, 2. — imitata columbas basia, XI, 104, 9. — *Blandis* manibus, VI, 23, 3. — labellis basiet, VII, 95, 7 et 8. — vocibus excitata, XII, 99, 8. — *Blandior* puellis, I, 110, 3. — (quis) illo? VI, 29, 5. — esse potes, X, 68, 10. — *Blandius* ipse facis, X, 10, 6.

Blanditiae te movent, XI, 70, 3 et 4. — *Blanditias* nescis, XI, 29, 5. — *Blanditiae*, frustra venitis, X, 72, 1.

Blatta sordida, XIII, 1, 2. — *Blattas*que pascunt, VI, 60, 7. — truces admittam, XIV, 37, 2.

Boletaria, XIV, 101, Lemm.

Boletus debilis, VII, 20, 12. — hiare, XI, 18, 15. — *Boletum* qualem Claudius, I, 21, 4. — *Boleti* sunt tibi, III, 60, 5. — quum dederint, XIV, 101, 1. — *Boletis* poma secunda sumus, XIII, 50, 2. — *Boletos* voras, I, 21, 2. — volo, III, 45, 6. — ostrea, mullos, VII, 78, 3. — imitatur, XI, 31, 13. — ostrea, sumen, aprum, XII, 17, 4. — et aprum, XII, 48, 1. — mittere difficile est, XIII, 48, 2.

Bombycina furtiva, XI, 50, 5. — tenuia, XIV, 24, 1.

Bombyx pendulus urget, VIII, 33, 16.

Bona tam pretiosa, XI, 60, 10. — liberalitatis, VIII, 38, 2.

Bonitate superas, X, 33, 2.

Bonus simplicitate vera, I, 40, 4. — si es, III, 38, 14. — et pauper vir, IV, 5, 1. — Caesar laxatur, IV, 8, 9. — liber est, VII, 81, 2. — puer oderit, VIII, 3, 16. — sis an velis videri, VIII, 38, 7. — genitor, VIII, 50, 3. — Caesar det, IX, 43, 7. — vir ampliat spatium aetatis, X, 23, 7. — esse ausus es, XII, 6, 12. — non es, XII, 36, 6. — si es, Zoile, XII, 54, 2. — poëta, XII, 63, 8. — quis esse potest? XII, 81, 2. — homo tiro est, XII, 51, 2. — visceribus est, XIII, 84, 2. — *Bona* causa, VIII, 45, 8. — *Boni* parentis, VI, 25, 1. — *Bonae* famae, VI, 66, 1. — *Boni* quid fecere? I, 19, 3. — *Bonum* unguentum, III, 12, 1. — vinum facies, V, 78, 16. — *Bona* sunt, I, 17, 1. — quae sunt, II, 1, 3. — vina negat, IV, 69, 2. — musta deot lacus, VII, 28, 4. — Cosmica, VII, 41, 2. — si totidem sunt, VII, 81, 2. — fata manent, IX, 57, 10. — Saturnalia, XIV, 70, 1. — *Bonorum* ultimus, XII, 36, 10. — *Bonos*que soles, V, 20, 11 et 12. — *Bonas* auras, I, 114, 3. — lacernas mittas, VI, 82, 12. — mensas ponis, X, 54, 1.

Bononia culta, III, 59, 1. — orbata Rufo, VI, 85, 5.

Bootae hyperborei, IV, 3, 5. — placidi plaustra, VIII, 21, 3 et 5.

Boreas maoere velit, VIII, 14, 6. — *Boreae* stridore, VII, 36, 5.

Bos grandis, X, 79, 9. — *Bovem* iuvencae Niliacae, VIII, 81, 2. — *Bove* in toto, V, 31, 4. — *Boves* rectas, V, 65, 6. — Hesperias, IX, 102, 10.

Botellus pultem premens, V, 78, 9. — *Botellos* imitatur, XI, 31, 13.

Botrodum colimus Plateamque, XII

nas, XIII, 127, 1. — *Brumae* sextae frigora, V, 34, 5. — decimae frigora, VII, 65, 1. — medio mense, VIII, 44, 2. — horrida sidera, IX, 13, 2. — gelidae tempore, X, 14, 7. — diebus XII, 83, 1. — medio tempore, XII, 72, 1. — *Brumae* Romanae, VI, 80, 9. — *Brumam* timeant pomaria, VIII, 14, 1. — *Bruma* imminente iam, III, 58, 8. — gelida, IV, 55, 9. — sexta, XII, 62, 7. — *Brumas* ter denas, IV, 40, 5. — triginta quatuorque, X, 104, 9 et 10.

Brumali frigore, XIII, 116, 1. — tempore, XIV, 136, 1.

Brutiano facundo, IV, 23, 5.

Brutus gaudebit, XI, 5, 9. — amator erat, XIV, 171, 2. — *Bruti* coniugis fatum, I, 43, 1. — puerum brevem, II, 77, 4. — temporibus, VIII, 30, 2. — facimus puerum, IX, 51, 5. — *Bruto*que similia, V, 51, 5. — *Brute*, recede, leget, XI, 16, 10. — Porcia tibi, XI, 104, 18. — *Bruto* consule natam, X, 39, 1. — eorum, XI, 16, 10. — consule natus, XI, 44, 1.

Bubalus atrox atque bison, Sp. 23, 4.

Bubulci contumeliosi rota, X, 7, 4 et 5.

Bubulum muscarium, XIV, 72, Lemm.

Bucca loquax, I, 42, 13. — calda Vetustillae, II, 28, 4. — *Buccam* (in) venerit, XII, 24, 5. — *Buccas* puras corrumpere, III, 75, 5. — caninas, X, 5, 5. — *Buccis* sufflavit, III, 17, 4. — *Buccis* Summoenianis inquinatior, XI, 61, 2. — madidis, XIV, 64, 1.

Buccellas misisse dicis, VI, 75, 3.

Bucco perdiderit ducenta, XI, 76, 2.

*Bulbi*que salaces, III, 75, 3. — *Bulbis* cochleisque, IV, 46, 11. — *Bulbis* satur, XIII, 34, 2.

Burdigali crassi, IX, 33, 6.

Burrus impleat innumeras Olympiadas! IV, 45, 4. — sentiat parentem, V, 6, 6.

Busti Idaei, IX, 35, 1. — cineres lacessis, X, 90, 2. — *Busto* recenti, V, 37, 14. — *Busta* prope latentis, XII, 72, 1.

Bustuarias inter moechas, III, 93, 15.

*Buxei*que piceique dentes, II, 41, 6 et 7.

Buxeto tonsili, III, 83, 3. — *Buxeta* Europes, II, 14, 15.

Buxus multifido dente, XIV, 25, 2. — *Buxo* non recenti, XII, 32, 8. — *Buxos* fragiles, I, 89, 5. — inter tepentes, III, 20, 13.

Byblida (Scyllam) nec fuisse credit, X, 35, 7.

C.

Caballus (non Sextius, sed), I, 42, 20. — *Caballi* Libyci, XII, 24, 6. — *Caballo* dare quadringenta, V, 25, 9. — *Caballum* (vincere Sextium), I, 42, 17. — *Caballo* Andraemone notior, X, 9, 5.

Cacas ergo carius, I, 38, 2. — *Cacat* (qui non) olim, I, 93, 11. — *Cacare* soles in fine, IX, 70, 1. — *Cacantis* faciem, III, 89, 2. — *Cacanti* legis, III, 44, 11. — dabit basium, XI, 98. 21 et 22. — *Cacantes* quae legunt, XII, 61, 10.

Cacaturit (coenaturit, non), XI, 77, 3.

Cacus ducere solebat, V, 65, 5 et 6.

Cadaver exigis tuum scalpi, III, 93, 23. — hoc cuius vulturis? VI, 62, 4. — vile portabant, VIII, 75, 9.

Cadit sordida barba, IV, 53, 4. — Advolans, VI, 62, 6. — mentula

quis te vocabit? III, 93, 21. — ego extuli, V, 37, 21. — *Coniuge* relicto, I, 63, 5 et 6 — (cum) miscere census, IV, 75, 3. — cum Cato Norbana, VII, 74, 7. — ducta, VIII, 31, 2. — gaudet uno, XI, 53, 7. — coram basiaret, XII, 94, 1 et 2. — *Coniugibus* suis placere, I, 30, 4 et 5.

Connubia fallere, VI, 2, 1.

Conscientia clamet prudente, X, 5, 19.

Conscius o si esset! XII, 24, 9. — *Conscia* Ida tulit Iovem, IV, 1, 2. — Phaëthontei rogi, IV, 25, 2. — virgo Tonantis, VI, 10, 9. — partus dies, VII, 21, 1. — infantis domini, IX, 21, 2. — vatis modiel, IX, 27, 7. — dulcis lectuli lucerna, XIV, 39, 1. — *Consciaque* voce dicebat, IX, 61, 7.

Consecrat venerandus Caesar, IX, 102, 1 et 2. — *Consecravit* Maro Idus, XII, 67, 3.

Consedit pene tertius, VI, 14, 5.

Consequor hoc, V, 46, 1.

Consessorum petis numismata, I, 27, 3 et 4.

Consilium non peto, II, 30, 6. — do tibi, V, 19, 18. — formae speculum, IX, 17, 1. — *Consilio* usus amici, XI, 55, 7.

Conspiciendus eques, IX, 50, 4.

Conspicui Amphitheatri, Sr. 2, 5. — *Conspicuae* domus, VII, 50, 2.

Constantior ipso Thrasea, IV, 54, 7.

Constat quanti scriptura, I, 67, 3. — asse cicer et Venus, I, 104, 10. — decies supellex, III, 62, 3. — vilius odisse, XII, 13, 1. — oryx morte canum, XII, 95, 2. — ex unguento et ex balano, XIV, 57, 2. — *Constabit* nummis quatuor, XIII, 3, 2. — *Constet* quanti libertas, VI, 88, 3. — ne pluris aqua, XIV, 118, 1. — *Constamus* tibi selibra, I, 100, 15. — *Constare* gratis, X, 29, 5. — duobus poterit, XIII, 3, 3.

Constituitque horam, XI, 73, 1. — locum, XI, 73, 2. — *Constituit* poenam mihi Fulvia, XI, 22, 3 et 4. — *Constituit* pater millia bina, III, 10, 1.

Constringatque purpura toros, XI, 56, 10. — *Constringere* pectus, XIV, 66, 1. — *Constringuntur* culi Symplegade, XI, 99, 5. — *Constrictos* libellos, XIV, 37, 1.

Consuevere iocos ferre, I, 5, 3. — *Consueta* tigris lambere dextram, Sr. 18, 1 et 2.

Consul tibi trigesimus instat, I, 16, 3. — mihi eras, IV, 40, 4. — uterque, IV, 79, 6. — qui ponebat, erat, VII, 79, 4. — tertius, VIII, 66, 8. — uterque solet, VIII, 78, 14. — praetorva tenet, X, 70, 9. — expressit et bibit, XIII, 113, 2. — *Consulis* mei atria, XII, 3, 10. — *Consule* ipso conditum, VII, 79, 3. — centeno facta minor, VIII, 45, 4. — nato, VIII, 66, 4. — Bruto, X, 39, 1. — bis Frontino, X, 48, 20. — Torquato, XI, 44, 7. — quo condita? XIII, 111, 2. — *Consules* trecenti quum tibi sint, III, 93, 1 et 2.

Consulare vinum potavi, VII, 79, 1.

Consulatus numerare frequentes, VIII, 66, 12 et 13. — ipse, XI, 98, 14.

Consuluit nares, IX, 60. 11.

Consumis et mutuaris, VIII, 16, 3.

Consumit horas in conclatibus, XI, 77, 1 et 2. — *Consumitis* (quid non), anni? IX, 50, 9. — *Consumpsi* thuris acervos, VII, 54, 5. — *Consumet* piperis acervum, VII, 27, 7. — *Consumat* modicum olivi lychnus, IV, 90, 8. — gleba ligones, IX, 23, 3. — *Consumpta est* si pagina, X, 59, 1. — *Consumpto* salicto moritur, XI, 18, 13.

Consummatique Catonis, I, 9, 1.

Contagia feminei generis, XI, 47, 2.

Contaminat Tyrianthia, I, 54, 4 et 5.

Contegenti tibi tempora, XII, 45, 1 et 2.

Contemerare notas manus, Sr. 10, 2.

viduas, IX, 101, 4. — sestertia solvere, XI, 76, 1. — perde, XI, 76, 4. — carmina gerit tabella, XIV, 192, 1 et 2.

December canna mugiet, I, 50, 19 et 20. — vagus alea sonat, IV, 14, 7 et 8. — sic abeat meus, V, 84, 9. — medius praestat, VII, 28, 7. — sonat Boreae stridore, VII, 36, 5. — flaret atrox, VII, 37, 6. — sit tibi, Paulle, VII, 72, 1. — riget horridus, VII, 95, 1. — longus et bruma madens, X, 5, 6. — *Decembris* iocos ex. spectent, X, 87, 7. — *Decembri* tu tuo amere, XII, 62, 15. — *December*, facis populi vota, VII, 8, 3. — *Decembri* mense misi II, 85, 3. — non aspernanda dona, IV, 19, 3 et 4. — mense quo volant mappae, V, 18, 1. — non aspernanda carmina, V, 30, 5 et 6. — quum prandia misit imperator, V, 48, 8 et 9. — *Decembres* triginta, III, 36, 7. — (multos repetita post), XII, 18, 7.

Decenni compede, IX, 58, 3.

Decens gemino honore, III, 2, 8. — *Decentior* caeca Philaenia, XII, 22, 3.

Decernis quid esse velis, II, 64, 2. — *Decrevit* Festus adire, I, 79, 4.

Decet quos esse mores? Sp. 10, 5. — te assidere matri, II, 41, 19. — Thalassionem tuum, III, 93, 25. — urbem Martis, VIII, 65, 12. — non quercus te sola, VIII, 82, 7. — Ἄρες, Ἄρες sonare, IX, 12, 15. — in Caesaris domo esse, IX, 14, 8. — te putare gemma, XI, 11, 5. — te cum sacris esse tuis, XII, 62, 6. — misceri merum, XIII, 108, 2. — loculos implere, XIV, 12, 1 et 2. — folle ludere, XIV, 47, 2. — *Decent* colla iubae, I, 52, 6. — vatem talia damna, X, 58, 12. — munditiae puellas, X, 90, 3. — Tonantem, XII, 15, 6. — pilea Iovem, XIV, 1, 2. — *Decebat* Cybelea esse avem, XIII, 64, 2. — *Decuit* livere veneno, VIII, 28, 9. — venabula pectus, VIII, 55, 11. — *Decuisse* Herculeas manus, Sp. 15, 6. — Venus potest, II, 34, 4.

Deciane, facis, I, 9, 4. — aspicis illum, I, 25, 1. — ne valeam, II, 5, 1. — *Deciano* Emerita gaudet, I, 62, 9, et 10.

Decidat tecum pater, IX, 4, 6.

Decidis In similes toros, VII, 58, 6. — *Decidit* unda praegravis, IV, 18, 4. — acri equo, XII, 14, 3 et 4. — crassae imber aquae, XII, 26, 10.

Decies (bis), Sextiliane, bibis, I, 12. 2. — millia centum, I, 104, 1. — Scaevola, redde Deis, I, 104, 12. — (bis) tribuit Dea caeca, IV, 54, 3. — dic ubi sit, IV, 56, 17. — datus in auro, XI, 23, 3. — aut saepius anno, XII, 56, 1. — viciesque pedit Æthon, XII, 78, 7 et 10.

Decimus (bis) ab urbe lapis, IV, 57, 4. — iam non habet annus, VIII, 71, 11. — *Decima* est hora libellorum, IV, 8, 7. — *Decimae* (bis) brumae, VII, 65, 1. — *Decimi* libelli cura, X, 2, 1. — libelli longior labor, XII, 5, 1 et 2. — *Decimo* viro Thelesina nubit, VI, 7, 4. — *Decimam* (post) balnea, X, 70, 13. — *Decimo* (pro) Quintum salutabat, V, 21, 1 et 2. — *Decima* hora salutabo, I, 109, 9. — hora te sequar, III, 36, 5 et 6. — (hunc licet a) sollicitea, VII, 51, 11 et 12. — hora venimus, XI, 79, 1.

Decipit esca feras, IV, 56, 6. — te quoque error, VII, 100, 9. — *Decipies* alios verbis, IV, 89, 9. — *Decipiat* navalis Enyo, Sp. 24, 3. — *Deciperis*, si credis, XIV, 88, 1 et 2. — *Decipiturque* falliturque, VI, 70, 11. — ales galbula calamis, XIII, 68, 1. — *Decipimur* munere linguae, VII, 88, 9 et 10. — *Decipi* scarum, V, 18, 8. — Fabullum quid miraris? XII, 51,

12. — (o dilecta) arbor! IX, 62, 19. —donatum est nostris, XII, 15, 2.— *Deos* probare non poterant, I, 13, 12. — arcano roget ore, I, 40, 6. — omnes una foenerat, I, 77, 6.—magnos esse credimus, II, 91, 2. — esse nullos affirmat, IV, 21, 1 et 2. — divitias nunquam rogavi, IV, 77, 1.— luce uro, IV, 90, 2. — ipsos posse perire, V, 64, 6. — (tot spectacula, tot), VI, 4, 4. — surdos vox habet ista VI, 58, 8.— non facit ille, VIII, 24, 6.—exhilarant gaudia nostra, VIII, 50, 6. — (per) Deasque iuret, VIII, 81, 3 et 4.—(solem, sidera, templa), IX, 26, 4. — invidia exonerare, IX, 87, 10. — per omnes iuro, X, 58, 10.

Devitat balnea Blattara, XI, 47, 2. —*Devites* Grammaticosque Rhetorasque, V, 56, 3 et 4.

Devorat folia lauri, V, 4, 2.—*Devorantibus* draucos oculis, I, 97, 12.

Devota focis arma feram, XI, 73, 6.

Dextera (o quam certa fuit)! Sp. 13, 3.—fortis teneri Carpophori, Sp. 23, 2.—felix posuit, IX, 62, 7.—*Dextera* hac litat vobis, X, 92, 16.

Dexteriore (cubito) premit, V, 61, 4.

Dextra (decepta satellite) I, 22, 1. — pectus pulsat, II, 11, 5. — mero calet, IX, 44, 4.—domino fidissima, XI, 69, 3.—peregit opus, XIV, 208, 2. — *Dextrae* gloria deceptae, I, 22, 7. — nobile funus amat, VIII, 30, 5 et 6. — *Dextram* magistri lambere, Sp. 18, 1. — das, Posthume, aliis, II, 21, 1. — licet observes, XII, 29, 3. — *Dextra* missa fulmina, VI, 83, 3. — colligere longa analecta, VII, 20, 16 et 17. — tractare virilia coepisti, XI, 29, 4 et 2. — quum conata es, XI, 99, 3 — laevaque trigonem captabit, XII, 83, 3.

Di (pro *Dii*); vid. *Deus*.

Diadema daret Nomas, VIII, 55, 8. *Diademata* Dacis tribuit, VI, 10, 7.

Diadumenum (ad), III, 65, Lemm. V, 46, Lemm. VI, 34, Lemm.—*Diadumene*, saeve puer, III, 65, 9. — ut te saepe rogem, V, 46, 3. — basia da nobis, VI, 34, 1.

Diana te velit, VIII, 46, 3. — Angustis redit Idibus, XII, 67, 2. — *Dianae* Caesareae discrimina, Sp. 12, 1. — utriusque numen, Sp. 13, 5.— Tiburtinae crescat sylva, VII, 28, 1. — colle domus tibi est, VII, 73, 1. — nemus recta facit, XI, 18, 4. — collem teris, XII, 18, 3. — *Dianae* Aventinae vicinus, VI, 64, 13. — *Dianam* ad Luciferam, X, 70, 7.

Diapasmate mixtum virus, I, 88, 5.

Diaria (pueri que) poscunt, XI, 108, 3.

Diatreta (o quantum) valent! XII, 70, 9.

Diaulus (chirurgus fuerat, nunc est vespillo), I, 31, 1. — (nuper erat medicus, nunc est vespillo), I, 48, 1. —*Diaulo* (da) medico, I, 31. L emm I, 48, Lemm.

Dicis (quum), propera, I, 47, 1.— mihi, Choerile, semper, I, 68, 1. — dominum, Sosibiane, patrem, I, 82, 2. — saepe, Luci Iuli, I, 108, 1.— vis mittam puerum, I, 118, 2. — Vtrum mavis? elige, II, 21, 2.—Candide, κοινὰ φίλων, II, 43, 14. — hoc si me conveneris, II, 67, 3 et 4. — invitum te coenare foris, II, 69, 1.— amore tui ardere puellas, II, 87, 1 — nihil esse quidquid petis, III, 61, 1. — Ave, Naevole, nunquam, III, 85, 1. — Formosus, Marce, eris, V, 29, 1 et 2. — te, Bassa, formosam, V, 45, 1. — te, Bassa, puellam, V 45, 1. — Cras, Posthume, semper, V 58, 1. — tu multa diu, VI, 45, 1.— dicteria in omnea, VI, 44, 3.— buccellas te misisse, VI, 75, 3. — bis terque die, VII, 92, 2.—archetypum, argentum te habere, VIII, 34, 1. —

F

VIII, 14, 2.—servat vesica capillos, VIII, 33, 19.—creverat annis, IX, 77, 3.—*Fortius* quid esse potest? V, 37, 23.

Fortiter ille facit, XI, 56, 16.—*Fortius* posset loqui, VIII, 18, 8.—impressi tibi basia quinque, X, 42, 5.—nobis loquetur filia, X, 65, 11.

Fortuna querelas timuit, I, 13, 9.—iniqua, II, 24, 1.—vetat fieri, II, 91, 5.—voluit licere, IV, 18, 7.—hoc sciat caveto, VI, 79, 1.—debet Etrusco, VI, 83, 1 et 2.—multis dat nimis, XII, 10, 2.—*Fortunae* reducis, VIII, 65, 1.—*Fortunam* (extra) est, V, 42, 7.—*Fortuna* (hoc), placet? IV, 40, 10.—licet hoc fateri, VI, 76. 3.—videtur tibi aequum? X, 76, 1.

Fortunati balnea, II, 14, 11.

Fortunatum me credis? XII, 48, 3.

Forum Romanum divitius est, I, 77, 12.—te sonabit, VII, 97, 11.—*Fori*que urbisque proceres, VI, 64, 9.—tristia iura, VII, 64, 4.—*Forum* (post) Palladium, I, 3, 8.—(contra Caesaris) I, 118, 10.—triste nossemus, V, 20, 6 et 7.—Latinum regis ore, X, 37, 2.—*Foro* Corneli esse, III, 4, 4.—in triplici, III, 38, 4.—medio spatiere, VI, 77, 6.—pro suo, VII, 63, 12.—triplici sparsus, VIII, 44, 6.—*Fora* litibus fervent, II, 64, 7.—sic te mirentur, VII, 28, 5.—(nec illic sunt), X, 51, 11 et 12.—(nec) sunt nobis, XIV, 135, 1.—*Fora* tot numeras, X, 28, 6.

Fragilis sum, sed ne sperne ..., XIV, 178, 1.—*Fragili* de ulmo dolatus, VI, 49, 1.—*Fragiles* buxos, I, 89, 5.

Fragmentum vile, VII, 19, 1.—*Fragmenta* novissima dentis, VIII, 57, 3.

Fragrat plumbea Nicerotiana, VI, 55, 3.—*Fragrat* testa multa, III, 58, 7.—*Fragrant* tua basia, III, 65, 9.—pueri basia, XI, 8, 12.—*Fragravit* quod rosarium Paesti, V, 37, 9.—*Fragres*, Fescennia, vino, I, 88, 1.

Frangis Mentora, XI, 11, 5.—crystallina, XIV, 111, 1.—*Franges* aestus Tago, I, 50, 15.—*Frange* toros, II, 59, 3.—leves calamos, IX, 74, 9.—Setinos trientes, XIV, 103, 1.—*Frangam* crura manusque, XI, 58, 10.—*Frangat* victoria palmas, X, 50, 10.—*Frangere* non didicere, I, 23, 2.—colla velint, I, 52, 2.—toros imperat, IV, 8, 6.—Cyaneae ruinae potuere, VII, 19, 3 et 4.—crystallina dum metuis, XIV, 111, 1.—*Fractus*que Rhenus cornu, VII, 7, 3.—*Fracta* amphora Falerni, XI, 8, 7.—*Fracta* aure magister, VII, 32, 5.—urceus ansa, XI, 56, 3.—*Fractorum* Vatiniorum proxeneta, X, 3, 4.—*Fractos* lectos, V, 62, 5.—*Fracta*que ossa dedolat, XI, 84, 6.—*Fractis* vitreis permutat, I, 42, 4 et 5.—Vadaveronem montibus, I, 50, 5 et 6.—*Frangendus* fuerit calix, XII, 74, 10.—*Frangendos* calices clamabat, XII, 70, 5.

Frater triumphos meruit, II, 2, 5.—misit feram ab astro, VIII, 55, 16.—prior esset, IX, 55, 6.—tibi dicor, X, 65, 3.—nisi amaret, X, 89, 5.—amare poterat, X, 89, 6.—erat, XI, 10, 2.—*Fratris* fata luget, II, 11, 6.—(sors mea quam) melior, V, 3, 5.—hoc quoque habes, XII, 44, 8.—*Fratri* stabat proxima, IX, 87, 5. soli cedentia, XII, 44, 3.—*Fratrem* vocat, II, 4, 3.—pium lugenti, II, 41, 20.—Calliodorus habet, V, 38, 2.—me vocare desine, X, 65, 11.—(ibit ad), XI, 7, 9.—*Frater*, vive, I, 37, 6.—*Fratre* (pro) mori, I, 37, 4.—(quid cum) tibi? V, 39, 5.—(cum) sedere, V, 39, 9.—reversuro, VIII, 32, 8.—invito rogasti, IX, 52, 1.—*Fratres* gemini, III, 88, 1.—*Fratres*

H

Hodie vive, I, 16, 12.—coenares', Procille, mecum, I, 28, 3. — puer Hylle, negasti, IV, 7, 1.— qua ratione vir es, IV, 7, 6.—vivere serum est, V, 58, 7. — coenabis apud me, IX, 36, 11.—sexcentis natus eris, XI, 65, 6. — (cras nil erit, immo), XII, 48, 5 et 6.

Homerus carmine dixit, XIV, 57, 1.—in membranis, XIV, 184, Lemm. —*Homeri* Batrachomyomachia, XIV, 183, Lemm.

Homo bellus vis videri, I, 10, 1. —qui bellus est, I, 10, 2. — pusillus est, I, 10, 2.—es liber, I, 68, 1.— liber est, I, 68, 2. — ingeniosus, I, 74, 4.—desidiosus, I, 108, 2. — magnus est, II, 32, 2.— bellus es, III, 63, 1.— bellus quid sit, III, 63, 2. —bellus est, III, 63, 3. — bellus hoc est? III, 63, 13.— bellus praetricosa res est, III, 63, 14.—fidus, unde vives? IV, 5, 9. — tibi gratus est, IV, 74, 4.—certus et asper est, V, 61, 8. —Gaure, pusillus est, V, 82, 4.—ingeniosus est, VII, 9, 2. — Pontice, magnus es, VII, 100, 2. — Pontice, cautus es, VII, 100, 4. — Pontice, dulcis es, VII, 100, 6.—Pontice, pulcher es, VII, 100, 8.—Pontice, nullus es, VII, 100, 10.—(quod digitis perdis), est, IX, 42, 10.— Gaure, magnus es, IX, 51, 1 et 4.—Quinte, imperiosus es, IX, 54. 1 et 2.—non purus est, IX, 44, 2.—est, Calliodore, X, 31, 6.—Cotta, officiosus es, X, 88, 2.—quam magnus es! XI, 56, 7. —vitiosus es, Zoile, XI, 92, 2.—bonus tiro est, XII, 51, 2.—Cinna gulosus est, XII, 64, 2.— sagax excogitavit, XII, 88, 4—*Hominis* novi mores, II, 40, 2.—(os)! me rogat, IX, 95, 2. — solum spectes caput, XIV, 212, 1.—*Hominem* malignum credas, V, 28, 8.—incendia affligunt, VI, 33, 3 et 4.— pagina nostra sapit, X, 4, 10.—Calliodore, voras, X, 31, 6.— *Hominum* mores, Sp. 10, 5.— mors querelas moverit, VII, 47, 9 et 10. —non sunt gaudia tantum, VIII, 4, 3

Honesti imitator, I, 40, 5.

Honor tibi vivet, I, 89, 8.— mutet cultus', X, 50, 3. — antiquus mensis restituatur, XI, 11, 4.— quincuplici cera datur, XIV, 4, 2.—*Honos* nonnullus creditur, IV, 31, 2. — tantus veris, VI, 80, 5. — omnis te colat, VIII, 8, 4.—templis priscis servatur, VIII, 80, 5. — quantus luxurietur, XII, 62, 10.—*Honoris* grati nomen, XIV, 32, 1.—*Honorem* per colla sparsit, VIII, 55, 9.—*Honore* aeterno sacravit, I, 117, 1. — gemino decens, III, 2, 8.—tanto superantur, VIII.78, 15. — Tarpeiae frondis, IX, 4, 8.— in tanto minor visus, X, 79, 8.—vano tibi blandiris, XI, 32, 7. — *Honores* molles laudentur, Sp. 1, 3.— *Honorum* plenus, IV, 40, 7. —*Honores* sacros, VIII, 46, 9 et 10.— perpetuos sperare licet, IX, 62, 21.—alter rogat, IX, 65, 7.—mutuos possem dare, XII, 63, 9.

Honorato dedisti, IV, 27, 3.—*Honorato* nomine, V, 15, 3.

Honorificum pagina sonat, X, 45, 2.

Hoplomachus nunc es, VIII, 74, 1. —(quod facis), fecisti, VIII, 74, 2.

Hora meridiana interiungit, III, 67, 6 et 7.—prima atque altera, IV, 8, 1. —libellorum decima est, IV, 8, 7.— haec tua est, X, 19, 19.—(o nox omnis est)! X, 38. 4. — omnis scribitur tibi, X, 44, 6.—nimios prior vaporea halat, X, 48, 3 et 4.— nulla tibi, Phylli, est, XI, 50, 1.— si vacabit, XI, 106, 1.— aestiva est, XII, 1, 4. —tertia saepe rumpit, XII, 18, 14.— *Horae* supremae fila, X, 5, 10. —*Horam* totam dones, V, 80, 1 et 2.—victurum esse se, VIII, 81, 9.—Lygde, constituis, XI, 73, 1 et 2.—*Hora* de-

olivae nascanlur, IX, 36, 9. — *Iuleas* habenas, IX, 102, 15.

Iulo Dardanio, VI, 3, 1.

I.

Iaces praeda, IX, 27, 1.—ad limina, X, 13, 7. — umbra, X, 26, 4.—eum Ganymede, XI, 22, 2. — *Iacet* absoluta, I, 83, 3. — galbanatus, III, 82, 5. — tumulo nobiliore, IV, 59, 6. — frigus sub urbe, IV, 64, 13. — fascia putris, V, 62, 6. — sepulcro, VI, 28, 5. — in tumulo, VI, 52, 1. — senex, VII, 40, 1. — in orbe, IX, 44, 8. — in pluma, IX, 93, 8. — loro similis, X, 55, 5. — cum Ganymede, XI, 43, 4. — madio in toro, XI, 81, 2. — tumulata sepulcro, XI, 91, 1. — *Iacent* euneta flammis, IV, 44, 7. — senes, X, 71, 4. — *Iacebat* parte spondae, III, 91, 9. — *Iacui* tentus, XI, 73, 3. — laceratus, Sp. 21, 7. — fusus humi, VIII, 75, 4. — *Iacebunt* saxa, VIII, 3, 5. — *Iaceam* triente blaesus, IX, 88, 2. — *Iaceret* Briseis, XI, 43, 9. — *Iacere* vidimus, IV, 35, 2. — non poterat, V, 74, 3 et 4. — possit, XI, 18, 10 et 11. — *Iacentem* suscitas, III, 44, 16. — *Iacente* te supra pluteum, VIII, 44, 13.

Iacta semina, V, 42, 4.

Iactas ipse, XII, 53, 6. — *Iactat* pilas, Sp. 22, 6. — superbus, V, 8, 7. — sedere, V, 14, 10 et 11.—me fecisse, VII, 90, 1. — *Iactasti* nuper laetus, IV, 64, 2. — *Iactes* muuere vano, IX, 103, 3. — ta munieipem, X, 65, 1 et 2. — *Iactet* Babylona, Sp. 1, 2. — *Iactamur* in alto urbis, X, 58, 7 et 8. — *Iactatam* lineam, X, 30, 17 et 18. — *Iactatis* togis, XIII, 98, 2.

Iaculo laevi, IV, 55, 20.—et parma, IX, 21, 10. — laesus fuit, IX, 57, 7.

Iam opus fuisset, Sp. 27, 2.—scio, I, 24, 4, et passim.

Iamdudum rides, V, 19, 17. — audis, VI, 42, 23.

Ianiculi iugo, IV, 64, 3.

Ianitor negat, V, 22, 10.

Ianus, parens Fastorum, VIII, 2, 1. — pacificus, VIII, 66, 11. — commodabit, IX, 2, 1 et 2. — *Iani* Kalendis, VIII, 33, 2. — mense novo, X, 41, 1. — mense viret, XII, 31, 4. — Kalendis, XIII, 27, 1. — *Iano* cedere, VII, 8, 5. — *Iane*, tuam addas, VIII, 2, 8. — des principium, VIII, 8, 1. — quot ora geris, X, 28, 6.— refers nomina, XI, 4, 5 et 6.

Ianua patet, I, 71, 11. — aperta, IV, 29, 6. — surda, X, 13, 8. — *Ianuam* disertam, X, 19, 12 et 13.

Iecur anseris, XIII, 58, Lemm. — ansere maius, XIII, 58, 1.

Ieiunia sabbatariorum, IV, 4, 7.

Ientacula dentes linunt, I, 88, 3.— sumere frugi, XIII, 31, — vendit, XIV, 223, 1.

Iocetur liber, V, 2, 6. — *Iocarer* in charta, V, 26, 2. — *Iocari* credis, VI, 44, 1. — *Iocantes* audierit, X, 91, 3 et 4.

Iocosa Musa, II, 22, 2. — *Iocosae* Florae, I, 1, 1. — *Iocosam* litem, Sp. 20, 3. — *Iocosae* Gades, I, 62, 9.— *Iocosis* carminibus, I, 36, 10.

*Iocum*que creditis, II, 4, 6. — *Ioci* sine felle, X, 48, 1. — *Iocorum* liber, V, 15, 1. — *Iocis* vacat ille, VII, 80, 4. — *Ioeos*que leonum, I, 15, 1. — aemulatur, III, 20, 5. — admitte, IV, 8, 2. — emendare, IV, 10, 8.—putas, IV, 49, 2. — novit, VI, 82, 5.—solitus tenere, VI, 85, 10. — solennes, X, 17, 3. — Aegeriae, X, 35, 13. — excipe, X, 64, 2. — Decembris exspectent, X, 87, 7. — *Iocis* madidos, IV, 14, 2. — vincas, Aule, Paullos, V, 28, 2, 5, et 6.

Iovis, etc., vid. *Iupiter*.

Iuba fulvi leonis, IX, 91, 12.—

IV, 32, 1. — apud Parthos, V, 58, 4. — oblita creta, VI, 93, 9. — mappa, VIII, 59, 8. — uva, VIII, 68, 6. — lanugo capillis, IX, 37, 5. — casa divitiis, XII, 66, 4. — *Latent* (si qua), I, 35, 4. — coudita pelle, XIV, 184, 2. — *Latebat* in ore, III, 19, 5. — *Latuit* fronde, IX, 62, 12. — *Latebit* cylium, V, 79, 5. — *Late* (fuge), 25, 2. — *Latere* rosas (prohibet), VI, 22, 3. — *Latentis* agelli iugera, XII, 72, 1. — *Latentem* prodidit unda, IV, 22, 3.

Latiae Minervae artibus, I, 40, 3 et 4. — togae gaudia, VII, 5, 2. — arenae ritus, VIII, 80, 3. — templa viae, IX, 65, 2. — pectora plebis, XI, 53, 2. — *Latiae* secunda lyrae, VII, 23, 2. — urbi, VIII, 8, 5. — *Latio* Tonanti, IX, 66, 1. — polo addita, IX, 4, 12. — *Latium* forum regis, X, 37, 2. — *Latio* marmore, IX, 25, 2. — *Lat*o toga, VII, 63, 2. — ab urbe, IX, 18, 4. — nuru lucebit, X, 6, 4. — vite nobilis, X, 26, 1 et 2. — in urbe senex, X, 96, 2. — cultus in urbe, XII, 60, 4. — ab urbe Numae, XII, 62, 8. — *Latias* nurus, IV, 75, 2. — urbes, VI, 58, 9. — ad aras, VIII, 4, 1. — tribus, VIII, 15, 4. — comas mutat, VIII, 33, 20.

Latinum (Ave), V, 51, 7. — *Latino* (si qua) parum, II, 8, 1 et 2. — *Latina* verba legis, XI, 20, 2.

Latinus percutit, II, 72, 3 et 4. — ludorum fama, IX, 29, 1. — *Latini* alapis, V, 61, 11. — *Latinum* derisorem, I, 5, 5. — Panniculum, III, 86, 3. — deridere, XIII, 2, 3.

Latonae venerande nepos, IX, 18, 1.

*Latrotorque*sque Molossi, XII, 1, 1.

Latrotos cibos, IV, 53, 6.

Latro rogat, XI, 58, 8. — *Latrone* vitreo, VII, 72, 8. — nudo deterius, XII, 63, 12. — *Latrones* negant, XII, 27, 2. — *Latronum* insidiosorum, XIV, 20, 1. — *Latronibus* (a) tutam, XII, 27, 1.

Latus invalidum est, III, 46, 6. — ille tuum dulce, VI, 68, 4. — bisontis, IX, 58, 10. — *Lateris* mel frigora, II, 46, 8. — sacri custos, VI, 76, 1. — *Lateri* tuo haerere, IX, 101, 3. — *Latus* muraenae verris, II, 37, 1 et 5. — experta, VII, 58, 3. — rumpere, XI, 104, 6. — Basse, rumpis, XII, 98, 4. — tribunicium cingere, XIV, 32, 2. — *Latere* curto, XII, 32, 13.

Latus pectore, XII, 38, 4. — *Lata* patella, XIII, 81, 1. — *Latum* pectus, VIII, 55, 11. — *Loti* campi spatia, III, 58, 3. — *Latum* campum calvae, X, 83, 2 et 3. — *Loti* recessus, IV, 64, 4. — *Lataque* vela, Sp. 26, 4. — *Latior* rhombus, XIII, 81, 2.

Laudo Posthume, II, 10, 1 et 2. — faciem, III, 51, 1. — admiror, III, 69, 3. — nec admiror, VII, 85, 3. — quidquid loqueris, XI, 24, 3. — ego servum, XII, 30, 2. — *Laudas*, Fabulla, I, 65, 3. — librum, III, 1, 3. — et legis, V, 25, 12. — mortuos, VIII, 69, 2. — balnea, IX, 20, 1. — nimium, XI, 56, 1. — *Laudat* Achilleos pedes, II, 14, 4. — Phasis, V, 7, 1. — amat, cantat, VI, 61, 1. — Sura, VI, 64, 13. — ipse patrem; Vid. *Laudet*. — Matho carmina, VII, 90, 2. — causidicus, XI, 24, 8. — Callistratus, XII, 81, 1. — Altinum, XIV, 155, 2. — *Laudant*, mirantur, IV, 49, 9. — illa, IV, 49, 10. — Catuli templa, V, 10, 6. — *Laudavit*; vid. *Laudaret*. — *Laudabo* Baias, XI, 80, 4. — *Laudabit*, mirabitur, XII, 83, 13. — *Laudem* mille versibus, XI, 80, 3. — *Laudes* Caesarem, I, 90, 6. — *Laudet* ipse patrem, VI, 38, 2. — sinistras, VII, 72, 11. — (ne) dignos, XII, 81, 1. — *Laudent* te Pallatia, VII, 28, 5. — *Laudaret* (alii

3, 7. — (per) polentiorum, XII, 18, 4. — teras, XII, 26, 1. — pulsas, XII, 101, 1. —*Liminibus* incustoditis, I, 35, 1 et 2.

Limite molli, XI, 90, 1.

Limo turbida splendescat, VIII, 45, 3. Var. Lec.

Lina impediunt lepores, X, 37, 16. — frui ut possint, XIV, 149, 2. — *Lina* mero tingere, XIV, 103, 2.

Linea dives, VIII, 78, 7. —*Lineam* iactatam, X, 30, 17 et 18. — *Linea* tremola, III, 58, 27. — *Lineis*que ter cinctom, IV, 61, 6.

Lingis, Gargili, non futuis, III, 96, 1 et 3. — Condyle, cunnum, IX, 93, 11. — (dum), Zoile, XI, 85, 2. — *Lingit* cunnum Charinus, I, 78, 6. — *ns* et labra, I, 84, 1. — (arrigere desit) VI, 26, 3. — cunnum Blattara, XI, 47, 8. — *Lingunt* inguina diversa, III, 88, 1. — *Lingas* non mihi, VII, 55, 6. — *Lingat* cunnum, II, 84, 3. — *Lingeret* puella simplex, IX, 41, 4. — *Lingere* cunnum, VII, 67, 17. — gratis recusat, XII, 55, 13.

Lingonicus contaminat bardocucullus, I, 54, 4 et 5.

Lingonus repetet, VIII, 75, 1 et 2.

Lingua lambebat, II, 61, 2. —haereat inguinibus, II, 61, 7. —lambere debet, III, 81, 3. — tacere non potest, IV, 61, 15. — reduxit avos, VII, 47, 2. — (quae) silet! IX, 30, 5. — debilis est, X, 65, 10. — percussa sidere, XI, 85, 1. — flectere posset, XI, 91, 12. —nocet, XI, 102, 6. — sapit, 71, 1 et 2. — garrula, XIII, 71, 2. — peregit opus, XIV, 208, 2. — *Linguae* malae esse, III, 80, 2. — sacrae sileotia, V, 69, 7. — blandae muoere, VII, 88, 9. — circulatricis probra, X, 3, 2. —*Linguam* (quid ergo?), III, 84, 2.—arrigere fututricem, XI, 61, 5. — *Lingua* perfida, audebis, VII, 65, 2. — quod facis, VII, 24, 8. — cave, XI, 25, 2. — *Lingua* abscissa, II, 82, 1. — et pectore verus, IV, 5, 1.—omni loquutus, VIII, 2, 5. — Catoniana facis, IX, 28, vs. ult. —utraque doctus, X, 76, 6. — maritus Manneius XI, 61, 1. —defecta modulatur, XIII, 77, 1. —*Linguis* tacende nullis, VII, 45, 6. — favete, X, 87, 3. — offensa quies, XII, 57, 24 et 25.

Lingula hesterna, 2, 29, 7. —dicor, XIV, 120, 2.

Linigeri fugiunt calvi, XII, 29, 19.

Linis labra, III, 42, 2. — *Linit* mappam, VII, 20, 8. — obligatque, VII, 39, 6. — pecus, IX, 62, 4. — *Linunt* ientacula dentes, I, 88, 3. — splenia frontem, II, 29, 9. — *Linat* mola lacernas, IX, 23, 13. — *Linitur*, sputo caryota, VIII, 33, 11. — *Linuntur* auro, IV, 39, 7. — *Lita*, (nunquam) mater, X, 68, 3.

Linquit intentatum, II, 14, 1.

Lintea ferret, XII, 70, 1. — si sumas, XII, 83, 7. —teret, XIV, 51, 2. — *Lintea* norunt, XIV, 104, 1. — citrum tegant, XIV, 138, 1. — *Linteis*que lorisque, II, 57, 6.

Linus grandis, V, 12, 3. — fellat VII, 10, 1. — *Lino* dimidium donare I, 76, 1. — stare desit, XI, 25, 2. — *Line*, quaeris, II, 38, 1. —te non video, II, 38, 2. — quid suspicetur, II, 54, 1. — egisti vitam municipalem, IV, 66, 1. — fecisti rem difficilem, IV, 66, 18. — basiare, VII, 95, 4. —basiationes, VII, 95, 17. — paedagoge, XII, 49, 1.

Lippus (alteroque), VI, 78, 2. — Hylas, VIII, 9, 2. — et defloculus, XII, 59, 9. — *Lippa* ficus, VII, 20, 12. — lacuna, VIII, 59, 2.

Liquantur Setina, IX, 3, 5.

Liquidum ventrem, XIII, 116, 1. — merum, XII, 60, 8. — *Liquidas*

in Suburra, VII, 31, 12.— *Nascimur* (ex qua), XI, 15, 9. — *Natus es*, et potes renasci, VIII, 40, 3.—*Nata es* rege Numa, X, 39, 2.—*Natus est* in urbe, III, 4, 5. — *Nata est* fera, Sp. 12, vs. ult.—Phoebe, hostia, IX, 43, 11.— *Nata sunt* media Suburra, X, 94, vs. penult.—*Nascetur*, licet velis negare, VI, 49, 10. — *Nascere*, magnum nomen, VI, 3, 1. — magne puer, VI, 3, 2.—*Nascatur* Niliacis in oris, IV, 42, 3. — *Nascantur* olivae, IX, 36, 9. — *Nasci* in arbore, I, 66, 3.—sine fraude iubes, VI, 2, 4.—semel non sat est, VIII, 64, 17.—versus poterant, XI, 24, 4. — mella Hyblaea, XI, 42, 3. — puella Amphion potuit, XII, 75, 5.—*Nascentis* patris, VIII, 36, 10.—*Nascentia* templa, VI, 4, 3.—*Nascentes* curas, V, 5, 3.— *Natus* consule Bruto, XI, 44, 1. — eras eris, XI, 65, 6. — Solymis in ipsis, XI, 94, 5.— *Nata* vitis, XIII, 115, 2. — *Natum* nec semel putabo, VIII, 64, 18.—te putat, X, 27, 4. — *Natam* Bruto consule, X, 39, 1. — *Natos* de pulvere, XIV, 102, 1. — *Nata* Suburra media, XII, 21, 5.

Nasica, invitat, II, 79, 1.

Nasidiene, dormi tibi, VII, 54, vs. ult.

Nasonis carmina, XIV, 192, 2.— *Nasonem* norat, V, 10, 10. — (post) te sequi, XII, 44, 6.—*Nasone* peligni sonant, I, 62, 6.—*Nasones* Virgiliosque vides, III, 38, 10.

Nasus indecens, II, 11, 4.—aureus Scorpi, V, 25, 10. —tantus tibi, VI, 36, 1.—sis denique, XIII, 2, 1,—longior, XIV, 96, 2. — *Nasi* congelati, XI, 98, 7.—*Nasum* Rhinocerotis, I, 4, 6.—habere, I, 42, 18.—fumantem, VI, 64, 28.—rorantem, VII, 37, 3. —habet Tongilianus, XII, 89, 1. — patris, XII, 100, 1. — *Naso* tacito rides, V, 19, 17. — ab inviso, VII, 37, 5. —*Nasique* timendum, VI, 64, 20.

Nasutus cupis videri, XII, 37, 1. —sis usque licet, XIII, 2, 1.—*Nasutum* volo, XII, 37, 2.—*Nasutius* hac nil est, II, 54, 5.

Nata (ὄνομ. ἁπλοῦν), testis maternae pudicitiae, VI, 27, 4.— *Natae* cineres condidit, I, 115, 3.—*Natae* dei Veneris, X, 33, 4.

Nata (ὄνομ. κύρ.) vocat pipinnam, XI, 72, 1.

Natalem colimus, X, 87, 4.—*Natali*, Quincte, tuo, IX, 51, 1.—Diodore, tuo, X, 27, 1.—pallere suo, XII, 61, 7.—*Natales* Priamive Nestorisve, VIII, 64, 14.—(Ovidi) tuos Apriles, IX, 53, 2.—*Natales* mihi Kalendae, X, 24, 1.

Natalitium diem, VIII, 38, 12. — *Natalitias* ad dapes, VII, 86, 1. — (non) Kalendas, VIII, 64, 5.

Natat anguilla domestica, XII, 31, 5.—muraena grandis, XIII, 80, 1.— *Natabis* (al. *innatabis*) vadum, I, 50, 9. —*Natabit* aquas, XIV, 196, 2.— *Natabunt* (adde aquam), III, 36, 2. — *Nataret* hybernis aquis, VII, 36, 2.— *Natare* eum libro, I, 6, 2.—non licet, III, 44, 8. —te secum Diana velit, VIII, 46, 3.—*Natantis* faciem, II, 87, 2. —*Natantique* dabit, XI, 98, 21.— *Natantes* cepas, III, 87, 5.— *Natatur* Nympha, VI, 43, 2. — *Natantur* undae, IV, 30, 3.

Nates dimidias, I, 93, 8.— turturum docet, III, 82, 15.—testificare, VI, 56, 4.—Cyaneas intrant, XI, 99, 6.—glande pastas, XII, 75, 3.— abstulit illa, XIV, 18, 2. —*Natibus* confides? II, 47, 3. —compressis, XII, 77, 12.

Nativo metallo, IX, 62, 3. —*Nativa* laudat, I, 97, 8.

Natura tua sit Tonanti, VI, 83, 3. —celebrem forma creavit, VII, 100,

9.—*Neglexit* preces amantis, IV, 82, 3 et 4.—*Negligentem* vernam, XII, 88, 2. — *Neglecta* perambulat artus, IX, 39, 7.

Nego hunc unum, I, 109, 8. — (numquid peierat), VI, 12, 2. — nil tibi, XI, 49, vs. ultim.— *Negas* esse factum, II, 72, 7.— coctum esse leporem, III, 94, 1. —nulli, Thai, IV, 12, 1. — te posse, V, 17, 3. — cito, Cinna, VII, 43, 4. — paedicare, XI, 104, 17.— (nil non, Lygde,), XII, 71, 1.— *Negat* esse satum, Sp. 12, 7. —Innuit, I, 69, 3. —bellua nil, I, 105, 10. —esse te cinaedum, III, 73, 5. —(dum) hoc, IV, 21, 3.—invidus, IV, 27, 2. — rumor bona vina, IV, 69, 2.— (nulla puella), IV, 71, 2; IV, 71, 4; IV, 71, 6.— ianitor esse domi, V, 22, 10.—hoc vultu, VI, 10, 10.— posse tacere, VI, 41, 2. — res ipsa tibi, IX, 37, 8. — exactos esse, IX, 82, 2. —plura, X, 11, 8.—(quis) hoc nimium? XI, 22, 3.—(quis enim?) XI, 70, 11.—tanti esse salutem, XI, 71, 3.—posse se paedicare, XI, 88, 1 et 2.—coenare se foris, XII, 19, 2. —hoc Aegle, XII, 55, 4.— (quisquis nil), Atticilla, XII, 80, 4. — esse se domi, XII, 101, 1. — *Negant* se futuisse, X, 95, 2.— latrones, XII, 27, 2.—vitam ludimagistri, XII, 57, 5. —*Negabas* nil, Lygde, XII, 71, 2.— *Negavi* mille nummos, IV, 15, 5 et 6.—*Negasti* quod dederas, IV, 7, 1. —sestertia quinque, X, 14, 3.—*Negavit* (suspiras), I, 107, 7.—qui dabat sexcentos, VI, 66, 9.—*Negabis* (ipse non), IV, 43, 10. —esse avem, XIV, 76, 2. —*Negabit* usuram debitor, V, 42, 3. — (ipse non), IX, 58, 12. — *Nega* (i nunc, et), I, 43, vs. ult. — Galla, rogo, II, 25, 2.— (si vir es, ecce) II, 69, 8.—Galla, IV, 38, 1. iam, Phoebe, VI, 20, vs. ult. — nil mihi, Phylli, XI, 49, vs. ultim.— nunc sanos poëtas, XII, 46, 2 —*Negem* melius esse, XI, 26, 6.—*Neges*, Cinna, cito, VII, 43, 2. — si iubeat, XII, 60, 14. — *Neget* esse te, I, 83, 10. — (si qua puella), IV, 71, 2. — (morionis filium Gyrrhae quis)? VI, 39, 17. —clusis aditum labellis, XII, 55, 10.—manifesta, XIV, 1, 8.—*Negemus* manifesta, II, 8, 7.— *Negaret* perferre lovem, VII, 36, 1.— perferre discursus, VII, 39, 1 et 3.— *Negare* quis potest? I, 65, 2. — poteras, Paulla, I, 75, 1.—numquid potes? I, 75, 2.—durum est, II, 41, 10.—puta me velle, III, 26, 5.—simplicius, Galla, potes, III, 54, 2. nihil pudeat, IV, 12, 2. —diu noli, IV, 38, 2. —(tanquam sit turpe) IV, 71, 3.—iussi, Fabulla, IV, 82, 4 et 5.— quater ausus est, V, 44, 3.—(quis potest)? V, 78, 22.—licet hoc velis, VI, 49, 10 —quod petis, VIII, 76, 6. — Nile, potes, X, 26, 8.—impune possis, X, 70, 8.— velle me nihil, XI, 58, 2.—saepe potes, XIII, 7, 2.—vela solet, XIV, 29, 2.—*Negantem* attraxit, VI, 66, 6. —non odi, VII, 43, 3. —*Negante* nullo, X, 65, 2.—*Negaris*, quum sis, II, 6, 5. — *Negatur* fama vivis, V, 10, 1. — *Negetur* illa tamen, III, 33, 1.—*Negari* posse, I, 16, 5.—non posse, I, 43, 3.—*Negatum* nihil est, IX, 12, 14. — *Negata* putas? VI, 10, 12.— vela Noti rapiant, IX, 39, 6.— Pompeiano vela Noto, XI, 21, 6.

Negotiator tumidus, X, 87, 9.—et fraudator es, XI, 66, 2.

Negotiosis urbis rebus, X, 30, 27.

Nemea quae vincit nives, I, 50, 18. —*Nemee* frondosa, Sp. 27, 3.—*Nemees* leonem prostratum, Sp. 6 *bis*, 1. —terror quid meruit? IX, 72, 7.— *Nemeae* terror dedit, V, 65, 1 et 2.

Nemeaei monstri, IV, 57, 5.—*Nemeaeo* monstro gravlora, V, 65, 9.

I, 94, 6. — numerare, II, 52, 1. — invidere, III, 68, 53 et 44. — Hirpini avos, III, 63, 12. — et videt Damam, VI, 39, 11. — (quos) fama, VI, 64, 6. — nequitias, VI, 82, 5. — pungere, VII, 25, 8. — ludere, X, 15, 2. — quid eupiant puellae, XIV, 8, 1 et 2. — succumbere, XIV, 201, 1. — novimus, I, 13, 2. — *Nostis* sodalem veterem, II, 41, 4. — irasci, amici, III, 37, 1. — *Norunt* leones, I, 105, 22. — Dominum, IV, 30, 8. — monumenta mori, X, 2, 12. — mea ligna dapes, XIV, 90, 2. —*Novere* libelli, X, 33, 9. — nemus, X, 58, 4. — attenuare nives, XIV, 104, 1. *Norat* Nasonem Corinna, V, 10, 10. — lucerna patres, XIV, 43, 2. — *Noverit* nullus, VI, 64, 22. — *Norint* saecula, Sp. 28, vs ult. —*Nossem* (quum te non), I, 103, 1. — *Nosses* Florae sacrum, I, 1, 1. — *Nossemus* lites, V, 20, 6 et 7. —*Nosse* licet pectora, V, 5, 3. — libet carmina, VII, 54, 2. — suos, VIII, 15, 8. — hanc manum satis est, VIII, 80, 10. — cupio caetera, XI, 52, 12. — *Notus* iu orbe Martialis, I, 2, 1. — liber, I, 67, 9. — amicitia, IV, 67, 2. — dissimulator eris, IV, 89, 10. — equea, V, 13, 2. — libertus Melioris, VI, 28, 1. — Augusta in aula, VII, 40, 1. — cultor tuae amicitiae, IX, 75, 4. — in urbe nimis, XII, 38, 2. — *Nota*que Caesaribus, I, 102, 2. — Melaenis erat, VII, 29, 8. — Pierio choro, VII, 69, 8. — puellis mentula, XI, 25, 1 et 2. — foemina, XI, 87, 2. — *Notum* (quod) est, IV, 43, 10. — nil mihi erat, XIII, 72, 2. — *Notae* rapacitatis, VI, 72, 1. — *Noto* missa sodali, XIV, 11, 1. — *Notum* mugilem, X, 30, 23. — *Notam* coniugem, V, 37, 21 et 22. — *Notum*que nomen dat, III, 35, 7 et 8. — *Noto* favore sustentet, VII, 27, 6. — *Nota* (puer gaudia) Iovis, IX, 37, 2. — sunt vadimonia, XIV, 125, 1. — *Notos* amores, VII, 50, 7. — *Notas* manus, Sp. 10, 2. — tollas fraudes, I, 88, 7 et 8. — caryotidas, XI, 31, 10. — *Nota* habet Neronis carmina, VIII, 70, 8. — leges quaedam, X, 2, 3. — *Notior* nemo, VII, 29, 2. — Andraemone Caballo, X, 9, vs. ultim. — umbra non erit, XII, 52, 12. —*Notissimus* urbe tonsor, VII, 64, 1. — *Notissima* domus, IX, 62, 1.

Notam iuguli lethalem, VII, 37, 4. — *Notis* puncta ilex, XIV, 92, 1.

Notas turbidiore lumine, IX, 26, 2. — *Notavi*, Caeciliane, II, 71, 1. — iam saepe, XI, 99, 1. — *Notet* lusus arundo, I, 4, 10. — Salamandra, II, 66, 7. — nulla litura corpus, VII, 18, 2. — lucem lactea gemma, VIII, 45, 1. — gemma trita, IX, 11, 6. — *Notare* te possit, VI, 22, 3. — *Notatur* uxor tua, II, 56, 2. — in area pilus, V, 49, 7. — *Notata* est lapillis, X, 38, 4 et 5. — *Notatus* famulus, III, 21, 1. — *Notata* feretur pagina, X, 78, 11, 12 et 13. —*Notatum* rus tertio marmore, VII, 31, 10. — *Notatos* calamo libellos, VII, 17, 6. — *Notanda* stigmate rons, XII, 61, 11.

Notarius, XIV, 208, Lemm. — velox, X, 62, 4. — *Notariorum* quem premit chorus levis, V, 51, 2.

Noto Aeolio amica, V, 71, 4. — Pompeiano vela negata, XI, 21, 6. — *Noti* celeres rapiant, IX, 39, 6. — *Notis* hybernis obiecta, VIII, 14, 3.

Novacula saeva, II, 66, 7. — caeca, VII, 61, 7. — stricta est supra, XI, 58, 5. — tuta, XI, 58, 9.

Novare voles, XIV, 71, 2.

*Novem*que sorores, II, 22, 1. — sororum dominum, V, 6, 18. — Kalendas, VI, 30, 5. — verba dicere,

O

75, 1. — *Precamur*, VIII, 47, 3. — *Precantur*, XII, 6, 5. — *Precabor*, I, 21, 3. — *Precer*, VII, 23, 3. — quid, XI, 73, 5.—*Precemur*, I, 100, 16.

Premis, IV, 14, 3. — *Premit*, III, 40, 2.—colla manu, III, 24, 8.—notariorum chorus, V, 51, 2. — terga amor, VIII, 51, 13. — colonus, XII, 59, 5.—*Premunt*, III, 58, 17.—*Pressera*i, IV, 41, 2.—*Premat*, IV, 19, 10. *Premat*que, VII, 97, 5.—*Premeret*, I, 79. 1. — luxuriam egestas, III, 10, 3. —*Premens*, V, 78, 9.—*Premitur*, III, 58, 6.—*Premimur*, V, 8, 9.—*Prematur*, VII, 74, 6. — *Premeretur*, Sp. 25, 2.—*Pressus*, X, 5, 15. —*Pressa* in capella, IV, 4, 4.—*Pressa* basia, VI, 34, 1.

Prendero, III, 96, 3.—*Prensus*, I, 15, 3.

Pretium, I, 86, 7.—vile, I, 77, 1. —dedit, II, 92, 2.—merere, IV, 29, 4.—dignum, IV, 32, 3.—facit, VII, 17, 8 —novum, VII, 37, 2.—fecit, IX, 60, 20.—grande, IX, 100, 8. — grave, XI, 38, 2. — his meritis sit, XII, 62, 13.—meretur, XIII, 90, 1. —regnator olympi accepit, XIV, 175, 1 et 2. —*Pretia*, III, 62, 5.—parvo, VI, 66, 4. — facili, X, 36, 5. — (in) scopas fuisse, XIV, 82, 1.

Pretiosus, VII, 93, 6. — *Pretiosa* amphora, I, 19, 8.—facta est, VI, 15, 4. — fames, X, 96, 9. — *Pretiosa* silentia, V, 69, 7.—bona, XI, 60, 10. —vellera, XIII, 125, 2.

Priamus, X, 67, 4. — *Priamive*, VIII, 64, 14. — *Priamique*, VI, 70, 12.— *Priami* coniux, II, 41, 14. — vel Nestoris aetas, II, 64, 3 —annos, V, 58, 5 —in cyathis bibes, VIII, 6, 16.—praelia, IX, 51, 4.—alutam tendere, XI, 60, 3. — regnia inimicus, XIV, 184, 1.

Priapus, XI, 72, 2. — salligneus, XIV, 69, Lemm. — *Priapum*, marmoreum, VI, 72, 4. —sanctum, VI, 73, 9. — nostrum, XIV, 69, 1. — *Priape*, VIII, 40, 2.—*Priapo*, I, 36, 15 — timente, III, 58, 47. — persequente, X, 92, 12.—dimidio, XI, 18, 22.

Pridem, III, 75, 1.

Primus, X, 86, 3. — gustus, XIII, 61, 1 et 2.—*Prima* lux, Sp. 24, 2.— vox, II, 67. 2.—hora, IV, 8, 1.— gloria, IV, 75, 2 —carina, VII, 19, 2. —puella, VIII, 46, 8. — lanugo, IX, 37, 5 —figura infantis, IX, 75, 2. — forma, IX, 77, 3.—serica, XI, 27, 11. —mattea, XIII, 92, 2.—tabella, XIV, 186, 2 —*Primi* pili, I, 91. 3. —*Primum* lapidem, XI, 79, 1. — *Primo* gradu, V, 11. 1 —pollice, X, 93, 5. —lacte, XIII, 38, 2.—sanguine, XIII, 102, 1.—Lyaeo, XIII, 114, 1.—grege, XIV, 158, 2 —*Prima*, IV, 54, 2. — pagina, IV, 91, 6.—nive, VII, 33, 2. —aede, VII, 51, 4. —trieteride, VII, 96, 3.—nocte, VIII, 44, 17.—luce, IX, 93, 5. —iuventa, X, 50, 5.—nocte, XI, 23, 5.—altera cena, XI, 31, 5.—Suburra, XII, 3, 9. — luce, XII, 26, 3. —testudine, XII, 66, 5.— *Primae* Tectae, III, 5, 5 —casae, IX, 60, 4.—carinae, XI, 1, 12.—*Primos*, I, 102, 3 —toros, IV, 22, 1.—*Primas* nives, V, 37, 6. — *Primis*, II, 17, 1.—racemis, III, 65, 3.—pomis, IV, 29. 3.—toris, VII, 74, 8 —nivibus, VIII, 27, 15.—velleribus, XIV, 155, 1.

Principis invicti, Sp. 20, 1.—virtus, VIII, 15, 8. —moribus, XI, 4, 8. —*Principem*, X, 92, 10 — *Princeps*, VI, 4, 1.—pudice, IX, 7, 2.—Traiane, X, 34, 1. —Niliaci macelli, XIII, 85, 1.—*Principe*, Sp. 10, 5. —(quo sub) fuit? V, 19, 6.—sub hac, X, 72, 12. —Nerva, XI, 7, 5.—duro, XII, 6, 11. —*Principesque*, VI, 41, 7.— *Principumque*, VI, 4, 1.

R.

S.

XI, 18, 18. — *Suem* gravidam, Sp. 12, 2. — *Sue* Aetolo, XIII, 41, 2. — gravi, XIII, 56, 2. — *Sues* Maenalios, V, 65, 10. — pingues, XI, 41, 7.

Suscipit, VIII, 4. 2.

Suscitas, III, 44, 16. — *Suscitat*, I, 110, 12. — me, III, 95, 10. — Oceanus, VI, 9, 2.

Suspendia saeva, I, 116, 4.

Suspendis, II, 43, 9. — *Suspensa*, VIII, 33, 9.

Suspiciamque, XI, 56, 2. — *Suspectus*, X, 98, 2. — *Suspectum*, II, 12, 3. — *Suspiciende*, V, 30, 2.

Suspicor, III, 72, 2. — quod vitium secretius esse, III, 77, 9 et 10. — famulos esse tibi, III, 95, 12. — has Caesaris esse nives, IV, 3, 8. — *Suspicer*, VI, 54, 3. — *Suspiceris*, VI, 42, 20. — *Suspicetur*, II, 54, 1.

Suspiras, I, 107, 2. — times lagenam, XII, 92, 4.

Suspiria, I, 110, 9. — cessant, X, 13, 9. — ducis, XI, 39, 9.

Sustentat dapes mensa, III, 31, 4. — *Sustentent*, VII, 26, 6.

Sustinet, I, 105, 2. — violare, X, 66, 3 et 4. — *Sustinuit*, IX, 21, 4. — *Sustineas*, IX, 4, 13. — *Sustineatque*, XIV, 24, 2. — *Sustinuisse* trabes, XIV, 91, 2.

Sustulit, X, 81, 4. — *Sustulerat* pilas, Sp. 19, 2.

Susurrat, II, 44, 6. — cantica Gaditana, III, 63, 5.

Suta carmina, X, 93, 4.

Sutilis rosa, IX, 94, 5, 6 et 7. — *Sutilibus* rosis, V, 64, 4. — coronis, IX, 91, 6.

Sutor multus, II, 7, 3. — dedit tibi, III, 59, 1. — instat, XII, 59, 6 et 7. — *Sutoris* Vatini, XIV, 96, 1. — *Sutori*, IX, 74, 10. — *Sutorum*, III, 16, 1.

Suum, V, 10, 10. — nomen, VI, 60, 2.

Sybariticis libellis, XII, 96, 2.

Syenes Niliacae, V, 13, 7.

Syenem Niliacam, I, 87, 7. — *Syene* fusca, IX, 56, 7.

Sylla cruentus, XI, 59. — *Syllam* trucem, IX, 44, 10. — *Syllas* Mariosque, VI, 19, 2.

Syllaba contumax, IX, 12, 12. — *Syllabas*, I, 62, 1. — *Syllabis*, X, 9, 1.

Sylva miranda, Sp. 21, 3. — vicina, I, 50, 27. — larga, III, 58, 23. — conscia, IV, 25, 2. — turdos graves dedit, IV, 66, 6. — crescat, VII, 28, 1. — furit, VIII, 55, 2. — Sabina, IX, 55, 2. — quiescit, XII, 1, 2. — protegit, XIII, 83, 1 at 2. *Sylvae* Maurae, XIV, 90, 1. — *Sylvam*, VIII, 40, 5. — *Sylvamque* fluentem, XI, 41, 3. — *Sylva*, VII, 50, 5. — secreta, XII, 18, 23. — *Sylvarum*, V, 65, 5. — *Sylvas* felices, XIV, 89, 1. — duxit, XIV, 166, 2.

Sylvani horridi, X, 92, 6.

Σῦκα, V, 38, 3.

Symmachus, VII, 18, 10. — *Symmache*, V, 9, 2 et 4. — *Symmachoque*, VI, 70, 6.

Symplegade gemina, XI, 99, 5.

Symplegmate, XII, 43, 8.

Συμπότην, I, 28, 2.

Synthesis septenaria, IV, 46, 15. — una, IV, 66, 4. — mutata, V, 79, 2. — *Synthesis*, XIV, 141, Lemm.

Syra, lagena, IV, 46, 9.

Syri grandes, VII, 53, 10.

Syriae civis, X, 76, 2.

Syrios tumores, IV, 43, 2.

Syrma longum, XII, 95, 4. — *Syrmate* insano, IV, 49, 8.

Syriscus, V, 70, 2.

Syrus Canusinatus, IX, 23, 9. — *Sy-*

U.



TABVLA RERVM

QVAE IN HOC SECVNDO VOLVMINE CONTINENTVR.

LIBER IX.

LIBER X.

LIBER XI.

LIBER XII.

LIBER XIII.

LIBER XIV.

FINIS SECVNDI VOLVMINIS.

Facultate obtenta.





